JOANNIS DOMAT

REGII ADVOCATI IN PRÆSIDIALI CURIA CLAROMONTII IN ALVERNIIS

LEGUM DELECTUS

EX LIBRIS

DIGESTORUM ET CODICIS

AD USUM SCHOLÆ ET FORI.

Accesserunt singulis titulis summaria legum suarum, et Bouchevreti adnotationes ex gallico sermone latine nunc redditæ. Supplementa ex Codice utriusque Siciliæ addidit Lanzellottius.

TOMUS SECUNDUS



NEAPOLI, MDCCCXIX.

Ex Typographia Lucæ Marotta

In via S. Blasii, num. 119.

LEGUM DELECTUS

EX LIBRIS DIGESTORUM ET CODICIS.

LIBER XXVI.

TITULUS I.

De tutelis.

SUMMARIA.

1. *Tutela est tuitio pupilli.*
2. *Tutores sunt tuitores et defensores.*
3. *Mutus tutor dari non potest ; item nec surdus.*
4. *Minori furioso non propter dementiam, sed propter aetatem datur curator.*
5. *Minori adversus tutores litem habenti curator datur.*
6. *Absente patre, curator datur ne bona pereant.*
7. *Datus tutor propter tutoris absentiam, eo mortuo tutor manet.*
8. *Si tutor propter valetudinem vel senium agere non possit, datur curator.*
9. *Adjutor tutelae*
10. *Foemina non nisi liberorum tutelam gerit.*
11. *Non tutor, nec curator habenti datur, nisi absit tutor, vel rebus non sufficiat, vel non sit idoneus, vel relegetur.*

1. Tutela est vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum qui propter aetatem suam sponte se defendere nequit, jure civili data ac permissa. l. 1.

2. Tutores sunt qui eam vim ac potestatem habent, exque re ipsa nomen ceperunt. Itaque appellantur tutores, quasi tuitores atque defensores. l. 1. §. 1.

3. Mutus tutor dari non potest, quoniam auctoritatem praebere non potest. Surdum non posse dari tutorem plerique et Pomponius probant; quia non tantum loqui, sed et audire tutor debet. l. 1. §. 2. et 3.

Minus autem audiens potest dari tutor. l. ult. ff. *de legit. tut.*

4. Si minor vigintiquinque annis furiosus sit, curatorem ei non ut furioso, sed ut adolescenti dari, quasi aetatis esset impedimentum: et ita definiemus ei quem aetas curae vel tutelae subjicit, non esse necesse quasi dementi (*a*) quaeri curatorem; et ita imperator Antoninus Augustus rescripsit: cum magis aetati quam dementiae tantisper sit consulendum (*b*). l. 3. §. 1.

5. Si pupillus pupillave cum justo tutore, tutorve cum eorum quo litem agere vult, et curator in eam rem petitur. l. 3. §. 2. (1)

6. Curator substantiae dari debet (ei cujus pater in

(a) Causa naturalis magis inspicitur quam accidentalis. Gotofr.

(b) Quia plura privilegia dantur minoribus quam furiosis. Praeterea honori et famae adolescentis parcitur dum vestigia furoris non servantur.

(1) » In ogni tutela vi sarà un tutore surrogato, che si nomina dal consiglio di famiglia — Le sue funzioni consisteranno nell' agire per gl' interessi del minore, allorchè questi si trovino in opposizione con quelli del tutore » (*Leggi civ. art.* 342).

hostium potestate est) ne in medio pereat (c). l. 6. (2) §. ult.

7. Quaesitum est, an hi qui in locum absentis Reipublicae causa tutores dati sunt, mortuo illo tutores perseverent, an alii petendi essent? Paulus respondit, eos qui in locum absentis dati sunt, non reverso eo, in eadem causa perseverare usque ad tempus pubertatis. l. 12.

8. Solet etiam curator dari aliquando tutorem habenti, propter adversam tutoris valetudinem, vel senium aetatis (d): qui magis administrator (e) rerum, quam curator esse intelligitur. l. 13. (3)

9. Est etiam adjutor quem solet praetor permittere tutoribus constituere, qui non possunt sufficere administrationi tutelae: ita tamen, ut suo periculo eum constituant. l. 13. §. 1.

(c) Captivi filio recte curator datur, non autem tutor datur, quia status ejus dubius est. Gotofr. Captivi et absentis bonis datur curator, ut cum eo litigari possit. L. 15. *ex quibus causis majores*. L. 60. in fine, *quibus ex causis in possessionem eatur*. Gotofr.

(2) » Se il padre siasi renduto assente, lasciando figli in età minore nati da un comune matrimonio, la madre ne avrà la cura, ed eserciterà tutti i dritti del marito relativamente alla educazione ed amministrazione de' loro beni — Sei mesi dopo l' allontanamento del padre, se a quell' epoca fosse morta la madre, la cura de' figli verrà conferita agli ascendenti più prossimi, ed in mancanza di questi ad un tutore provvisionale » (*Leggi civ. art.* 145. e 146.).

(d) Verum nonne senex potius excusandus esset a tutela, et alius tutor in ejus locum substituendus, ne forte senex impotens alterius administrationis periculum subeat?

(e) Hinc dici potest apud nos in patria consuetudinaria, patrem qui tutelam naturalem filii sui gerit, absque officio judicis, esse potius administratorem quam tutorem. Verum potestne ei recte solvi a debitoribus filii? potestne ipse debitores exigere, agere, sistere, defendere in judicio?

(3) » Sono rimovibili dalla tutela le persone la cui amministrazione provasse la loro incapacità » (*Leggi civ. art.* 3[illegible]).

Decreto praetoris actor constitui periculo tutoris solet, quotiescumque aut diffusa negotia sint, aut dignitas vel aetas, aut valetudo tutoris id postulet. l. 24. ff. *de adm. et per. tut.*

10. Tutela plerumque virile officium est. l. 16.

Faeminae tutores dari non possunt; quia id munus masculorum est: nisi a Principe filiorum tutelam specialiter postulent (*f*). l. ult.

Tutelam administrare virile munus est, et ultra sexum foemineae infirmitatis tale officium est. l. 1. C. *quando mulier tut. off.* f. p.

Mulieribus nos interdicimus tutelae subire officium, nisi mater, aut avia fuerit. Nov. 118. c. 5. V. Nov. 94. c. 2. (4)

11. Si sororis tuae filius tutore legitimo patruo constituto, nec ullo excusato privilegio, tutor datus est: cum habenti tutorem alium dari jura prohibeant, necessitatem administrationis ad eum pertinere, nec te datione teneri non ambigitur. Curatorem habenti neque adjungi, nisi causa cognita, neque in locum ejus alium substitui, nisi ante priore remoto, ambigui juris non est. l. 9. et. l. 10. C. *qui dare tut. vel cur. poss.*

Si in locum ejus tutoris ad tempus dati estis, qui reipublicae causa aberat; isque jam finito munere

---

(f) Quid si *mater* obtinuit tutelam, potestne tutelam postea abdicare? Puto posse, quia tutela in persona matris non est onus sed beneficium; potest ergo mater renuntiare beneficio in gratiam suam introducto, ne adversus eam retorqueatur; quia mater cogi non potest: imo si secundo nubat, tenetur alium tutorem petere liberis suis. At non minorem favorem meretur mater cum in viduitate perseverat, quam ea quae secundo nubit.

(4) » Non possono esser tutori le donne, a riserva della madre e delle ascendenti » (*Leggi civ. art.* 365, n. 3.)

quod ei injunctum est, abesse desiit; quin ad ejus officium curamque pertineant negocia pupillae ambigere non debetis; sed consultius feceritis, si praesidem provinciae virum clarissimum adieritis, ut is ad administrationem tutelae compellatur. l. 1. C. *in quibus casib. tut. vel cur. habend.*

Propter late diffusum, id est in diversis locis constitutum patrimonium, vel quod solus administrationi non sufficias, an tibi tutelam administranti adjungi aliquos curatores oporteat, praeses provinciae, si te non sufficientem deprehenderit, aestimabit. l. 3. C. *eod.*

Licet tutorem habenti tutor dari non potest, tamen certis ex causis alius idoneus substitui sententia competentis judicis solet in locum suspecti qui convictus ac remotus est, et in locum excusati vel defuncti, vel relegati tutoris. l. 4. *eod.*

Cum ob augmentum facultatum curatores adjungi soleant, non prius dati tutores ab administratione eorum liberantur. l. ult. C. *eod.* (5)

TITULUS II.

De testamentaria tutela.

SUMMARIA.

1 *Personae maxime, tum rei datur tutor.*
2. *Non semper praeferendi qui satisdant.*
3. *Inter contutores is gerit quem major pars elegit.*
4. *Non superadditur tutori tutor.*

---

(5) » Quando il minore domiciliato nel regno possedesse beni fuori del regno, o viceversa, l' amministrazione particolare di questi beni verrà affidata ad un protutore » (*Leggi civ. art.* 338)

5. *Tutor esse potest non ejusdem civitatis: aliud si non ejusdem sit provinciae.*

1. Personae, non rei vel causae, datur (tutor). Si tamen tutor detur rei Africanae vel rei Syriacae, utilis datio est: hoc enim jure utimur. l. 14. l. 15.

2. Non omni modo autem is qui satisdat, praeferendus est: quid enim si suspecta persona sit, vel turpis, cui tutela committi nec cum satisdatione debeat? Vel quid si jam multa flagitia in tutela admisit? Nonne magis repelli et rejici a tutela, quam solus administrare debeat? Nec satis non dantes temere repelluntur: quia plerumque bene probati et idonei atque honesti tutores, etiamsi satis non dent, non debent rejici; quin imo nec jubendi sunt satisdare. l. 17. §. 1. (a).

3. Si cui major pars tutorum decernat, is gerat quem major pars elegit. l. 19. §. 1. V. 1. l. 3. §. 7. ff. *de adm. et per. tut.*

4. Tutorem habenti tutor dari non potest. l. 27.

5. Quaero, an non ejusdem civitatis cives testamento quis tutores dare possit? Paulus respondit, posse. l. 32.

Divi Marcus et Verus Cornelio Proculo: si quando desint in civitate ex qua pupilli oriundi sunt, qui idonei videantur esse tutores, officium sit magistratuum inquirere ex vicinis civitatibus honestissimum quemque, et nomina praesidi provinciae mittere, non ipsos arbitrium dandi sibi vindicare. l. 24. ff. *de tut. et cur. dat.*

(a) L. 21. §. 5. *de tutoribus et curatoribus datis.* V. l. 5. 6. 7. et 8 *de suspectis tutoribus et curatoribus.*

Qui in testamento dati sunt tutores, rennent, secundum leges, administrationem earum quae in alia provincia sunt possessionum. l. 10. §. 4. ff. *de excusat.*

Sed et hoc genus excusationis est, si quis se dici ibi domicilium non habere, ubi ad tutelam datus est. l. ult. §. ult. ff. *de excusat.*

TITULUS III. *De confirmando tutore vel curatore.*

TITULUS IV.

De legitimis tutoribus.

SUMMARIA.

1 *Ibi onus tutelae, ubi spes successionis.*
2 *Interdum tutor qui non est futurus haeres.*

1. Legitimae tutelae lege duodecim tabularum adgnatis delatae sunt, et consanguinei: id est his, qui ad legitimam haereditatem admitti possint. Hoc summa providentia; ut qui sperarent hanc successionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur. l. 1.

Sublata agnationis et cognationis differentia, ad tutelam vocantur cognati, quemadmodum ad succesionem. Nov. 118. c. 5.

2. Interdum alibi est haereditas, alibi tutela. l. 1. §. 1.

TITULUS V.

De tutoribus et curatoribus datis ab his qui jus dandi habent: et qui, et in quibus causis, specialiter dari possunt.

SUMMARIA.

1. *Curatores dantur his qui rebus suis superesse non possunt, filius patri curator dari potest.*
2. *Dantur curatores prodigis.*
3. *Inquisitio pro cautione est.*
4. *Mores facultatibus praeferendi.*
5. *Plures tutores esse possunt.*

1. His qui in ea causa sunt ut superesse rebus suis non possint, dare curatorem proconsulem oportebit (1). Nec dubitabit filium quoque patri curatorem dare: quamvis enim contra sit apud Celsum et apud alios plerosque relatum, quasi indecorum sit patrem (a) a filio regi, attamen Divus Pius Justio Celeri, item Divi Fratres rescripserunt, filium, si sobrie vivat, patri curatorem dandum, magis quam extraneum. l. 12. d. l. §. 1. V. 1. tit. *de cur. fur.*

2. Divus Pius matris querelam de filiis prodigis admisit, ut curatorem accipiant, in haec verba: *non est novum quosdam, etsi mentis suae videbuntur ex sermonibus compotes esse, tamen sic tractare bona ad se pertinentia, ut, nisi subveniatur his, deducuntur in egesta-*

---

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 412, 428.
(a) N. infra. L. 1. §. 1. *de curatoribus furioso.*

tem; eligendus itaque erit, qui eos consilio regat: nam aequum est prospicere nos etiam eis qui, quod ad bona ipsorum pertinet, furiosum faciunt exitum. l. 12. §. 2. V. 1. tit. *de cur. fur.* (*b*). (2)

3. Fides inquisitionis pro vinculo cedet cautionis. l. 13. in f.

4. Cum reliquis oportet magistratum et mores creandorum investigare: neque facultates enim, neque dignitas ita sufficiens est ad fidem, ut bona electio vel voluntas, et benigni mores. l. 21. §. 5. (*c*).

5. Simul plures tutores dari possunt. l. 23. V. tit. seq. n. 4. et. seq.

TITULUS VI. *Qui petant tutores vel curatores, et ubi petantur.*

TITULUS VII.

De administratione et periculo tutorum et curatorum qui gesserint vel non: et de agentibus vel conveniendis uno vel pluribus.

SUMMARIA.

1. *Gerere tutor cogitur.*
2. *Aut excusationem allegare debet tutor, aut gerere.*
3. *Tutores honorarii gerentium administrationi suo periculo invigilant.*
4. *Utilius unus administrat quam plures.*
5. *Quem major pars tutorum eligit is geret.*

(b) L. 1. *de curatoribus furioso.*
(2) Concorda. *Leggi civ. art.* 412, 428.
(c) L. 17. §. 1. *de testamentaria tutela.* 6, 8. *de suspectis tutoribus et curatoribus.*

6. *Si a praetore divisa sit tutela, de suo gestu quisque tenebitur: si a tutoribus, in solidum conveniuntur.*
7. *Tutor aneclogistus esse non potest.*
8. *Tutor jussus a patre tutelam gerere consilio matris, non exoneratur officio recte gerendi.*
9. *Contra patris voluntatem distrahuntur pericula.*
10. *Inventarium facere debet tutor, nec antea gerere, nisi quae dilationem non capiunt.*
11. *Usuras pecuniae pupillaris praestat tutor post laxamentum.*
12. *Officio finito usurae currunt.*
13. *Officium tutoris idem quod patrisfamilias.*
14. *Domini loco tutor est:*
15. *Non satis dat erga debitores.*
16. *Quasi in propriis rebus tutor versatur.*
17. *Pupillus pro dignitate et facultatibus instituendus.*
18. *Unius tutoris electio caeteros non liberat: sed prior conveniendus qui administravit.*
19. *Tutor qui appellans, aut se excusans non est auditus, ex quo non accesserit, tenebitur.*
20. *Tutor utilia pupillo potest facere, non donare.*
21. *Tutoris officium pupillum defendere, ab injusta sententia appellare.*
22. *Interdum salarium tutori conceditur.*
23. *Qui gessit, primum convenitur: qui cessaverunt simul tenentur.*
24. *Alteri pupillorum finita ejus tutela judicium tutelae competit, alterius tutela durante.*
25. *Tutoris fidejussor non tenetur de gestis post tutelam.*
26. *Ipso jure liberatur debitor pupilli qui tutori solvit.*
27. *In unius personae arbitrium collata aestimatio viri boni arbitrium continet.*

28. *Alii curatores ad custodiam, alii ad administrationem.*

29. *Tutor casum non praestat.*

30. *Si instrumentum debiti pupillaris perierit, inventarium fidem faciet.*

31. *Tutela lucro tutori esse non debet.*

32. *Usurae pupillares sortem augent.*

33. *Tutor et idem creditor, qua parte debiti caeteros creditores dimisit, ne pupillus haereditate abstineretur, eadem et ipsa contentus esse debet.*

34. *Tutoris et curatoris bona pignori sunt pro tutelae vel curae reliquis.*

1. Gerere atque administrare tutelam, extra ordinem tutor cogi solet. l. 1. (1)

2. Ex quo scit se tutorem datum, si cesset tutor, suo periculo cessat. Id enim a Divo Marco constitutum est, ut qui scit se tutorem datum, nec excusationem si quam habet allegat (*a*), intra tempora praestituta, suo periculo cesset. l. 1. §. 1. l. 5. §. ult. (2)

3. Caeteri tutores (*b*) (praeter eum qui gerit) non administrabunt; sed erunt hi quos vulgo *honorarios*

(1) » Ogni cittadino non parente nè affine non potrà essere astretto ad accettar la tutela deferita dal consiglio di famiglia, se non nel caso in cui nella distanza di venti miglia non esistessero parenti o affini meritevoli, ed in grado da amministrarla » (*Leggi civ. art* 354)

(a) L. 20. l. 19. §. 6.

(2) » Se il tutore nominato non ha assistito alla deliberazione che gli ha deferito la tutela, potrà far convocare il consiglio di famiglia, affinchè deliberi sopra i suoi motivi di scusa. Le sue parti su tale oggetto dovranno aver luogo nel termine di tre giorni da correre dalla notificazione della sua nomina; trascorso il quale non sarà più ammessa la domanda » (*Leggi civ. art.* 351)

(b) Tertii generis sunt tutores honorarii, notitiae causa, gestionis causa. L. 14. §. 1. *de solutionibus et liberationibus.*

appellamus: nec quisdam putet ad hos periculum nullum redundare; constat enim, hos quoque excussis prius facultatibus ejus qui gesserit (*c*), conveniri oportere: dati sunt enim quasi observatores actus ejus, et custodes (*d*). Imputabiturque eis quandoque, cur, si male eum conversari videbant, suspectum (eum) non fecerunt. Assidue igitur et rationem ab eo exigere eos oportet, et sollicite curare, qualiter conversetur; et si pecunia sit quae deponi possit, curare ut deponatur ad praediorum comparationem. Blandiuntur enim sibi, qui putant honorarios tutores omnino non teneri: tenentur enim secundum ea quae supra ostendimus. l. 3. §. 2. (3)

4. Id agit (praetor), ut per unum (tutela) administretur, quippe etsi pater non destinaverit quis gerere debeat, attamen id agit, ut per unum administretur: sane enim facilius unus tutor et actiones exercet, et excipit, ne per multos tutela spargatur. l. 3. §. 6. l. 1. C. *si ex plur. tut.*

Si duobus simul tutela gerenda permissa est vel a parente, vel a contutoribus, vel a magistratibus (*e*): benigne accipiendum est, etiam uni agere permissum; quia duo simul agere non possunt (*f*). l. 24. §. 1.

(c) Sunt etiam tutores notitiae causa. l. 14. §. 1. *de solutionibus et liberationibus.*

(d) Apud nos tutor honorarius tenetur in subsidium tribus casibus: 1. Si consuetudo vel usus id ferat, ut in Britannia; 2. Si in nominando tutore id dictum fuerit; 3. Si adeo dissoluta negligentia sit tutoris honorarii, cum non vigilavit, ut prope dolum sit. V. D. Domat in *Legibus civilibus in ordine suo repositis.* Extra hos casus non tenetur.

(3) Vedi le equivalenti disposizioni con leggiere modificazioni nelle *Leggi civ. art.* 377 e 378.

(e) V. l. 32. *de procuratoribus et defensoribus.*

(f) Ergo unusquisque est tutor in solidum, et uni recte solvitur. Vide tamen. n. 5. et 6.

5. Is gerat cui major pars tutorum tutelam decreverit. Praetor igitur jubebit eos convocari : aut si non coibunt, aut coacti non decernent, causa cognita ipse statuet quis tutelam geret. l. 3. §. 7.

6. Plane, si non consentiant tutores praetori, sed velint omnes gerere, quia fidem non habeant electo, nec patiuntur succedanei esse alieni periculi, dicendum est, praetorem permittere eis omnibus gerere. Item, si dividi inter se tutelam velint tutores, audiendi sunt, ut distribuatur inter eos administratio, vel in partes, vel in regiones : et si ita fuerit divisa, unusquisque exceptione summovebitur pro ea parte vel regione quam non administrat. l. 3. §. pen. et ult. l. 4. 18. §. 1. l. 51.

Tutorum periculum commune est in administratione tutelae, et in solidum universi tenentur. l. 55.

Si divisio administrationis inter tutores, sive curatores in eodem loco seu provincia constitutos facta necdum fuerit, licentiam habet adolescens, et unum eorum eligere, et totum debitum exigere : cessione videlicet ab eo adversus caeteros tutores seu curatores actionum ei competentium facienda. In divisionem autem administratione deducta sive a praeside, sive testatoris voluntate, unumquemque pro sua administratione convenire potest, periculum invicem tutoribus (seu curatoribus) non sustinentibus nisi per dolum aut culpam suspectum non removerunt, vel tarde suspicionis ratione moverunt, cum alter eorum non solvendo effectus sit, vel suspicionis causam agendo sua sponte jura pupilli prodiderunt (g). Nec prodest eis dicentibus, eum contuto-

(g) Tutor qui contutorem accusat, proditor est.

rem suum non administrasse res pupillares. Sin vero ipsi inter se res ad ministrationis diviserunt, non prohibetur adolescens unum ex his in solidum convenire, ita ut actiones quas adversus alios habet, ad electum transferat. l. 2. C. *de divid. tut.*

7. Quidam decendens filiis suis dederat tutores, et adjecerat, *eos* (*que*) *aneclogistos asse volo*: et ait Julianus, tutores, nisi bonam fidem in administratione praestiterint, damnari debere, quamvis testamento comprehensum sit (*h*), *ut aneclogisti essent.* Nec eo nomine ex causa fideicommissi quicquam consequi debebunt, ut ait Julianus; et est vera ista sententia: *nemo enim jus publicum remittere potest hujusmodi cautionibus* (*i*), *nec mutare formam antiquitus costitutam.* l. 5. §. 7. (*k*).

8. Pater tutelam filiorum *consilio matris geri* mandavit, et eo nomine tutores liberabit. Non idcirco minus officium tutorum integrum erit, sed viris bonis conveniet, salubre consilium matris admittere: tametsi neque liberatio tutoris, neque voluntas patris, aut intercessio matris tutoris officium infringat. l. 5. §. 8.

9. Usque adeo autem licet tutoribus patris praeceptum negligere, ut si pater caverit, *ne quid rei suae distraheretur*, (vel) *ne mancipia distrahantur*, (vel) *ne vestis*, (vel) *ne domus*, (vel) *ne aliae res periculo subjectae*, liceat eis contemnere hanc patris voluntatem. l. 5. §. 9.

(h) V. l. ult. §. 2. et 3. *de liberatione legata.*

(i) Quid. Si defunctus inventarium confitere probibeat? minoris potest in eo interesse. Ne secreta familiae divulgenturt L. 28. §. 4. l. ult. §. 4. *de liberatione legata*; ubi particula *non* expungi debet. Cujac.

(k) V. l. 47. §. 1. *eod.* l. 119 *de legatis* 1. l. 55 *eod.*

Si tutor cessaverit in distractione earum rerum quae tempore depereunt, suum periculum facit: debuit enim suo confestim officio fungi. l. 7. §. 1.

Non quidem praecipiti festinatione, sed nec moratoria cunctatione. d. §. in fin.

10. Tutor qui repertorium non fecit, quod vulgo *inventarium* appellatur, dolo fecisse videtur: nisi forte aliqua necessaria (*l*) et justissima causa allegari possit, cur id factum non sit. Si quis igitur dolo inventarium non fecerit, in ea conditione est, ut teneatur in id quod pupilli interest. l. 7. Nihil itaque gerere ante inventarium factum eum oportet; nisi id quod dilationem nec modicam expectare possit. d. l. 7.

Tutores vel curatores mox quam fuerint ordinati, sub praesentia publicarum personarum inventarium rerum omnium et instrumentorum solemniter facere curabunt. l. 24. C. *de adm. tut.* V. l. ult. §. 1. C. *arbitr. tut.* (4)

11 Usurae a tutoribus non statim exiguntur, sed interjecto tempore ad exigendum, et ad collocandum. l. 7. §. 11. (*m*)

Si tutor constitutus, quos invenerit debitores non convenerit, ac per hoc minus idonei efficiantur; vel intra sex primos menses pupillares pecunias non collocaverit: ipse in debitam pecuniam, et in usuras ejus pecuniae quam non foeneravit, convenitur. l. 15. (*n*)(5)

(l) Necessitas ex illicito facit licitum. Gotofr.

(4) » Il tutore ne' dieci giorni che seguiranno quello della sua nomina, farà immediatamente procedere all' inventario de' beni del minore in presenza del tutor surrogato » (*Leggi civ. art.* 374)

(m) Duorum mensium.

(n) * *Lex* 7. §. 12 *ait*: Si usuras exactas tutor vel curator usibus suis retinuerint, earum usuras agnoscere non oportet. Sane enim parvi refert utrum sortem pupillarum an usuras in suos usus converterint. V. l. 58. §. 1 et ult.

(5) » L' impiego delle rendite (dedotte le spese) dovrà esser fatto nello spazio di sei mesi; passati i quali senza che lo abbia effettuato, saranno a carico del tutore gl' interessi » (*Leggi civ. art.* 378)

12. Sciendum est tutorem, et post officium finitum usuras debere in diem quo tutelam restituit. l. 7. §. 15. (o) (6)

13. Generaliter, quotiescum que non fit nomine pupilli quod quivis paterfamilias idoneus facit, non videtur defendi: sive igitur solutionem, sive judicium, sive stipulationem detrectat, defendi non videtur. l. 10. l. 33. (7)

14. Tutor qui tutelam gerit, quantum ad providentiam pupillarem, domini loco haberi debet. l. 27. (p). (8)

15. Tutores debita pupillaria, seu deposita reposcentes, ad satisdationem compelli non posse manifestum est. l. 13. C. *de adm. tut.*

16. Nimium est licere tutori, respectu existimationi pupilli, erogare ex bonis ejus quod ex suis non honestissime fuisset erogaturus. l. 12. §. 2. V. l. 1. § 1. ff. *de tutel. et rat.*

17. Cum tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli praeponatur, in primis mercedes praeceptoribus, non quas minimas poterit, se pro facultate patrimonii, pro dignitate natalium constituet. l. 12. §. 3. (9)

(o) *Lex* 9 §. 1 *ait*, *quod*: Si tutor aliquid debeat pupillo ex alia causa, devolvitur tutelae judicium, et fidejussores tenentur. Id decidit de actione personali pro usuris de pleno jure, et ad dandam hypothecam ad debitum chirographarium a die tutelae. V. l. 13 et 19 *de negotiis.* Secus actione personali

(6) » La somma a cui ammonterà il residuo del debito del tutore, produrrà interesse dal giorno della ultimazione del conto; senza che occorra di farne la domanda » (*Leggi civ. art.* 397)

(7) » Il tutore amministrerà i di lui beni da buon padre di famiglia, e sarà responsabile di ogni danno ed interesse che potesse risultare da una cattiva amministrazione » (*Leggi civ. art.* 373)

(p) Tutor in pupilli domini loco habetur, cum tutelam administrat, non vero cum pupillum spoliat. L. 7. §. 3. *pro emptore.*

» (8) Il tutore avrà cura della persona del minore, e lo rappresenterà in tutti gli atti civili » (*Leggi civ. art.* 373)

(9) Concorda. (*Argom. dagli art.* 373 *e* 377 *delle LL. civ. combinati.*)

18. Ex duobus tutoribus, si cum altero actum fuerit, alter non liberabitur. l. 18. §. 1.

Haeredibus quoque pupillorum electio eadem adversus tutores, in quo potissimum consistere velint, competit, quae ipsis quorum tutela administrata sit. l. 33. §. 2.

Licet tutorum conventionem mutuum periculum minime finiatur, tamen eum qui administravit (q), si solvendo sit, primo loco, ejusque successores conveniendos esse non ambigitur. l. 3. C. *de divid. tut.*

19. Tutor vel curator, cujus injusta appellatio pronunciata erit, cujusve excusatio recepta non sit: ex quo accedere ad administrationem debuit, erit obligatus. l. 20.

Tutor datus adversus ipsam creationem provocavit: haeres ejus postea victus, praeteriti temporis periculum praestabit: quia non videtur levis culpa, contra juris auctoritatem mandatum tutelae officium detrectare. l. 39. §. 6. l. 1. §. 1. (10)

20. Tutor ad utilitatem pupilli et novare, et rem in judicium deducere potest. Donationes autem ab eo factae, pupillo non nocent. l. 22. l. 46. §. ult. (11)

21. Tutoris praecipuum est officium, ne indefensum pupillum relinquat. l. 30.

Si bonam causam ea cujus tutor es habuit, et adversus

(q) *Discussio ante Novellam* 4.

(10) » Se le scuse del tutore sono rigettate dal consiglio di famiglia, potrà ricorrere ai tribunali per farle ammettere; ma durante la lite, sarà tenuto ad amministrare provvisionalmente — E se succumbe, sarà condannato alle spese del giudizio. » (*Leggi civ, art.* 362, 363)

(11) » Il tutore non può, senza l' autorizzazione del consiglio di famiglia, alienare o ipotecare i beni del minore, nè prendere danaro a mutuo per lui, nè accettare o ripudiare una eredità deferita allo stesso, nè intentare azioni in giudizio, nè transigere. (*Leggi civ.* art. 380, 384, 386, 387, 390 e 1917 —

latam sententiam non appellasti, seu post appellationem provocationis solemnia implere cessaveris, tutelae judicio indemnitatem pupillae praestare debes (*r*). l. 11. C. *de adm. tut.*

22. Sumptuum, qui bona fide in tutelam, non qui in ipsos tutores (*s*) fiunt, ratio haberi solet; nisi ab eo qui eum dat, certum salarium ei constitutum est. l. 33. §. ult.

23. In eum qui tutelam gerere noluit, post caeteros qui gesserunt, actionem (utilem) tutelae dari placuit. Quod tamen ex tutela non pervenit ad eos qui se negotiis miscuerint, sed communi negligentia periit, citra substitutionis ordinem, aequaliter omnium periculum spectat. l. 39. §. 11.

Licet tutorum conventione mutuum periculum minime finiatur, tamen eum qui administravit, si solvendo sit, primo loco ejusque successores conveniendos esse non ambigitur. l. ult. C. *de divid. tut.*

24. Tutelae judicium ideo differri non oportet, quod fratris et cohaeredis impuberis idem tutelam sustineat (*t*). l. 39. §. 17.

25. *Paulus respondit*: propter ea quae post pubertatem, nulla necessitate cogente, sed ex voluntate sua, tutor administravit, fidejussorem, *quia salvam rem fore* cavit, non teneri (*u*). l. 46. §. 4.

(r) Ergo non sufficit tutori, si pupillus auctore sententiae condemnetur, sed appellare debet, alias res iterum tractabitur in disquisitione rationum tutelae. Contra tamen appellare nemo tenetur. l. 8 §. 8. *mandati vel contra.* l. 31 §. 2. *de negotiis. gestis.*

(s) V. l. 26 §. 6. *mandati vel contra.*

(t) V. l. 43. §. 1. *de dote promissa supra vires patrimonii* et Cujacium ad hanc legem. l. 45.

(u) Idem in tacita conductione. l. 13. §. ult. *locati conducti.*

26. Tutoribus concessum est, a debitoribus pupilli pecuniam exigere, ut ipso jure liberentur. l. 46. §. ult. l. 22. h.

27. *Quantum filio meo diurnum sufficiat, Marina et Januaria aestimabunt.* Quaero, an contenti esse debeant tutores arbitrio mulierum (*x*)? Respondi, sumptum boni viri arbitrio faciendum. l. 47. §. 1. v. l. 76. et seq. ff. *pro soc.* l. 24. ff. *locat.* l. 30. §. *de oper. libert.*

28. Inter bonorum ventrisque curatorem, et inter curatorem furiosi, itemque prodigi, pupillive magna est differentia (*y*); quippe cum illis quidem plane rerum administratio, duobus autem superioribus sola custodia, et rerum quae deteriores futurae sunt, venditio committitur. l. 48.

29. Si res pupillaris incursu latronum pereat, vel argentarius cui tutor pecuniam dedit, cum fuisset celeberrimus (*z*), solidum reddere non possit; nihil eo nomine tutor praestare cogitur. l. 50.

30. Chirographis debitorum incendio exustis (*a*), ex inventario tutores convenire eos possunt ad solvendam pecuniam, aut novationem faciendam. l. 57.

31. Lucrum facere ex tutela non debet (tutor). l. 58. iu fin. princ.

32. Quod a debitore (pupilli) nomine usurarum

(*x*) Nihilominus in usu non est foeminas ad cognatorum consilia vocare. Infirmum est mulierum consilium. V. l. 5 §. 8. f.

(*y*) Quaenam est curatoris potestas in personam et bona prodigi. Vide l. 12. Tabulas testamenti. V. l 5. C. *de jure deliberandi*.

(*z*) Discrimen furti et latrocinii.

(*a*) V. Nov. 119 c. 3. et authent. *Si quis.* C. *de edendo.* Vide supra de fide instrumentorum, n. 6. et l. 5. Cod. *de fide instrumentorum.* Nota instrumentum fuerat auctoritate judicis et parte citata descriptum. Imo et totum, non vero pars. Gotofr.

cum sorte datur: (tutori) qui accipit, totum sortis vice fungitur, vel fungi debet. l. 58. §. 1. in fin.

Omnis pecuniae quae ad curatorem transit, patrem causam esse: quia omnis sors efficitur. d. l. 58. §. ult. in fin.

33. Cum haereditas patris aere alieno gravaretur, et res in eo statu videretur, ut pupilla (ab) haereditate paterna abstineretur, unus ex tutoribus cum plerisque creditoribus ita decidit, ut certa crediti portione contenti essent acciperentque. Idem curatores jam viripotenti accepti, cum plerisque creditoribus deciderunt. Quaesitum est, an si aliquis tutorum creditor patris pupillae (g), solidam pecuniam expensam sibi ex re pupillae cum usuris fecerit, revocari a curatoribus pupillae ad portiones eas possit, quas caeteri quoque creditores acceperunt? Respondit, eum tutorem qui caeteros ad portionem vocaret. eadem parte contentum esse debere (h). l. 59. v. l. 44. ff. *de pact*

34. Pro officio administrationis tutoris vel curatoris bona, si debitores existant, tanquam pignoris titulo obligata minores sibimet vindicare minime prohibentur: idem est, et si tutor vel curator quis constitutus, res minorum non administraverit. l. 20. C. *de adm. tut.*

(b) Verum tutor potest cum sanguineis pupilli et auctoritate judicis convenire ut ne quid remittat minori. Domat.

(o) V. tit. infra. *quod quisque juris*, et l. 9. *de transactionibus*.

TITULUS VIII.

De auctoritate et consensu tutorum et curatorum (a).

SUMMARIA.

1. *Tutor in rem suam auctor esse non potest.*

1. Regula est juris civilis, in rem suam auctorem tutorem fieri non posse. l. 1. (1)

TITULUS IX.

Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conveniri possunt (a).

SUMMARIA.

1. *Rem sua pecunia a tutore emptam pupillus vindicare potest. Idem in curatoribus.*
2. *Ex dolo tutoris non tenetur pupillus nisi in quantum ex eo locupletior factus est.*

1. Si tutor vel curator pecunia ejus (*b*), cujus negotia administrat, mutua data, ipse stipulatus fuerit, vel praedia in nomen suum emerit (*c*); utilis actio ei cujus pecunia fuit, datur ad rem vindicandam, vel mutuam pecuniam exigendam (*d*). l. 2.

(a) Quid de viro qui mutuum donum cum sua uxore facit, tenetur ne illum auctoritate legali insiguire? nequaquam, nam uxoris incapacitas non est absoluta, et est relativa solom in favorem viri, neque in virum retorqueri potest quod in ejus favorem est introductom.

(1) Corcorda. *Leggi civ. art.* 373, §. 3.

(b) Finita tutela minor factus major, vel emancipatus, instantiam resumit, quam tutor inierat; secus de minori emancipato qui agebat sub auctoritate curatorie ad causas: hic enim instaotiam post majoritatem non resumit: at agere pergit suo nomine sine curatori assistentia.

(c) Idem in uxore, ecclesia et milite esse, ait Bartolus.

2. Dolus tutorum puero neque nocere, neque prodesse debet. Quod autem vulgo dicitur, *tutoris dolum pupillo non nocere*, tunc verum est, cum ex illius fraude locupletior pupillus factus non est. l. 3.

TITULUS X.

De suspectis tutoribus et curatoribus (a).

SUMMARIA.

1. *Omnis generis tutores suspecti fieri possunt.*
2. *Suspectus est qui dolo, qui sordide, qui perniciose gerit, qui quid intercepit.*
3. *Suspectus a tutela rejicitur.*
4. *Amoveri potest tutor ob segnitiem, vel imperitiam existimatione integra.*
5. *Amovetur suspectus etsi satis dederit.*
6. *Suspectum faciunt mores, non paupertas.*

1. OMnes tutores possunt (suspecti (*b*) fieri), sive testamentarii sint, sive non sint, sed alterius generis tutores. l 1. §. 5. V, l. 3. §. 2. et 3.

2. Sciendum est, aut ob dolum in tutela admissum suspectum licere postulare; si forte grassatus in tutela est, aut sordide egit, vel perniciose pupillo, vel ali-

(d) * L. 2 *C. eod. ait.* : Etsi tutores tui cum pecuniam pupillarem crederent, ipsi stipulati sunt, utilis actio tibi dabitur.

(e) Ergo res ex pecunia pupillari empta, fit res pupilli : contra in pecunia dotali. l. 54. *de jure dotium.*

(a) Nota in crimine suspecti latam culpam dolo aequiparari, ideoque infamem fieri qui removetur ut suspectus ob latam culpam, V. l. 226 *de verborum significationibus.* Secus in lege Cornelia, *de sicariis*, in qua de poena corporali agitur; dicitur enim in lege 7 *ad legem Corneliam*, *de sicariis*; in hac lege dolus pro facto accipitur, nec lata culpa pro dolo accipitur.

(b) * *Lex* 1 §. 2. *ait* ; Sciendum est, suspecti crimen e lege 12. tabularum descendere.

quid intercepit ex rebus pupillaribus jam tutor. l. 3. §. 5. (1)

3. Si tutor inimicus pupillo parentibusve ejus sit, et generaliter si qua justa causa praetorem moverit, cur non debeat in ea tutela varsari, rejicere eum debebit. l. 3. §. 12. (2)

4. Qui ob segnitiem, vel rusticitatem, inertiam, simplicitatem, vel ineptiam remotus sit, in hac causa est, ut integra existimatione tutela vel cura abeat. l. 3. §. ult.

Suspectos tutores ex dolo, non etiam eos qui ob negligentiam remoti sunt, infames fieri manifestum est. l. ult. C. *eod.*

5. Suspectus fieri is quoque qui satis dederit, vel nunc offerat, potest: expedit enim pupillo, rem suam salvam fore, quam tabulas rem salvam fore cautionis habere. l. 5.

Quia satisdatio propositum tutoris malevolum non mulat, sed diutius grassandi in re familiari facultatem praestat. l. 6.

6. Suspectum tutorem eum putamus, qui moribus talis est, ut suspectus sit: enimvero tutor quamvis pauper est, fidelis tamen et diligens, removendus non est quasi suspectus (*e*). l. 8.

In postulandis suspectis tutoribus seu curatoribus non vires patrimoniorum principaliter, sed an (nihil segnitier, nihil) fraudulenter geratur perpendi opertet. l. 5. C. *de suspect. tut. vel cur.*

---

(1) » Sono esclusi dalla tutela ed anche rimovibili le persone di conosciuta cattiva condotta o infedeltà » *Leggi civ. art.* 367)

(2) » Sono esclusi dalla tutela ed anche rimovibili quelle persone la cui amministrazione provasse la loro incapacità » (*Legg. civ art.* 367)

(f) V. l. 17. §. 1. *de testamentaria tutela* l. 21. §. 5. *de tutoribus et curatoribus dandis.*

LIBER XXVII.

TITULUS I.

De excusationibus.

SUMMARIA

1. *Non potest esse curator sponsae sponsus.*
2. *Excusat aetas annorum septuaginta.*
3. *Probatur aetas scriptura nativitatis aliisque demonstrationibus.*
4. *Excusant liberi quinque legitimi superstites, etsi postea moriantur.*
5. *Nondum natus non computatur.*
6. *Nepotes ex filiis, patre mortuo, pro uno filio numerantur.*
7. *Postea nati non prosunt.*
8. *Tres tutelae vel curae excusant, vel etiam una negotiosa.*
9. *Unum patrimonium plurium pupillorum unam tutelam facit.*
10. *Patris tutelae filiofamilias prosunt, et filii patri.*
11. *Roma communis patria.*
12. *Excusant inimicitiae capitales.*
13. *Paupertas.*
14. *Adversa valetudo.*
15. *Affinis tutelae curatoria.*
16. *Mens legislatoris spectanda est, etsi verba legis adversari videantur.*
17. *Plura naturali justitia satis firmantur, etsi lex desit.*

18. *Advertendum quis, a quo, cui, quomodo tutor detur.*
19. *Nec cura civitatis, nec fideiussio tutelae, nec honoraria tutela a tutela excusant.*
20. *Quae singula non excusant, nec simul plurae excusabunt.*
21. *Ignotus parentibus tutor esse potest.*
22. *Qui se immiscuit, non excusatur.*
23. *Excusatio propter litem. V. l. 10.*
24. *Proximitas excusationem non impedit.*
25. *Aut ad tutelam et legatum vocatus a tutela se excusat, a legato repellitur, si tutelae causa relictum sit.*
26. *Ad tutelam et legatum et substitutionem vocatus, si tutelae se excusat, legato privatur, non substitutione.*
27. *Susceptam tutelam deponere potest qui eo morbo vel vitio laborat, quod administrationem impediat.*
28. *Clerici tutelae et curae immunes: sed possunt cognatorum tutelam aut curam suscipere, si velint.*

1. Non potest curator esse sponsae sponsus, ut senatus dicit: creatus autem talis, absolvetur (*a*). l. 1. §. ult. v. 1. *de curat. fur.* n. 8.

2. Excusantur a tutela et curatoria qui septuaginta annos compleverunt (*b*). Excessisse autem oportet septuaginta annos tempore illo, quo creantur. l. 2. l. un. C. *qui aetate*. (1)

(a) Hoc non servamus.

(b) Verum aetas septuaginta annorum superveniens, durante tutela deberet excusationem secum afferre: vix est enim ut septuagenarius rebus propriis superesse possit. *Arg.* l. 40.

(1) » Qualunque persona in età di anni sessantacinque compiti può ricusare di essere tutore. Colui che sarà stato nominato prima di tale età, potrà, giunto a settant'anni, farsi liberare dalla tutela » (*Leggi civ. art.* 355)

3. Ætas autem probatur aut ex nativitatis scriptura, aut aliis demonstrationibus legitimis. l. 2. §. 1.

4. Remittit a tutela vel curatoria et liberorum multitudo. Legitimos autem liberos esse oportet omnes, etsi non sint in potestate. Oportet autem liberos vivos esse, quando tutores patres dantur: qui enim antea decesserunt, his non connumerantur; neque rursus nocent qui postea moriuntur. l. 2. §. 2. 3. 4. (2)

Qui ad tutelam vel curam vocantur, Romae quidem trium liberorum incolumium numero, de quorum etiam statu non ambigitur: in Italia vero quatuor, in provinciis autem quinque, habeat excusationem. l. 1. C. *qui num. lib. se exc.* (3)

5. Qui in ventre est, etsi in multis partibus legum comparatur jam natis (c), tamen neque in praesenti quaestione, neque in reliquis civilibus muneribus prodest patri. l. 2. §. 6.

6. Non solum filii remissionem tutelae tribuunt, e filiae, sed etiam nepotes ex filiis masculis nati, masculi et foeminae: auxiliantur autem tum, quando patre eorum mortuo, illius locum supplent avo. Quotcumque autem nepotes fuerint ex uno filio, pro uno filio numerantur. l. 2. §. 7. l. 2. C. *qui num. lib.* (4)

7. Numerum autem liberorum determinatum constitutionibus esse oportet unicuique, tunc cum creatur:

---

(2) I figli morti in attività di servizio nelle armate del Re saranno sempre computati per dar luogo alla dispensa » (*Leggi civ. art.* 358) V. *appresso la nota* 4.

(3) » Coloro che hanno cinque figli legittimi, sono dispensati da ogni tutela, a riserva di quella de' proprj figli » (*Leggi civ. art.* 358)

(c) Quia aliis non prodest, nisi natus; propter l. 2. §. 8.

(4) » figli morti non faranno numero, se non quando abbiano lasciato figli tuttora viventi » (*Leggi civ. art.* 358)

nam si post creationem generantur, non auxiliantur (d) l. 2. §. 8. (5)

8. Amplius autem, et qui habet tres tutelas, aut tres curatorias, aut commixtim tres curatorias et tres tutelas, et adhuc manentes, hoc est, nondum excedentibus aetatem minoribus, hi excusantur ad tutelam vel curatoriam vocati. l. 2. §. ult. l. un. C. *qui num. tut.*

Caeterum putarem, recte facturum praetorem, si etiam unam tutelam sufficere crediderit, si tam diffusa et negotiosa sit, ut pro pluribus cedat. l. 31. §. 4. V. l. 15. §. 1. (6)

9. Tria autem onera sic sunt accipienda, ut non numerus pupillorum plures tutelas faciat, sed patrimoniorum separatio: et ideo qui tribus fratribus tutor datus est, qui indivisum patrimonium haberent, vel quibusdam tutor, quibusdam curator, unam tutelam suscepisse creditur. l. 3. §. 1.

10. Si pater in tribus fuerit muneribus aut tutelarum aut curatoriarum, filius ejus non vexabitur; et ita constitutum est a divo Severo et Antonino. Hoc autem et e contrario est, quod oportet filii tutelas remissionem patri dare, et rursus utrisque communes, id est, unam filii, et duas patris, aut e converso. Tunc autem haec ita se habent, cum onus uni domui, non separatis contingit (e). l. 4. §. 1.

(d) Ideoque qui in utero est, non prodest.

(5) » La sopravegnenza de' figli durante la tutela non potrà autorizzare ad abdicarla » (*Leggi civ. art.* 359)

(6) » Due tutele sono per chiunque un giusto motivo di dispensa dall' accettarne una terza. Un conjugato o un padre non sarà tenuto ad accettar la seconda, eccettuato quella de' suoi figli » (*Leggi civ. art.* 357)

(e) Ad L. 6. §. 7. hic. V. l. 4. §. 4. *de vacatione public. muneris.*

11. Roma communis patria est (*f*). l. 6. §. 11.

12. Dat remissionem tutelae et capitalis inimicitia a creato facta adversus patrem pupillorum. l. 6. §. 17.

13. Paupertas sane dat excusationem, si quis imparem se oneri injuncto possit probare (*g*). l. 17. §. 5. l. 40.

14. Adversa quoque valetudo excusat, sed ea quae impedimento est quominus quis suis rebus superesse possit. l. 10. §. ult. Et non tantum, ne incipiant, sed et a coepta excusari debent. l. 11. (*h*). Luminibus captus, aut surdus, aut mutus, aut furiosus, aut perpetua valetudine tentus, tutelae sue curae excusationem habet. l. 1. C. *qui morb.* (7)

15. In paucissimis distant curatores a tutoribus. l. 13.

16. Etsi maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult (*i*). l. 13. §. 2.

17. Si quis propter aegritudinem, vel aliam necessitatem (puta maris, vel hyemis, vel incursus latronum, aut aliam quam similem) constituto tempore non poterit venire; ignoscendum ei est: cujus fidem tametsi sufficit firmare ex ipsa naturali justitia, tamen et constitutio imperatorum Veri et Antonini haec dicit. l. 13. §. 7.

18. Non juste dati sunt tutores (*k*); qui dati sunt:

(f) L. 33. *ad municipalem, et de incolis*; l. ult. *de interdictis.*

(g) Paupertas prodest, sed a tali prodesse, libera nos, Domine, ait Glossa.

(h) L. 40. infra.

(7) » Qualunque persona assalita da una infermità grave e debitamente giustificata, e dispensata dalla tutela » (*Leggi civ. art.* 356)

(i) Quoties ex verbis simpliciter intellectis praefertur iniquum aequo, recedimus a verbis et stamus menti, rationique legis. Bald.

(k) L. 221 *de verborum significatione* ait, falsum tutorem vere dici, qui tutor non est; sive habenti tutor datus est, sive non.

a quibus non oportet, aut quos non oportet, aut quibus non oportet, aut quo non oportet modo. l. 13. §. 12.

19. Si civitatis princeps, id est, magistratus, incidente ei creatione, obnoxius fuerit periculo tutelae, hanc non connumerabit aliis tutelis; quemadmodum nec fidejussores tutelae: sed neque qui ob honorem tutores conscripti sunt. l. 15. §. 9.

Sed advertendum ne durius sit hujusmodi excusationes non admittere, cum una tutela negotiosa excuset. *V. s. n.* 8. (8)

20. Qui jura multa poterit dicere, quorum unumquodque per seipsum satis validum non est, an possit excusari quaesitum est (*l*): puta septuaginta quis annorum non est, neque tres habet tutelas, sed neque quinque filios, aut aliquod aliud jus remissionis: habet nimirum duas tutelas, et duos filios, et sexaginta annorum est, aut alia quaedam talia dicit, per se ipsa quidem perfectum auxilium non praebentia, quae tamen si invicem conjuncta sint, justa appareant: sed visum est, hunc non excusari. l. 15. §. 11. l. un. in f. C. *qui num. tutel.*

21. Qui dixerit, se ipsum ignotum esse patri vel matri pupilli, ea de causa liberandus non est. l. 15. §. 14.

22. Qui jam se miscuerint administrationi (non excusantur (*m*)). l. 17. §. 5.

---

(8) » Sono dispensati dalla tutela tutti i cittadini che esercitano un pubblico impiego fuori della provincia in cui dee conferirsi la tutela; i militari in attività di servizio, e tutti coloro che hanno una missione del Re fuori del territorio del regno » (*Leggi civ. art.* 349, 350)

(l) Tamen, quae non prosunt singula, multa juvant.

(m) Exceptiones rei petitorem sua actione depellentis.

Tutores quos postea quam bona pupillorum administraverunt, a praeside provinciae, quasi re integra, excusari se impetrasse adseveras (u), periculum administrationis civitate minime posse manifestum est. l. 2. C. *si tut. vel cur. fals. alleg. excus.* (9)

23. Propter litem, quam quis cum pupillo habet, excusare se a tutela non potest; nisi forte de omnibus bonis, aut plurima parte eorum controversia sit l. 21. V. *l.* 6. §. 18. (10)

Si (ut allegas) tutor his datus es, cum quibus disceptationem haereditatis tibi esse proponis, et tempora antiquitus excusationibus praestituta etiam nunc opitulantur; adire praesidem provinciae potes, formae super ea (re) statutorum principalium obtemperari, pro sua gravitate, jussurum. l. 16. C. *eod.*

Humanitatis ac religionis ratio non permittit, ut adversus sororem, vel filios sororis actionum necessitates tutelae occasione suscipias; cum et ipsius etiam pupilli cui tutor datus es, aliud videatur exigere utilitas: scilicet ut eum tutorem potius habeat, qui ad defensionem ejus non inhibeatur affectu. Juxta formam igitur quam consulti dedimus, praetorem adiri oportet, ut

---

(u) L. 18. *ait*: Bello amissi liberi in acie tantum non in obsidione prosunt ad excusationem, cujuscunque sexus vel aetatis sint. Verum nec foeminae, nec impuberes admittebantur in numeros militiae.

(9) » I cittadini che hanno accettato la tutela posteriormente alle funzioni, servigj o missioni che li dispensano, non saranno più ammessi a chiedere di esserne liberati per le stesse cause » (*Leggi civ. art.* 352)

(10) » Non possono essere tutori tutti quelli che hanno, o de' quali il padre o la madre avesse col minore una lite in cui fossero compromessi lo stato, o le sostanze di una parte considerevole de' beni dello stesso minore » (*Leggi civ. art.* 365)

et justo tuo desiderio, et pupilli ipsius commodo consulatur. l. 23. C. *eod.*

24. Qui privilegio subnixus est, fratris curationem suscipere non cogitur (o). l. 30. §. 2.

25. Qui non jure datus (sit) vel tutor vel curator a patre, confirmatus a praetore, excusationis beneficio uti maluit, repellendus est a legato (p). l. 32.

Non semper tamen existimo, eum qui onus tutelae recusavit, repellendum a legato: sed ita demum si legatum ei ideo adscriptum appareat, quod eidem tutelam filiorum injunxit, non quod alioquin daturus esset, etiam sine tutela (q). d. l.

26. Amicissimos quidem et fidelissimos parentes liberis tutores eligere solere, et ideo ad suscipiendum onus tutelae etiam honore legati eos persequi: sed cum proponatur, is de quo quaeritur, in testamento legatum meruisse, et idem pupillo substitutus, non est verisimile hunc demum eum testatorem substituere voluisse, si et tutelam suscepisset: et ideo eum de quo quaeritur, a legato quidem, si adhuc viveret pupillus, repellendum fuisse (r); a substitutione autem non esse sum-

---

(o) Idem de patre qui privilegio fretus, potest liberorum tutelam recusare.

(p) In dubio legatum praesumitur purum et non conditionale, quia legatum est donatio, et donatio fit propter liberalitatem; praeterea haeres tenetur probare exceptionem quam opponit legatario.

(q) Quid de exequutore testamentario? Distinctionem legis sequi oportet. Vide supra n. 10. *de his quae ut indignis auferuntur*: l. 25. C. *de legatis*. V. l. 111. *de legatis*, 1 V. Domat. *de testamentis*. t. 1. §. 8, n. 33. V. l. 36. infra l. 76. §. 6. *de legatis*. 2. l. 12. §. 4. *de religiosis*. l. 10. *de annuis legatis*.

(r) Nota: Substitutus impuberi potest ei tutor testamento dari, non vero a jure propter suspicionem sperandae haereditatis. Arg. l. 1. §. 1. *ubi pupillus educari vel morari debeat*.

movendum; cum eo casu etiam suscepta tutela finiretur (s) l. 36.

27. Post susceptam tutelam, coecus, aut surdus, aut mutus, aut furiosus, aut valetudinarius deponere tutelam potest. l. 40. V. l. 3. C. *qui dare tut.* l. 10. §. ult. l. 11. (11)

28. Generaliter sancimus, omnes vivos reverendissimos episcopos, nec non presbyteros, diaconos, et subdiaconos . . . immunitatem ipso jure omnes habere tutelae sive testamentariae, sive legitimae, sive dativae: et non solum tutelae eos esse expertes, sed etiam curae non solum pupillorum et adultorum, sed et furiosi, et muti, et surdi, et aliarum personarum quibus tutores vel curatores a veteribus legibus dantur. l. 52. C. *de episc. et cler.* Propter hoc ipsum beneficium indulgemus, ut aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhaereant (t). d. l.

Deo autem amabiles episcopos . . . ex nulla lege tutores aut curatores cujuscunque personae fieri permittimus. Presbyteros autem, et diaconos, et subdiaconos jure et lege cognationis tutelam aut curam suscipere haereditatis permittimus, etc. Nov. 123. c. 5.

(s) Substitutio enim pupillaris confertur in id tempus quo tutela finitur, scilicet post mortem pupilli. V. l. 51. *de usufructu*.

(11) » Qualunque persona potrà ottenere di esser liberata dalla tutela, se ha contratto la infermità anche dopo la sua nomina » (*Leggi civ. art.* 356) Vedi la nota 6.

(t) Et opprobriosum est clericis si peritos se velint ostendere rerum esse forensium. l. 41. C. *de episcopis et clericis*. Excepto casu l. 17. C. *eod.* ubi dicitur. Placet nostrae clementiae, ut nihil commune clericis cum publicis actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi, habeant.

TITULUS II.

Ubi pupillus educari vel morari debeat : et de alimentis ei praestandis (a).

SUMMARIA.

1. *Ubi educandus pupillus statuit judex advocatis pupilli propinquis.*
2. *Modus alimentorum pro modo facultatum, qualitate pupilli, et rerum statu.*
3. *Tutor de suo non alit pupillum.*

1. Solet praetor frequentissime adiri, ut constituat ubi filii vel alantur, vel morentur, non tantum in posthumis, verum omnimo in pueris. Et soles ex persona, ex conditione, (et) ex tempore statuere, ubi potius alendus sit : et nonnunquam a voluntate patris recedit praetor. Denique cum quidam testamento suo cavisset ut filius apud substitutum educaretur, imperator Severus rescripsit, praetorem aestimare debere, praesentibus caeteris propinquis liberorum : id enim agere praetorem oportet, ut sine ulla maligna suspicione alatur partus, et educetur. l. 1. d. l. §. 1.

Educatio pupillorum tuorum nulli magis quam matri eorum, si non vitricum eis induxerit, committenda est. Quando autem inter eam et cognatos et tutores super hoc orta fuerit dubitatio, aditus praeses provinciae, inspecta personarum qualitate et conjunctione, perpen-

(a) *Lex* 1 §. 3 de liberis exhibendis, *ait* : Interdum magis apud matrem, quam apud patrem morari filius debet ex justissima causa.

det ubi puer educari debeat. Sin autem aestimaverit apud quem educare debeat, necessitatem habebit hoc facere quod praeses jusserit. l. 1. C. *eod.*

Utrum nepos tuus ex filia apud te, an apud patruum suum morari debeat, ex singulorum affectione, et qui magis ad suspicionem ex spe successionis propior sit, aestimabitur. l. 2. C. *eod.* (1)

2. Jus alimentorum decernendorum pupillis praetori competit; ut ipse moderetur quam summam tutores vel curatores ad alimenta pupillis vel adolescentibus praestare debeant. Modum autem patrimonii spectare debet cum alimenta decernit; et debet statuere tam moderate ut non universum reditum patrimonii in alimenta decernat, sed semper sit, ut aliquid ex reditu supersit. l. 3. d. l. §. 1.

Si pater statuit alimenta liberis, quos haeredes scripserit, ea praestando, tutor repulare poterit; nisi forte ultra vires facultatum statuerit: tunc enim imputabitur ei, cur non adito praetore desideravit alimenta minui. l. 2. §. ult.

Quod plerumque postulatur, ut arbitrio praetoris alimenta pro modo facultatum pupillis vel juvenibus constituantur, pro officio suo, qui aliena negotia gerunt, ne apud judicem controversiam habeant (*b*), faciunt. (2)

---

(1) Su questo geloso ed importante punto della educazione, il nostro codice nulla prescrive di preciso, contentandosi di dire in generale, che il tutore avrà cura della persona del minore (*art* 373)

(b) *Lex* 3. C. de administratione et periculo tutorum, *habet.* Quod a tutoribus bona fine erogatur, potius justitia quam aliena auctoritate firmatur.

(2) » Al momento in cui s' incomincerà l' esercizio di qualunque tutela (ad eccezione di quella del padre), il consiglio di famiglia stabilirà con calcolo prudenziale e secondo l' importare de' beni amministrati, la somma cui potrà ascendere la spesa annua del minore » (*Leggi civ. art.* 377).

Caeterum, si bonus vir et innocens tutor arbitrio suo aluit pupillos (quod interdum etiam necesse est fieri, ne secreta patrimonii et suspectum aes alienum pandatur (c): quod melius est interim taceri, quam cum de modo bonorum quaeritur, ultro proferri, et apud acta jus dicentis contra utilitatem pupillorum designari) a non dubie accepto ferre debebunt ea quae vir bonus arbitratur merito ad exhibitionem educationis ministeria studiaque erogata esse. Nec ferendus est juvenis, qui cum praesens esset, studiisque eruditus atque alitus esset, si ea per alium se consecutum non probet, sumptus recuset, quasi vento vixerit (d), aut nullo liberi hominis studio imbui meruerit. l. 2. C. *de alim. pup. praest.*

3. Sed si egeni sunt pupilli, de suo eos alere tutor non compellitur; et si forte post decreta alimenta, ad egestatem fuerit pupillus perductus, deminui debent quae decreta sunt; quemadmodum solent augeri, si quid patrimonio accesserit. l. 3. §. ult.

(c) Potest etiam ex hac causa tutor bonus vir et innocens non facere inventarium.

(d) Tutor praesumitur aluisse pupillum.

TITULUS III.

De tutelae et rationibus distrahendis, et utili curationis causa actione.

SUMMARIA.

1. *Tutor praestat culpam, et diligentiam qualem in rebus suis.*
2. *Potest tutor, auctore praetore, diminuere pupilli patrimonium in alimenta matris ejus, aut sororis si egeant.*
3. *Debet rationes actus sui conficere.*
4. *Sumptus litium, et viatica tutor reputabit.*
5. *Contra plures tutores dividitur actio pupilli, si solvendo sint.*
6. *Qui pro contutore solvit, habet regressum, licet ei actiones mandatae non sint.*
7. *Prius ad fidejussores tutoris venitur quam ad contutores.*
8. *Morte alterutrius et pubertate finitur tutela.*
9. *Non subministrat tutor impensas contra se litiganti pupillo, dum id agitur an ipse debeat.*

1. In omnibus quae fecit tutor cum facere non deberet, item in his quae non fecit, rationem reddet hoc judicio: praestando dolum, culpam, et quantam in rebus suis diligentiam. l. 1.

Quidquid tutoris dolo vel lata culpa, aut levi, seu curatoris, minores amiserint, vel cum possent, non adquisierint (*a*), hoc in tutelae, seu negotiorum gesto-

(a) Lucrum cessans. V. l. 13. *ratam rem haberi.*

rum utile judicium venire non est incerti juris. l. 7. C. *arb. tut.* (1)

2. Nonnullos casus posse existere (Julianus scripsit), quibus sine reprehensione tutor auctor fit pupillo ad deminuendum, decreto scilicet interveniente; veluti si matri aut sorori, quae aliter se tueri non possunt, tutor alimenta praestiterit: nam cum bonae fidei judicium sit, nemo feret (inquit) aut pupillum, aut substitutum ejus querentes, quod tam conjunctae personae alitae sint (*b*). Quin imo per contrarium putat posse cum tutore agi tutelae, si tale officium praetermiserit. l. 1. §. 2.

Praeterea si matrem aluit pupilli tutor, putat Labeo imputare eum posse: sed est verius, non, nisi perquam egenti dedit, imputare eum oportere de largis facultatibus pupilli: utrumque igitur concurrere oportet, ut et mater egena sit, et filius in facultatibus positus (*c*). d. l. 1. §. 4. (2)

3. Officio tutoris incumbit, etiam rationes actus sui conficere, et pupillo reddere. l. 1. §. 3. (3)

4. Sumptus litis tutor reputabit, et viatica, si ex

---

(1) Il tutore amministrerà da buon padre di famiglia i beni del minore, e sarà risponsabile di ogni danno ed interesse che potesse risultare da una cattiva amministrazione » (*Leggi civ. art.* 373)

(b) Sed non dabit dotem sorori alio patre natae, etiamsi aliter ea nubere non potuit. l. 12 §. 3 *de administratione et periculo tutorum.*

(c) Iniquissimum enim quis merito dixerit matrem agere, cum filius sit in facultatibus. l. l. 5 §. 13 *de agnoscendis et alendis liberis, vel parentibus.*

(2) » Il tutore rappresenterà il minore in tutti gli atti civili — I figli sono tenuti a somministrare gli alimenti ai loro genitori ed ascendenti bisognosi; i fratelli e le sorelle impotenti a procacciarsi il vitto hanno il diritto a chiedere gli alimenti da' loro fratelli e sorelle » (*Leggi civ. art.* 195, 197, 373)

(3) » Qualunque tutore, finita la tutela, è tenuto a render conto della sua amministrazione » (*Leggi civ. art.* 392)

officio necesse habuit aliquo excurrere, vel proficisci. l. 1. §. 9. (4)

5. Si omnes (tutores) simul gesserunt tutelam, et omnes solvendo sunt (d), aequissimum erit, dividi actionem inter eos, pro portionibus virilibus, exemplo fidejussorum. Sed et si non omnes solvendo sint, inter eos qui solvendo sunt, dividitur actio; sed prout quisque solvendo est, poterunt conveniri. l. 1. §. 11. 12.

6. Etsi forte quis ex facto alterius tutoris condemnatus praestiterit, vel ex communi gestu, nec ei mandatae actiones, constitutum est a divo Pio, et ab imperatore nostro et divo patre ejus, utilem actionem tutori adversus contutorem dandam (e). l. 1. §. 13.

7. Usque adeo autem ad contutores non venitur, si sint solvendo contutores, ut prius ad fidejussores veniatur (f). l. 1. §. 15.

8. Finitur tutela non solum pubertate, sed etiam morte tutoris vel pupilli. l. 4.

9. Imperatores Severus et Antoninus rescripserunt in haec verba: *Cum hoc ipsum quaeratur, an aliquid tibi a tutoribus vel curatoribus debeatur, non habet rationem postulatio tua, volentis in sumptum litis ab his tibi pecuniam subministrari* (g). l. 17.

---

(4) » Si ammettono in favore del tutore tutte le spese a sufficienza giustificate, il cui oggetto si riconosca vantaggioso » (*Leggi civ. art.* 894)

(d) Tutores tenentur quidem in solidum, sed dumtaxat in subsidium, et non tanquam correi promittendi, quia non sponte obligati sunt.

(e) Idem ergo inter correos; secus inter confidejussores, nisi sint ἀλληλέγγυοι. Tunc enim alter alterius negotium gerit.

(f) *Lex* 1 §. 14 *habet*: Si duo tutores dolum commiserint et unus solverit, regressum non habet adversus alterum: nec ei mandandae sunt actiones, quia in delictis non est societas. V. l. 15.

(g) Quidam tamen sunt casus in quibus cogitur, quis sumptus adversus se ipsum subministrare, verbi gratia, si bona minori non reddiderit.

TITULUS IV.

De contraria tutelae, et utili actione.

SUMMARIA.

1. *Tutori pupillus obligatur ex administratione.*
2. *Tutor impensas reputat.*
3. *Non praescribit pupillus contra tutorem, tutela durante.*
4. *Sumptus ex officio facere debet tutor quos convenit.*
5. *Tutori debentur usurae pecuniae quam de suo consumpsit.*
6. *In bene gestis non nocet tutori eventus.*

1. Contrariam tutelae actionem praetor proposuit, induxitque in usum, ut facilius tutores ad administrationem accederent, scientes pupillum quoque sibi obligatum fore ex sua administratione. l. 1.

2. Si tutelae judicio quis convenietur, reputare potest id quod in rem pupilli impendit. l. 1. §. 4.

3. Ego, et si ex causa, quae tempore finitur, obligatio aliqua fuit, tutelae contrarium judicium esse ei. opinor (a). l. 1. §. 7. V. l. 8. et l. 19. ff. *de neg. gest.* (1)

4. Quid ergo, si plus in eum impendit, quam est in facultatibus? videamus an possit hoc consequi? Et Labeo scribit, posse. Sic tamen accipiendum est, si expedit pupillo ita tutelam administrari. Caeterum si

(a) Praescriptio.

(1) » Ma qualunque azione del minore contro il tutore, relativa alla tutela, si prescrive in dieci anni computabili dal tempo della maggior età » (*Leggi civ. art.* 398)

non expedit, dicendum est absolvi pupillum oportere: neque enim in hoc administrantur tutelae, ut mergantur pupilli. Judex igitur qui contrario judicio cognoscit, utilitatem pupilli spectabit, et an tutor ex officio sumptus fecerit. l. 3.

Sumptus in tuum pupillum necessarios, et ex justis honestisque causis judici, qui super ea re cogniturus est, si probabuntur (facti) accepto ferentur, etiamsi praetoris decretum de dandis eis non sit interpositum. Id namque quod a tutoribus sive curatoribus bona fide erogatur, potius justitia, quam aliena auctoritate firmatur. l. 3. C. *de adminis. tut. vel curat.*

5. Consequitur tutor pecuniam, si quam de suo consumpsit, etiam cum usuris (*b*). l. 3. §. 1.

Si tamen fuit in substantia pupilli, unde consequeretur, dicendum est, non oportere cum usuras a pupillo exigere. d. l. §. 5. (2)

6. Sufficit tutori bene et diligenter negotia gessisse, etsi eventum adversum habuit quod gestum est. l. 3. §. 7. (c).

(b) Usuras utrum tamdiu consequitur tutor quamdiu tutor est, an etiam post finitam tutelam videamus: an ex mora tantum, et magis est ut quoad ei reddatur pecunia consequatur; nec etiam debet ei sterilis esse pecunia. l. 3 §. 4. V. l. 37 §. 1 *de legatis* 2.

(2) » Gl' interessi della somma che dal minore fosse dovuta al tutore, non decorreranno se non dal giorno della domanda giudiziale per lo pagamento fatto dopo l' ultimazione del conto » (*Leggi civ. art.* 397)

(c) V. l. 10 §. 1 *de negotiis gestis.*

TITULUS V.

De eo qui pro tutore, prove curatore negotia gessit.

SUMMARIA.

1. *Pro tutore gerit qui cum tutor non sit, tutelam gerit.*
2. *Protutor ea praestat quae tutor.*
3. *Eademque ei praestantur quae tutori.*

1. Pro tutore negotia gerit, qui munere tutoris fungitur in re impuberis (*a*), sive se putet tutorem, sive scit non esse, finget tamen (esse). l. 1. §. 1.

2. Qui pro tutore gerit negotia, eandem fidem et diligentiam prestat, quam tutor praestaret. l. 4.

3. Ei, qui pro tutore negotia gessit, contrarium judicium competit (b). l. ult.

(a) Vitricus pupilli est ejus protutor. Haeres tutoris est ejus protutor in rebus a tutore inchoatis.

(b) * *Lex* 28 de solutionibus, *ait*, *quod* solutio facta protutori non liberat debitorem, nisi pecunia in rem pupilli versa sit.

TITULUS VI.

Quod falso tutore auctore gestum esse dicatur (*a*).

SUMMARIA.

1. *Ei qui sciens vult decipi non subvenitur.*

1. Scienti non subvenit (praetor) merito ; quoniam ipse se decepit. l. 1. §. 6. (*b*).

TITULUS VII.

De fidejussoribus, et nominatoribus, et haeredibus tutorum et curatorum.

SUMMARIA.

1. *Haeres tutori inchoata debet explicare.*
   Si ipse haeres gerit, tutelae tenetur.
2. *Haeres tutoris non nisi de lata culpa ex proprio facto tenetur.*
3. *Eadem praestat fidejussor, quae tutor.*
4. *Et easdem habet reputationes.*

(a) In editione Haolandri legitur : Si cum falso tutore, etc. Graeci sic explicant l. 10. πλαστου επιτροπου περιπεσειν το κληρον το εγχωντα επ.ρ ημει.. ν εχε εν αληθες οντος επιτροπου. v. l. 8. *de rebus eorum.* l. 3. C. *de tutore vel curatore qui satis non dedit.* 1. Si falso tutore actum sit et interea dies exierit aut res usu capta sit, omnia incommoda perinde sustinere debet ac si illo tempore, vero tutore auctore egisset. Cujas 22 obs. 19 intelligit hanc legem, si quis cum falso tutore egerit, nihilominus currit praescriptio et usucapio. (l. 18 et 21 *de rei vindicatione*). Nec tamen pupillus tenetur solvere aut rem restituere ; sed actio datur adversus falsum tutorem utpote in dolo, ut actori praestet id omne quod interest. Cujas reprehendit hic glossam.

(b) V. l. 43 §. 1 *de contrahenda emptione.*

5. *Affirmator tenetur ut fidejussor.*
6. *Hœres tutoris et administrationis et cessationis rationem reddit.*

1. Quamvis haeres tutoris tutor non est (c), tamen ea quae per defunctum inchoata sunt, per haeredem, si legitimae aetatis et masculus sit, explicari debet; in quibus dolus ejus admitti potest (d) l. 1.

Si post mortem tutoris haeres ejus negotia pupilli gerere perseveraverit, aut in arca tutoris pupilli pecuniam invenerit et consumpserit, vel eam pecuniam quam tutor stipulatus fuerat, exegerit; tutelae judicio cum teneri suo nomine. l. 4.

2. Haeredes tutorum ob negligentiam quae non latae culpae comparari possit, condemnari non oportet, si non contra tutorem lis inchoata est, neque ex damno pupilli lucrum captatum, aut gratia praestitum sit. l. 1. C. *de haered. tut. vel cur.* (e)

3. Etiam fidejussorem et heres ad rationem eandem usurarum fidejussorem et heredes revocandos esse constat, ad quam et tutor revocatur. l. 3.

(c) Haeres tutoris non est protutor in rebus inchoatis a defucto.

(d) L. 14 §. 1. Negligentia plane propria haeredi non imputabitur. Dom. Domat intelligit: modo haeres nihil gerere debeat, quia nil erat imperfectum.

(e) Quidam hanc legem intelligunt de facto tutoris, ut haeres ejus teneatur dumtaxat de lata culpa tutoris., non de levi. Contra Cujas 13 obs. c. 39 credit primam negationem tam in 5 l. quam in l. 2 C. *de magistratibus conveniendis*, et ait haeredes tutorum et magistratuum non teneri de lata culpa defuncti, nisi lis contra defunctum inchoata sit, vel lucrum aliquod ad haeredem pervenerit: quia licet actio tutelae ex quasi contractu descendat, tamen ea quae dicitur in inst. tit. *de perpet. et tempor. action.* aliquando ex contractu actionem in haeredem non dari, veluti cum testator dolose versatus sit, et ad haeredem ejus nihil ex dolo pervenit.

4. Si cum fidejussoribus tutoris ex stipulatione *rem salvam fore* agetur, easdem reputationes habebunt, quas tutor. l. 5.

5. Eadem causa videtur adfirmatorum, qui scilicet, cum idoneos esse tutores adfirmaverint, fidejussorum vicem sustinent. l. 4. in fine.

6. Haeredes eorum qui tutelam vel curam administraverunt, si quid ad eos ex re pupilli vel adulti pervenerit, restituere coguntur. In eo etiam quod tutor vel curator administraverit, rationem reddere eas debere, non est ambigendum. l. ult. C. *de haered. tut.*

Pater vester, tutor vel curator datus, si se non excusavit, non ideo vos minus haeredes ejus tutelae vel utile judicio conveniri potestis, quod eum tutelam seu curam non administrasse dicitis: nam et cessationis ratio reddenda est. l. 2. *eod.*

(*) TITULUS VIII. *De magistratibus conveniendis.*

(*) *Lex ultima habet*: An in magistratus actione data cum usuris sors exigi debeat, an vero usurae peti non possint; quoniam constitutum est poenarum usuras peti non posse quaesitum est, et rescriptum est usuras peti posse, quoniam eadem in magistratibus actio datur, quae competit in tutores. V. l. 68 *de fidejussoribus.* l. 17. §. ult. *ad municipalem.* l. 21. §. 1. *eod.* l. 24 *eod.* l. [illegible] C. *de usur. fisco.*

TITULUS IX.

De rebus eorum qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto non alienandis, vel supponendis.

SUMMARIA

1. *Praedia minorum non alienanda, nec praetextu transactionis.*
2. *Propter aes alienum minoris ejus praedia venire possunt, auctore praetore, si caetera bona non sufficiant.*
3. *Non distraenda praedia minoris, nisi propter aes alienum, cum aliunde exolvi non possit.*
4. *Si praetori obreptum sit, restituitur minor adversus tutorem et emptorem.*
5. *Eorum qui sub tetela vel cura sunt praedia, non nisi causa cognita, a praetore alienantur.*
6. *Nec vitiosus ager pupilli vendi debet.*

1. Imperatoris Severi oratione prohibiti sunt tutores et curatores praedia rustica vel suburbana distrahere (*a*). l. 1.

Non solum per venditionem rustica praedia vel suburbana pupilli vel adolescentis alienare prohibentur, sed neque transactionis ratione (*b*), neque permutatione, et multo magis donatione, vel alio quoquo modo ea transferre, sine decreto, a dominio suo possunt.

(a) Ergo ante hoc senatusconsultum licebat rustica et suburbana distrahere.

(b) Idem de Ecclesia, quae non potest transigere nisi in transactione, res quae controversiam patitur apud ecclesiam remaneat.

Igitur et tu si fratribus tuis per transactionem fundum dedisti, vindicare (c) eum potes. Sed et si quid invicem ab eis ex eodem pacto consecutus es, id mutuo restituere debes (d). l. 4. C. *de praed. et al. reb. minorib.* (1)

2. Quod si forte aes alienum tantum erit, ut et rebus caeteris non possit exsolvi, tunc praetor urbanus vir clarissimus adeatur, qui pro sua religione aestimet, quae possint alienari, obligarive debeant; manente pupillo actione, si postea potuerit probari, obreptum esse praetori. Si communis res erit, socius ad divisionem provocet; aut si creditor, qui pignori agrum a parente pupilli acceperit, jus exequetur, nihil novandum. l. 1. §. 2.

Ob aes alienum tantum, causa cognita, praesidiali decreto praedium rusticum minoris provinciale distrahi permittitur. l. 12. C. *de praed. et al. reb. min.* (2)

3. Non passim tutoribus sub obtentu aeris alieni permitti debuit venditio; namque non esse viam eis distractionis tributam. Et ideo praetori arbitrium hujus rei senatus dedit. Cujus officio in primis hoc convenit

---

(c) Ergo dominium non transmittitur in acquirere volentem.

(d) Quia omnis restitutio est reciproca. l. 24 *de minoribus.*

(1) » Il tutore non può alienare o ipotecare i beni immobili del minore, senza l' autorizzazione di un consiglio di famiglia » (*Leggi civ. art.* 380)

(2) » L' autorizzazione di alienare i beni immobili del minore non dev' essere accordata, fuorchè per causa di assoluta necessità — Il consiglio di famiglia indicherà gli stabili che dovranno in preferenza esser venduti, e tutte le condizioni che giudicherà vantaggiose — Le deliberazioni del consiglio di famiglia relative a quest' oggetto non avranno esecuzione, se non dopo che il tutore ne avrà chiesta ed ottenuta l' omologazione dal tribunale civile » (*Leggi civ. art.* 380 e 381)

excutere, an aliunde possit pecunia ad extenuandum aes alienum expediri. Quaerere ergo debet, an pecuniam pupillus habeat vel in numerato, vel in nominibus quae conveniri possunt, vel in fructibus conditis, vel etiam in redituum spe, atque obventionum. Item requirat, num aliae res sint praeter praedia, quae distrahi possunt, ex quarum pretio aeri alieno satisfieri possit. Si igitur deprehenderit non posse aliunde exsolvi, quam ex praediorum distractione, tunc permittet distrahi; si modo urgeat creditor, aut usurarum modus parendum aeri alieno suadeat. l. 5. §. 9.

Quoties desideratur a *praetore*, ut remittat distrahi, requirere debet eum qui se instruat de fortunis pupilli, nec nimium tutoribus vel curatoribus credere, qui nonnunquam lucri sui gratia adseverare praetori solent, necesse esse distrahi possessiones, vel obligari. Requirat ergo necessarios pupilli vel parentes (*e*). d. l. §. 11. Jubere debet edi rationes, itemque synopsim bonorum pupillarium. d. §. 11.

Non passim distrahi jubere praetori tributum est, sed ita demum si urgeat aes alienum. d. l. §. 14. in f. (3)

4. Manet actio pupillo, si postea poterit probari obreptum esse praetori. Sed videndum est utrum in rem an in personam dabimus ei actionem? Et magis est, ut in rem detur (*f*), non tantum in personam adversus tutores sive curatores. l. 5. §. 15.

(e) Opus est cognatorum conventu. Opus est brevi rationum statu.

(3) Vedi la nota precedente.

(f) L. 15 §. 1 *de minoribus*. l. 39. *de evictionibus*.

Etsi praeses provinciae decreverit alienandum vel obligandum pupilli suburbanum vel rusticum praedium, tamen actionem pupillo, si falsis allegationibus circumventam religionem ejus probare possit, senatus reservavit: quam exercere tu quoque non vetaberis. l. 5. C. *de praed. et al. reb. min.*

5. Si praedia minoris vigintiquinque annis distrahi desiderentur, causa cognita praeses provinciae debet id permittere. Idem servari oportet, et si furiosi vel prodigi, vel cujuscunque alterius praedia curatores velint distrahere (g). l. 11. (4)

Quid si ex ejus pretio melior comparari possit?

6. Si fundus sit sterilis, vel saxosus, vel pestilens, videndum est an alienare eum non possit (h). Et imperator Antoninus et D. pater ejus in haec verba rescripserunt. *Quod allegastis, infructuosum esse fundum quem vendere vultis, movere nos non potest: cum utique pro fructuum modo pretium inventurus sit.* l. 13. (5)

TITULUS X.

De curatoribus furioso, et aliis extra minores dandis.

SUMMARIA.

1. *Furioso et prodigo datur curator, dum resipiscant.*
2. *Filius patri curator dari potest furioso, non prodigo: datur et matri furiosae.*

(g) Eadem ratio furiosorum et pupillorum; secus autem in praescriptione, quia est alienatio legalis. Quid, opusne discutere mobiliaria amentium antequam ex decreto eorum immobilia adjudicentur? Consule proprium loci usum.

(4) » Il tribunale civile deciderà nella camera del consiglio, sentito il procuratore regio » (*Leggi civ. art.* 381)

(h) Bona amentium naturam mutare possunt; secus minorum bona.

(5) Concorda. *Leggi civ. art.* 380, §. 2.

3. *Dantur curatores his qui rebus suis superesse non possunt, etiam filii parentibus.*
4. *Curator datur haereditati, dum haeres deliberat.*
5. *Personae et bonis furiosi curator praeponitur.*
6. *Curator bonis ventris nomine.*
7. *Alienare non potest cui bonis interdicitur.*
8. *Uxori vir non datur curator.*
9. *Mulieri bonis interdici potest.*
10. *Furioso per intervalla resipicenti curator ad vitam perseverat ut cura fungatur, dum furor redit.*

1. Lege 12 tabularum, prodigo interdicitur bonorum suorum administratio; quod moribus quidem ab initio introductum est. Sed solent hodie praetores vel praesides, si talem hominem invenerint, qui neque tempus (a), neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando et dissipando profudit, curatorem ei dare, exemplo furiosi. Et tamdiu erunt ambo in curatione, quamdiu vel furiosus sanitatem, vel ille sanos mores receperit: quod si evenerit, ipso jure (b) desinunt esse in potestate curatorum. l. 1. (1)

2. Curatio autem ejus, cui bonis interdicitur, filio negabatur permittenda. Sed exstat D. Pii rescriptum,

(a) V. l. 12 §. 2 *de tutoribus et curatoribus datis.*

(b) Hoc verum est de furioso qui ipso jure bonis interdicitur; secus de prodigo cui per judicem interdicitur: nam unumquodque eodem modo solvitur quo contractum est. l. 35 *de diversis regulis juris.*

(1) » All' interdetto (per imbecillità, per demenza o per furore) dee interdirsi l' amministrazione de' beni — Egli è uguagliato al minore per ciò che riguarda la sua persona ed i suoi beni — Si destinerà all' interdetto un tutore ed un surrogato tutore — Può essere proibito ai prodighi di stare in giudizio, di transigere, di prendere danaro a prestito, di riscuotere capitali e di farne quitanze, di alienare, di aggravare i loro beni d' ipoteca, senza l' assistenza di un consulente che loro è nominato dal tribunale » (*Leggi civ. art.* 412, 432 e 436)

filio potius curationem permittendam in patre furioso si tam probus sit. l. 1. §. 1. (c).

Furiosae matris curatio ad filium pertinet: pietas enim parentibus, etsi inaequalis est eorum potestas, aequa debebitur. l. 4.

3. Sed et aliis dabit proconsul curatores, qui rebus suis superesse non possunt, vel dari jubebit: nec dubitabit filium quoque patri curatorem dari. l. 2.

4. Dum deliberant haeredes instituti adire, bonis a praetore curator datur. l. 3.

5. Consilio et opera curatoris tueri debet non solum patrimonium, sed et corpus ac salus furiosi. l. 7. (2)

6. Bonorum ventris nomine curatorem dari oportet. l. 8. (3)

7. Julianus scribit, eos quibus per praetorem bonis interdictum est, nihil transferre posse ad aliquem, quia in bonis non habeant, cum eis deminutio sit interdicta. l. 10. (4)

8. Virum uxori mente captae curatorem dari non oportet. . l. 14.

Maritus, etsi rebus uxoris suae debet affectionem (*d*),

(c) L. 12 §. 1. *de tutoribus et curatoribus datis.*

(2) » L' interdetto è uguagliato al minore per ciò che riguarda la sua persona ed i suoi beni » (*Leggi civ. art.* 432)

(3) Se alla morte del marito la moglie trovasi incinta, verrà nominato un curatore al ventre dal consiglio di famiglia » (*Leggi civ. art.* 315)

(4) » Può essere proibito ai prodighi di stare in giudizio, di transigere, di prendere danaro a prestito; di riscuotere capitali e di farne quitanze, di alienare, di aggravare i loro beni d' ipoteca, senza l' assistenza di un consulente che loro, è nominato dal tribunale. » (*Leggi civ. art.* 436)

(d) Quid, aditio haereditatis facta per amentis. Curatorem potest ne amentem obligare? Lex ultima §. 2. et sequ. et §. 8 C. h. t. ait nequaquam; et suis etiam haeredibus repudiandi libertatem concedit. At distinguendum inter factum curatoris, et simplicem omissionem. Factum non inducit alterius obligationem, omissio vero est irreparabilis.

tamen curator ei creari non potest. l. 2. C. *qui dare tut. vel cur.* (5)

9. Et mulieri quae luxuriose vivit, bonis interdici potest. l. 15.

10. Sancimus (cum incertum est in hujusmodi furiosis hominibus, quando resipuerint, sive ex longo sive propinquo spatio, et impossibile est in confinio furoris et sanitatis eum saepius constitui (e), et post longum tempus sub eadem esse varietate, ut in quibusdam videatur etiam pene furor esse remotus) curatoris creationem non esse finiendam, sed manere quidem eum donec talis furiosus vivit, quia non est pene tempus in quo hujusmodi morbus desperatur; sed per intervalla quae perfectissima sunt, nihil curatorem agere, sed ipsum posse furiosum, dum sapit, et haereditatem adire, et omnia alia facere quae sanis hominibus competunt. Sin autem furor stimulis suis iterum eum accenderit, curatorem in contractu suo coniungi: ut nomen quidem curatoris in omne tempus habeat, effectum autem quoties morbus redierit: ne crebra vel quasi ludibriosa fiet curatoris creatio, et frequenter tam nascatur, quam desinere videatur. l. 6. C. *de cur. fur. vel prod.*

---

(5) Al contrario » il marito è di dritto il tutore della sua moglie interdetta » (*Leggi civ. art.* 436)

(e) *Lex* 16. §. 2. Potuit pater providere nepotibus suis si eos jussisses haeredes esse; et exhaeredasset filium, cique quod sufficeret alimentorum nomine ab eis certum legasset addita causa necessitateque judicii sui. V. *de inofficioso testamento.* n. 20. l. 18 *de liberis et postumis haeredibus instituendis.* Duperier l. 2 q. 13. Nota. *M. Doniat* non hic posuit legem 16 §. 2. *de curatoribus furioso*, nec legem 18 *de liberis*, credit enim quod sint abrogatae a lege *Quoniam* et a lege *Omni modo.* C. *de inofficioso testamento.*

LIBER XXVIII.

TITULUS I.

Qui testamenta facere possunt, et quemadmodum testamenta fiant (*).

SUMMARIA.

1. *Testamentum est suprema voluntas post mortem implenda.*
2. *Testari possunt et senex et aeger, si mente sint sani.*
3. *A jure publico jus testandi.*
4. *Cum jure testandi concurrere debet forma testamenti.*
5. *Qui complevit pubertatem testari potest.*
6. *Filiusfamilias testari non petest, nec si pater ei permittat.*
   Nisi de peculio castrensi vel quasi castrensi.
7. *Surdus simul et mutus testari non potest, nisi litteras norit.*
8. *Tantum surdus ut caeteri testatur, tantum mutus si litteras novit.*
9. *Ejus qui civitatem amisit, vel capite damnatus est, irritum erit testamentum, etiam ante factum.*
   Item ejus qui post mortem damnatur.
   Restituti a principe testamentum convalescit.

(*) Testamentum condere est sapientum jura pertractare. l. u. I. C. *de testamento militis*. V. infra *de testamento milit.* n. ult.

10. *Si accusatus decedat antequam damnatus sit, valebit ejus testamentum.*
Si damnatus appellaverit, et pendente appellatione decesserit, valet testamentum vel ante condemnationem, vel postea factum.
11. *De statu suo dubitans testari non potest.*
12. *Bonis interdictus intestabilis est.*
13. *Filiifamilias et impuberis testamentum non convalescit, etsi alter sui juris, pubes alter factus decesserit.*
14. *Haeres testis esse non potest, legatarius potest.*
Testis esse non potest qui est in potestate testatoris, aut quid requirentis.
15. *Testes esse possunt pater et frater filiifamilias testantis de castrensi peculio, ante missionem, non post missionem.*
16. *Mulier in testamento testis esse non potest; in caeteris potest.*
17. *Testamento adjici potest quod declaret obscura, non quod immutet.*
18. *Quo sensu debent rogari testes.*
19. *Quo sensu testes, uno contextu adhibendi.*
20. *Plures ejusdem familiae testes esse possunt.*
21. *Testis conditio tempore testamenti spectanda.*
22. *Si testator signo turbaverit, nullum erit testamentum.*
23. *Testamentum nocte fieri potest.*
24. *Pluribus exemplis unum testamentum fieri potest.*
25. *Imperfectum testamentum non valet jure codicillorum.*
Clausulae codicillaris exemplum.
26. *Eunuchus potest testari.*
27. *Princeps et Augusta jure privatorum utuntur, si haeredes instituantur, vel eis legetur.*

28. *Caecus testamentum facere potest coram tabulario et septem testibus.*
29. *Furiosus in dilucido intervallo testari potest.*
30. *Error in nomine si de persona constat non nocet.*
31. *Omissis in scriptura supplendum ex mente testatoris.*
32. *In testamento tempore pestis servandus testium numerus, sed possunt non simul convenire in unum locum.*
33. *Antiqua verborum observatio in instituendis abolita. Anteponere debet judex verbis testamenti, voluntatem testatoris.*
34. *Haeres qui semel agnovit judicium defuncti, licet legibus defunctum, implere debet.*
35. *Necessaria omittere nocet, non apponere superflua.*
36. *Testamenti secreti forma.*
37. *Quo sensu uno contextu testes adhibendi.*
38. *Scripta a parentibus in perfecto testamento inter liberos valent.*
29. *Divisio inter liberos vel a patre, vel ab ipso subscriptae, rata habetur.*
40. *Revocatur institutio extranei, eo instituto qui erat ab intestato successurus, licet tantum quinque testes adhibeantur.*
41. *Testamentum tempore non infirmatur.*
42. *Testamentum olographum adhibendi testes.*
43. *Incisum a testatore testamentum non valet, ex alia causa incisum valet.*

1. Testamentum est voluntatis nostrae justa (a) sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri vult. l. 1. (1)

2. In eo qui testatur, ejus temporis quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas, exigenda est. l. 2.

Senium quidem aetatis, vel aegritudinem corporis (b), sinceritatem mentis tenentibus, testamenti factionem certum est non auferre. l. 3. C. *qui test. fac. potest.* (2)

3. Testamenti factio non privati, sed publici juris est. l. 3.

4. Si queramus an valeat testamentum, in primis animadvertere debemus, an is qui fecerit testamentum, habuerit testamenti factionem; deinde si habuerit, requiremus an secundum regulas juris civilis testatus sit. l. 4. (3)

5. (A) qua aetate testamentum vel masculi vel foemine facere possunt, videamus? Verius est, in masculis quidem quartum decimum annum spectandum: in foeminis vero duodecimum completum. Utrum autem excessisse debeat quis quartum decimum annum, ut testamentum facere

---

(a) Ideo testamentum irati non valet: sicut nec iratae matris professio. l. 29 §. 1 *de probationibus.* Quia iracundia est brevis furor.

(1) » Il testamento è un atto col quale il testatore dispone, pel tempo cui avrà cessato di vivere, di tutti o di parte de' suoi beni, e che ha facoltà di rivocare » (*Leggi civ. art.* 815)

(b) V. l. 16. C. *de donationibus.* Porro notarii non sunt judices sanitatis mentis, quia haec sanitas non cadit sub sensibus corporis, et testes admittuntur contra hanc enunciationem in testamento factam absque ulla inscriptione. Dolive. lib. 5, c. 9.

(2) » Perchè taluno possa far testamento, è necessario che sia sano di mente » (*Leggi civ. art.* 817)

(3) » Le formalità alle quali sono soggetti i diversi testamenti debbono osservarsi sotto pena di nullità » (*Leggi civ. art.* 922).

possit, an sufficit complesse (*c*)? Propone aliquem Kalendis januariis natum, testamentum ipso natali suo fecisse quarto decimo anno; an valeat testamentum? Dico valere. l. 5. (*d*).

Si hanc aetatem egressus, licet vigoris nondum emersissent vestigia, suum solemniter ordinavit judicium, hoc evellere frustra conaris. l. 4. C. *eod.*

V. l. 134. ff. *de verb. sign.* l. 1. f. *de manum.* l. 2. ff. *de excus.* l. un. C. *qui aetate.* l. 3. §. 3. ff. *de min.* (4)

6. Qui in potestate parentis est, testamenti faciendi jus non abet: adeo ut quamvis pater ei permittat, nihilo magis tamen jure testari possit (*e*). l. 6. l. 3. §. 1. C. *eod.*

Nemo ex lege quam nuper promulgavimus, in rebus quae parentibus acquiri non possunt, existimet aliquid esse innovandum: aut permissum esse filiisfamilias cujuscumque gradus vel sexus testamenta facere sive sine patris consensu bona possideant, secundum nostrae legis distinctionem, sive cum eorum voluntate. Nullo etenim modo hoc eis permittimus. l. penult. C. *eod.*

Omnes omnino quibus quasi castrensia peculia habere ex legibus concessum est (*f*), habeant licentiam in

---

(c) Verum tempus computatur de momento ad momentum. In l. 3 §. 3. *de minoribus.*

(d) * *Lex habet*: plus arbitror, etiamsi pridie kalendarum fecerit post sextam horam noctis, valere testamentum.

(4) » Il minore che non è giunto agli anni sedici, non potrà in verun modo disporre — Pervenuto alla età di anni sedici potrà disporre per testamento fino alla concorrenza solamente della metà de' beni che la legge permette di disporre al maggiore » (*Leggi civ. art.* 819 e 820)

(e) Nec potest codicillos facere. Potest autem donare causa mortis consentiente patre. l. 25 §. 1 *de mortis causa donationibus.*

(f) In l. 9. C. *de inofficioso testamento*, non datur querela inofficiosi testamenti adversus testamentum militis, quod Justinianus

ea tantummodo ultimas voluntates condere secundum nostrae constitutionis tenorem, quae talibus testamentis de inofficiosi querela immunitatem praestitit. l. ult. C. *eod.*

7. Surdus, mutus, testamentum facere non possunt. Sed si quis post testamentum factum valetudine aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse coeperit, ratum nihilominus permanet testamentum. l. 6. §. 1.

Discretis surdo et muto, quia non semper hujusmodi vitia sibi concurrunt, sancimus, si quis utroque morbo simul laboret, id est, ut neque audire neque loqui possit, et hoc ex ipsa natura habeat, neque testamentum facere, neque codicillos, neque fideicommissum relinquere, neque mortis causa donationem celebrare concedatur (*g*). l. 10. C. *qui testamenta facere poss.*

Ubi autem et hujusmodi vitii non naturalis, sive masculo, sive foeminae, accidit calamitas, sed morbus postea superveniens et vocem abstulit, et aures conclusit: si ponamus hujusmodi personam litteras scientem (*h*), omnia quae priori interdiximus, haec ei sua manu scribenti permittimus. l. 10. C. *qui test. fac. poss.*

8. Sin autem infortunium discretum est, quod ita raro contingit: et surdis, licet naturaliter hujusmodi sensus variatus est, tamen omnia facere, et in testa-

---

produxit ad testamentum eorum qui de peculio quasi castrensi testantur. In l. C. *eod.* et l. 50. C. *de sacrosanctis Ecclesiis.* Cujas putat id privilegium militum et eorum qui militare censentur non esse revocatum per nov. 115, qui specialis nota indigebat, et talis erat Triboniani utendi modus. Sed caeteri doctores contra sentiunt, dicuntque, ut Molinaeus, apud nos solemnitates testamentorum remitti militibus: non vero quae laedunt pietatem, jus naturale et gentium. V. Duperier. l. 1 q. 14 sentit cum Cujacio, ut juris interpres, cum aliis ut advocatus et jurisconsultus.

(g) De testamentis per signa. V. Dolive. lib. 5 c. 18.

(h) Testamentum olographum septem testibus indiget.

mentis, et in codicillis, et in mortis causa donationibus, et in libertatibus, et in omnibus aliis permittimus. Si enim vox articulata ei a natura concessa est, nihil prohibet eum omnia quae voluerit facere : quia scimus quosdam jurisperitos et hoc subtilius cogitasse, et nullum esse exposuisse qui penitus non exaudiat, si quis supra cerebrum illius loquatur, secundum quod Juventio Celso placuit. In eo autem cui morbus postea superveniens auditum tantummodo abstulit, nec dubitari potest quin possit omnia sine aliquo obstaculo facere. Sin vero aures quidem apertae sint, et vocem recipientes, linguâ autem ejus penitus praepedita, licet a veteribus auctoribus saepius de hoc variatum est : attamen si hunc peritum litterarum esse proponamus, nihil prohibet eum scribentem haec omnia facere, sive naturaliter, sive per interventum morbi hujus infortunium ei accesserit: nullo discrimine, neque in masculis, neque in foeminis, in omni ista constitutione servando. l. 10. C. *qui test. fac. poss.*

9. Si cui aqua et igni interdictum sit (*i*), ejus nec illud testamentum valet, quod ante fecit, nec id quod postea fecerit. l. 8. §. 1. l. 18.

Irritum fit testamentum quoties ipsi testatori aliquid contigit : utputa si civitatem amittat. l. 6. §. 5. ff. *de inj. rup. irr. f. t.*

Sed etsi quis fuerit capite damnatus (*k*), vel ad bestias, vel ad gladium, vel alia poena quae vitam adimit, testamentum ejus irritum fiet. d. l. 6. §. 6.

Sed et ne eorum quidem testamenta rata sunt, sed

(i) L. 1 §. 9 *de bonorum possessionibus secundum tabulas.*

(k) Quid de testamento ejus, qui se ipsum peremit ? Lex ait, testamentum ejus cujus memoria est damnata, nullum manere.

irrita fiunt, quorum memoria post mortem damnata est: ut puta ex causa majestatis, vel alia tali causa (l). d. l. 6. §. 11.

Si quis damnatus capite, in integrum indulgentia principis sit restitutus, testamentum ejus convalescet. d. l. 6. §. pen.

10. Si quis post accusationem in custodia fuerit defunctus indemnatus, testamentum ejus valebit (m). l. 9.

Si quis in capitali crimine damnatus appellaverit, et medio tempore pendente appellatione fecerit testamentum, et ita decesserit, valet ejus testamentum. l. 13. §. 1.

Neque testamenta quae ante fecerunt, irrita fient. l. 6. §. 8. ff. *de inj. rupt.* (5)

11. De statu suo dubitantes, vel errantes, testamentum facere non possunt (n). l. 15.

Nam qui incertus de statu suo est, certam legem testamento dicere non potest. l. 14. in fin.

Si miles incertus an sui juris sit, testamentum fecerit, in ea conditione est testamentum ejus, ut valeat. Nam etsi incertus an pater suus vivat, testamentum fecerit, testamentum ejus valebit. l. 11. §. 1. ff. *de testam. mil.*

12. Quid si tunc testatus sit, cum iis esset moribus, ut interdici mereretur licet nondum interdictus esset atque ex ipso testamento prodigi mores appareant?

Is, cui lege bonis interdictum est, testamentum face-

(l) V. Dolive. lib. 5 c. 7.

(m) Valet apud nos testamentum ejus qui morte damnatus est, modo per contumaciam (quod Romani ignorabant, nam absentem condemnare fas non erat) et modo intra quinquennium decedat.

(5) Concorda. *Argomento dell' art.* 32, 34.

(n) Verum unusquisque de suo statu semper favorbailiter asserit.

re non potest: et si fecerit, ipso jure non valet. Quod tamen interdictione vetustius habuerit testamentum, hoc valebit (6). Merito ergo nec testis ad testamentum adhiberi poterit, cum neque testamenti factionem habeat. l. 18.

13. Si filiusfamilias, aut pupillus tabulas testamenti fecerit, signaverit, secundum eas bonorum possessio dari non potest, licet filiusfamilias sui juris (o), aut pupillus pubes, factus decesserit: quia nullae sunt tabulae testamenti, quas is fecit, qui testamenti faciendi facultatem non habuerit. l. 19. (7)

14. Qui testamento haeres instituitur, in eodem testamento testis esse non potest. Quod in legatario (p), et in eo qui tutor scriptus est, contra habetur (8): hi enim testes possunt adhiberi, si aliud eos nihil impediat, utputa si impubes, si in potestate sit testatoris. l. 20.

Quae autem in testamento diximus super perhibendis testimoniis eorum qui in potestate sunt, in omnibus testimoniis accipias, ubi aliquid negotii geritur, per quod acquiratur. d. l. §. 3.

---

(6) » Perchè taluno possa far testamento è necessario che sia sano di mente — Sarà nullo per diritto qualunque atto fosse stato fatto dall' interdetto posteriormente alla sentenza d' interdizione » (*Leggi civ. art.* 425, 817).

(o) Idem apud nos si quis ante viginti annos testamentum condiderit, licet quod viginti annos decesserit, nisi post viginti annos testamentum confirmaverit.

(7) » Il minore che non è giunto agli anni sedici, non potrà in verun modo disporre » (*Leggi civ. art.* 819).

(p) Olim singulis testibus aliquid honoris causa legabatur. L. 22. C. *de testamentis.* Secus autem legatario universali, quia testis foret in re sua.

(8) » Ne' testamenti per atto pubblico non potranno ammettersi per testimonj nè i legatarj, qualunque sia il loro titolo, nè i loro parenti o affini sino al quarto grado inclusivamente » (*Leggi civ. art.* 901).

Dictantibus (q) testamenta, vel aliam quamlibet ultimam voluntatem, legatum, vel fideicommissum, vel quodcumque aliud, quolibet legitimo titulo testatorem posse relinquere, minime dubitandum est. Testibus etiam ad efficiendam voluntatem adhibitis, pro suo libito quod voluerit testator relinquere non prohibetur. l. 22. C. *de testam.* (9)

15. Per contrarium quaeri potest, an pater ejus qui de castrensi peculio potest testari, adhibere ab eo ad testamentum testis possit? Et Marcellus libro decimo digestorum scribit, posse; et frater ergo poterit. d. l. 20. §. 2.

Sed si filius familias de castrensi peculio post missionem faciet testamentum, nec pater ejus recte adhibetur testis, nec is qui in potestate ejusdem patris est. Reprobatum est enim in ea re domesticum testimonium. §. 9. Instit. *de test. ord.* (10)

16. Mulier testimonium dicere in testamento quidem non poterit (r): alias autem posse testem esse mulie-

---

(q) Intellige aut de scribentibus; ut in l. 27 ff. h. t. aut de jurisperitis qui testamento adhiberi solent, ut in l. 88 §. ult. *de legatis.* 2. Nota hoc verbum *dictare*, olim in scripturis forensibus adhibebatur, et advocatus apponebat nomen suum cum hoc verbo *dictavi*. Olim testamenta notis excipiebantur et a senatusconsulto dictabantur.

(9) Vedi la nota precedente.

(10) » Non possono essere testimonj i congiunti ed affini delle parti così in linea retta in qualunque grado, come in linea collaterale fino al terzo grado inclusivamente — Nei testamenti per atto pubblico, e negli atti di soprascrizione ne' testamenti mistici si devono adoprare le solennità comuni a tutti gli atti autentici » (*Legge sul notariato*, *art.* 8, 10, 17).

(r) Feminae testari nequibant cum testamenta fiebant *calatis commitiis*. Iis permittitur tessari solum cum testamenta intra urbem recepta sunt. Novella 48. Leonis sophi hoc titulo notatur: *Ne mu-*

rem, argumento est lex Julia de adulteriis, quae adulterii damnatam testem pruduci vel dicere testimonium vetat. l. 20. §. 6. (11)

17. Si quid post factum testamentum mutari placuit, omnia ex integro facienda sunt. Quod vero quis obscurius in testamento vel nuncupat, vel scribit, an post solemnia explanare possit, quaeritur: utputa Stichum legaverat, cum plures haberet, nec declaravit de quo sentiret: Titio legavit, cum multos Titios amicos haberet; erraverat in nomine vel praenomine, vel cognomine, cum in corpore non errasset, poteritne postea declarare, de quo senserit? Et puto, posse: nihil enim nunc dat, sed datum significat. Sed et si notam postea adjecerit legato; vel sua voce, vel litteris, vel summam, vel nomen legatarii, quod non scripserat, vel nummorum qualitatem, an recte fecerit? Et puto, etiam qualitatem nummorum posse postea addi: nam etsi adjecta non fuisset, utique placeret conjectionem fieri ejus quod reliquit, vel ex vicinis scripturis, vel ex consuetudine patrisfamilias, vel regionis (s). l. 21. §. 1. (12)

18. In testamentis, in quibus testes rogati adesse debent ut testamentum fiat, alterius rei causa forte rogatos, ad testandum non esse idoneos placet: quod sic accipien-

---

lieres in contractibus testimonium praebeant. Feminae recipiuntur tempore pestis. V. Doliv, l. 5 c. 3. Rebuffe, secus in contractibus ubi testes rogari possunt. Argomentum a contrario, sicut in l. 18. *de testibus*, ubi dicitur: ex eo quod prohibet lex Julia de adulteriis testimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur etiam mulieres testimonii in judicio dicendi jus habere.

(11) » I testimonj richiesti per far testimonianza nel testamento debbono esser maschi » (*Leggi civ. art.* 906)

(s) Bopi consulendum est quod testator ipse hoc declaraverit.

(12) Concorda. (*Legge sul notariato, art.* 26).

dum est, ut, licet ad aliam rem sint rogati (*t*) vel collecti, si tamen ante testimonium certiorentur ad testamentum se adhibitos, posse eos testimonium suum recte perhibere. l. 21. §. 2.

19. Uno contextu actus testari oportet: est autem *uno contextu*, nullum actum alienum testamento intermiscere: quod si aliquid pertinens ad testamentum faciat, testamentum non vitiatur. l. 21. §. ult.

20. Ad testium numerum simul adhiberi possumus, (ut) ego et pater, et plures qui fuimus in ejusdem potestate. l. 22. (13)

21. Conditionem testium tunc inspicere debemus, cum signarent; non mortis tempore. Si igitur (tunc) cum signarent tales fuerint, ut adhiberi possint, nihil nocet si quid postea eis contigerit. l. 22. §. 1.

22. Si signa turbata sint ab ipso testatore, non videtur signatum. l. 22. §. 3.

23. Posse et nocte signari testamentum, nulla dubitatio est. l. 22. §. 6.

24. Unum testamentum pluribus exemplis consignare quis potest: idque interdum necessarium est: forte si navigaturus, et secum ferre et relinquere judiciorum suorum testationem velit. l. 24.

25. Ex ea scriptura, quae ad faciendum testamentum parabatur, si nullo jure testamentum perfectum esset, nec ea quae fideicommissorum verba habent, peti posse (*u*). l. 29.

(t) In omni ultima voluntate, excepto testamento, testes qui fortuito venerint adhiberi possunt. l. ult. §. ult. C. *de codicillis* V. infra *de jure codicil.* n. ult.

(13) Vedi la nota 10.

(u) Nisi clausula codicillaris addita sit, quia sustinet legata et fideicommissa etiam ab intestato. Sed non subintelligitur nisi expressa sit: praeterea quinque testes requiruntur.

Quoties quis exemplum testamenti praeparat, et prius decedat quam testetur, non valent quasi ex codicillis quae in exemplo scripta sunt, licet verba fideicommissi scriptura habeat. l. 11. §. 1. *ff. de leg.* 3.

Ex his verbis, quae scriptura paterfamilias addidit, *ταυτην την διαθηκην βουλομαι ειναι κυριαν επι πασης εξουσιας* *hoc testamentum volo esse ratum, quacumque ratione poterit*; videri eum voluisse, omnimodo valere ea quae reliquit, etiamsi intestatus decessisset. l. 29. §. 1.

Ex testamento quod jure non valet, nec fideicommissum quidem, si non ab intestato quoque succedente rogati prodentur, peti potest (*x*). l. 29. C. *de fideicomm.* V. 1. *de jure codicill.* l. 1. *et de leg.* 2. l. 88. §. ult.

26. Eunuchis licet facere testamentum, componere postremas exemplo omnium voluntates, conscribere codicillos, salva testamentorum observantia. l. 5. C. *qui testes. fac. poss.*

27. Cum haeredes instituuntur Imperator seu Augusta, jus commune cum caeteris habeant. Quod et in codicillis fideicommissariis epistolis (*y*) jure scriptis observandum erit. l. 7. C *qui testam. fac. poss.* (*z*).

Ex imperfecto testamento nec imperatorum haeredi-

(x) * L. 27. ait Domitius Labeo Celso suo s. Quaero an testium numero habendus sit is qui cum rogatus est ad testamentum scribendum, idem quoque cum tabulas scripsisset signaverit . . . . Aut non intelligo id de quo me consuleris, aut valde stulta est consultatio tua.

(y) Epistola fideicommissaria non mittitur ad eum cui scripta est, nec ei traditor legenda, nisi post mortem testatoris. Cujac. ad leg. 69 *de legatis* 2.

(z) Sed in aede sacra deponitor, et litterae ad aedituum mittuntur. l. 76 §. 26 *de legatis* 2. l. 75 eod. c. V. Gotofr. hic

tatem vindicare posse, saepe constitutum est. Licet enim lex imperii solemnibus juris imperatorem solverit, nihil tamen tam proprium imperii est, quam legibus vivere. l. 3. C. *de testam.* V. l. 16. C. *eod.*

28. Caecus adhibitis septem testibus et tabulario, testari potest. l. 8. C. *qui test. fac. poss.*

29. Furiosum in suis judiciis ultimum condere elogium posse, licet ab antiquis dubitabatur, tamen et retro principibus, et nobis placuit (*a*). l. 9. C. *eod.*

30. Si in nomine, vel praenomine, seu agnomine testator erraverit, nec tamen de quo senserit incertum sit, error hujusmodi nihil officit veritati. l. 4. C. *de testam.* V. 1. l. 4. *de leg.* 1.

31. Errore scribentis testamentum, juris solemnitas mutilari nequaquam potest: quando minus scriptum, plus nuncupatum videtur. Et ideo recte testamento condito, quamquam desit (*b*), *haeres esto*, consequens est existente haerede, legata seu fideicommissa juxta voluntatem testatoris oportere dari. l. 7. C. *de testam.* V. 1. l. 15. C. *de testam.* n. 33.

32. Casus majoris ac novi contingentis ratione (*c*), adversus timorem contagionis, quae testes deterret, licet aliquid de jure laxatus est, non tamen prorsus reliqua testamentorum solemnitas perempta est. Testes enim hujusmodi morbo oppressos eo tempore jungi atque sociari remissum est; non etiam conveniendi numeri eo-

---

(*a*) V. 6. C. *de curatoribus furios.* et supra. n. 10 *eod. tit.* V. l. 20 *de statu hominis.* Quis probabit furiosum fuisse in dilucido intervallo.

(*b*) V. l. 15. *de legatis.* 1.

(*c*) V. Dolive, lib. 5, c. 2. 3 4.

rum observatio sublata est. l. 8. C. *de testam.* (14)

33. Quoniam indignum est ob inanem observationem irritas fieri tabulas et judicia mortuorum placuit, ademptis his quorum imaginarius usus est, institutioni haeredis verborum non esse necessariam observantiam, utrum imperativis et directis verbis fiat, aut inflexis. Nec enim interest si dicatur, *haeredem facio*, *vel instituo*, *vel volo*, *vel mando*, *vel cupio*, *vel est*, *vel erit*: sed quibuslibet confecta sententiis, vel in quolibet genere formata institutio valeat, si modo per eam liquebit voluntatis intentio. l. 15. C. *de testam.*

Semper vestigia voluntatis sequimur testatorum (d). l. 4. C. *de necess. serv. haered. inst.*

Cum manifestissimus est sensus testatoris, verborum interpetratio nusquam tantum valeat, ut melior sensu existat (e). l. 3. C. *de lib. praet. vel ex haered.*

Voluntatis defuncti quaestio in aestimatione judicis est. l. 7. C. *de fideic.*

34. Qui ex testamento vel ab intestato haeres extiterit, etsi voluntas defuncti circa legata vel fideicommissa, seu libertates legibus non sit subnixa (f), tamen si sua sponte agnoverit, implendi eam necessitatem habeat. l. 16. §. 1. C. *de testam.*

---

(14) » I testamenti fatti in luogo, le cui comunicazioni si trovino totalmente interrotte a cagion della peste o di altra malattia contagiosa, potranno essere ricevuti dal giudice di circondario, o da uno degli uffiziali municipali del comune in presenza di due testimonj » (*Leggi civ. art.* 911)

(d) Voluntas.

(e) Interpretatio.

(f) Id est, licet minus solemnis fuerit. Gotofr. V. l. 2. C. *de fideicommissis*, ubi repetitio fideicommissi soluti non datur, cum non ex sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi, defuncti voluntatis satisfactum esse videatur.

35. Testamentum non ideo infirmari debebit, quod diversis hoc deficiens (*g*) nominibus (*h*) appellavit, cum superflua non noceant. Namque necessaria praetermissa imminuunt contractus, et testatoris officiunt voluntati, non abundans cautela. l. 17. C. *de testam* (*i*).

36. Hac consultissima lege sancimus, licere per scripturam conficientibus testamentum, si nullum scire volunt (ea) quae in eo scripta sunt, consignatam, vel ligatam, vel tantum clausam involutamque proferre scripturam, vel ipsius, vel testatoris, cujuslibet alterius manu conscriptam, eamque rogatis testibus septem numero, civibus romanis, puberibus, omnibus simul offerre signandam et subscribendam: dum tamen testibus praesentibus testator suum esse testamentum dixerit quod offertur, eique ipse coram testibus sua manu in reliqua parte testamenti subscripserit: quo facto, et testibus uno eodemque die ac tempore subscribentibus et consignantibus, testamentum valere: nec ideo infirmari, quod testes nesciant quae in eo scripta sunt testamento. l. 21. C. *de test.* (15)

(g) Id est moriens.

(h) Verbi gratia, contractum, vel codicillos appellavit. Gotofr.

(i) Non solent quae abundant vitiare scripturas. l. 94 *de regulis juris.* Haec est lex procuratorum.

(15) „ Quando un testatore vorrà fare un testamento mistico o segreto, dovrà sottoscrivere le sue disposizioni. La carta in cui saranno stese, o quella che servirà d' involto (quando vi sia) sarà chiusa e sigillata. Il testatore la presenterà così chiusa e sigillata al notajo ed a sei testimonj almeno, ovvero la farà chiudere e sigillare in loro presenza, e dichiarerà che il contenuto in quella carta è il suo testamento da lui scritto e sottoscritto, o scritto da un altro e da lui sottoscritto. Il notajo formerà l' atto di soprascrizione, che verrà steso sulla carta medesima, ovvero sul foglio che serve d' involto: questo atto sarà sottoscritto tanto dal testatore, che dal notajo e da' testimonj. Tutto ciò sarà fatto nel medesimo contesto senza deviare ad altri atti » (*Leggi civ.*° *art.* 902).

37. In omnibus autem testamentis, quae praesentibus, vel absentibus testibus dictantur, superfluum est uno eodemque tempore exigere testatorem, et testes adhibere et dictare suum arbitrium, et finire testamentum. Sed licet alio tempore dictatum, scriptumve proferatur testamentum, sufficit uno (tempore) eodemque de die nullo actu (extraneo) interveniente, testes omnes, videlicet simul, nec diversis (temporibus) scribere signareque testamentum. Finem autem testamenti subscriptiones et signacula testium esse decernimus. l. 21. *de testam.*

38. Ex imperfecto testamento voluntatem tenere defuncti (*k*), nisi inter solos liberos a perentibus utriusque sexus habeatur, non volumus. Si vero in hjusmodi voluntate liberis alia sit extranea mixta persona (*l*), certum est eam voluntatem defuncti quantum ad illam duntaxat permixtam personam (*m*) pro nullo haberi, sed liberis accrescere (*n*). l. 21. §. 1. C. *de testam.* V. Nov. 10, c. 1. et 2. (*o*).

39. Divisio bonorum inter filios vel a patre subscri-

(k) In testamento patris inter liberos duo testes sufficiunt. Fernand.

(l) Le Pretre, cent. 2, c. 70.

(m) Ne utile per inutile vitietur.

(n) Dolive, lib. 5 c. 1, ubi errorem Irnerii in Auth. Hoc inter, C. *de testamentis*, arguit; et probat, testamentum a patre vel a matre inter liberos factum, sive perfectum sive imperfectum, posse revocari per posterius imperfectum, et ostendit numero 107 debere intelligi duntaxat de testamento perfecto inter extraneos. Scilicet ut per testamentum imperfectum in favorem extraneorum factum non possit prius testamentum perfectum revocari; secus inter liberos.

(o) L. ult. *familiae erciscundae*. l. 1. C. Theod. eod. ubi testamenta parentum inter liberos confirmantur sine ullo solemnitatis adminiculo, et solis nixa radicibus voluntatis.

pta, vel ab ipsis, rata habebitur (*p*). Nov. 18. c. 7. Nov. 107. c. 3. V. l. 16. l. 21. et l. 26. C. *fam. ercisc.*

40 Si quis testamento jure perfecto, postea ad aliud venerit testamentum, non alias quod ante sanctum est infirmari decernimus, quam si id quod secundo facere testator instituit, jure fuerit consummatum: nisi forte in priori testamento scriptis his, qui ab intestato ad testatoris haereditatem vel successionem venire non poterant, in secunda voluntate testator eos scribere instituit, qui ab intestato ad ejus haereditatem vocantur. Eo enim casu, licet imperfecta videatur scriptura posterior, infirmato priore testamento, secundam ejus voluntatem non quasi testamentum, sed quasi voluntatem ultimam intestati valere sancimus. In qua voluntate quinque testium juratorum depositiones sufficiunt: quo non facto, valebit primum testamentum, licet in eo scripti videantur extranei. l. 21. §. 3. C. *de testam.* V. s. l. 1. *de inj. rupt.*

41. Sancimus si quis legitimo modo condidit testamentum, et post ejus confessionem decennium profluxerit (*q*); si quidem nulla innovatio, vel contraria voluntas testatoris apparuerit, hoc esse firmum. Quod enim non mutatur, quare stare prohibetur. l. 27. C. *de testam.*

42. *Si quis sua manu totum testamentum, vel codicillum conscripserit, et hoc specialiter in scriptura reposuerit, quod haec sua manu confecit, sufficiat ei to-*

(p) V. hic des chiffres *zifera*. Cujas.

(q) Sufficit autem post decennium revocatio coram tribus testibus, vel apud acta. V. hic. Revocatio coram quinque testibus sufficere debet in favorem haeredum ab intestato.

tius testamenti scriptura (*r*), et non alia subscriptio requiratur, neque ab eo, neque pro eo ab alio: sed sequantur hujusmodi scripturam et litteras testium, et omnis quae expectatur observatio: et sic testamentum validum, et codicillus, si quinque testium litterae testatoris scripturae coadunentur, in sua firmitate remaneant, et nemo callidus machinator hujusmodi iniquitatis in posterum inveniatur. l. 28. in f. C. *de testam.* (16)

43. Si testator linum vel signacula inciderit, vel abstulerit, utpote ejus voluntate mutata, testamentum non valere (*sancimus*); sin autem ex alia quacumque causa hoc contigerit (*s*), durante testamento scriptos haeredes ad haereditatem vocari. l. 30. C. *de testam.* V. 1. *de his quae in test. delent.*

(r) Theodosius et Valentinianus Nov. 2, c. 1 confirmarant testamenta olographa, at Justinianus in hac lege septem testimonia requirit, et cum testator testamentum scripsit, dispensatur ab eo subscribendo. Novella Theodosii et Valentiniani est suspecta de falso. In lege 38 §. ult. *de legatis* 2 invenitur testamentum olographum.

(16) » Il testamento olografo non è valido se non è scritto interamente, datato e sottoscritto di propria mano dal testatore: questo testamento non è soggetto ad alcun' altra formalità. (*Leggi civ.* art. 895.)

(s) Ergo nulla solemnitate opus est ad infirmandum testamentum scriptum.

TITULUS II.

De liberis et posthumis haeredibus instituendis vel exhaeredandis.

SUMMARIA.

1. *Qui filium innominatum exhaeredat, cum plures habeat, nullum exhaeredat.*
2. *Institutio posthumi, nasciturum vel ex praesenti, vel futuro conjugio complectitur.*
3. *Filius non tam haeres quam dominus.*
4. *Mater cum filio vel filia nascituris instituta, non excluditur si et filius et filia nascantur.*
5. *Exhaeredationes non adjuvandae.*
6. *Si quasi nasciturus instituatur qui inscio testatore jam natus est, valebit institutio.*
7. *Cautio ut nullus nasciturorum ex filio praetereatur.*
8. *Liberis praeteritis nullum est testamentum.*
   Exhaeredationes liberorum et parentum prohibitae, nisi ex causa.
9. *Qui filium dicit aut profitetur, veritati non praejudicat, si is filius non sit.*
10. *Posthumus illico decedens rumpit testamentum.*

1. Nominatim exhaeredatus filius, et ita videtur, *filius meus exhaeres esto*, si nec nomen ejus expressum sit si modo unicus sit: nam si plures sunt filii, benigna interpetratione potius a plerisque respondetur, nullum exhaeredatum esse (*a*). l. 2. V. l. 30.

(a) L. 62 §. 1 *de haeredibus instituendis*. L. 19 hic.

2. Placet, omnem masculum posse posthumum haeredem scribere, sive jam maritus sit, sive nondum uxorem duxerit: nam et maritus uxorem repudiare potest (*b*), et qui non duxit uxorem postea maritus effici: nam et cum maritus posthumum haeredem scribit (*c*), non utique is solus posthumus scriptus videtur, qui ex ea, quam habet uxorem, ei natus est, vel (is) qui tunc in utero est, verum is quoque qui ex quacumque uxore nascatur. Ideoque qui posthumum haeredem instituit, si post factum testamentum mutavit matrimonium, is institutus videtur, qui ex posteriore matrimonio natus est. l. 4. et. l. 5. V. l. 27.

3. In suis haeredibus evidentius apparet continuationem dominii eo rem producere, ut nulla videatur haereditas fuisse; quasi olim hi domini (*d*) essent, qui etiam vivo patre quodammodo domini existimantur (*e*). Unde etiam filiusfamilias appellatur, sicut paterfamilias: sola nota hac adjecta, per quam distinguitur genitor ab eo qui genitus sit: itaque post mortem patris non haereditatem percipere videntur; sed magis liberam bo-

(b) (Scilicet ut alium ducat).

(c) Quod dicitur de liberis, intelligitur de liberis tam secundi matrimonii quam primi. V. Fernand. ad Morgan. V. Dolive.

(d) Continuatur dominium in suo haerede, non autem possessio, quia facti est, et quae sunt facti fictionem non recipiunt. l. 19, *ex quibus causis majores.* V. l. 14 *de suis et legitimis haeredibus.* l. 23 *de acquirenda vel omittenda possessione.*

(e) * *Lex* 30. ex quibus causis majores, *ait quod* possessio defuncti quasi juncta descendit ad haeredem. Lex 14 *de suis et legitimis haeredibus*, ait. In suis haeredibus aditio non est necessaria, quia statim ipso jure haeredes existunt. L. 23 *de acquirenda vel omittenda possessione*, ubi adita haereditate omnia quidem jura ad nos transeunt: possessio tamen nisi naturaliter comprehensa ad nos non pertinet.

norum administrationem consequuntur: hac ex causa, licet non sint heraedes instituti, domini sunt. l. 11. Pene ad propria bona veniunt (parentes liberique). l. 1. §. 12. ff. *de succ. edic.*

4. Si ita scriptum sit, *si filius mihi natus fuerit, ex besse haeres esto, ex reliqua parte uxor mea haeres esto; si vero filia mihi nata fuerit, ex triente haeres esto, ex reliqua parte uxor esto*; et filius et filia nati essent: dicendum est; assem distribuendum esse in septem partes (*f*), ut ex his filius quatuor, uxor duas, filia unam partem habeat. Ita enim, secundum voluntatem testantis, filius altero tanto amplius habebit, quam uxor, item uxor altero tanto amplius quam filia: licet enim subtili juris regulae conveniebat, ruptum fieri testamentum; attamen, cum ex utroque nato testator voluerit uxorem aliquid habere, ideo ad hujusmodi sententiam humanitate fuggerent decursum est (*g*). l. 13.

5. Institutiones benigne accipiuntur: exhaeredationes autem non adjuvandae. l. 19. in f. l. 2.

6. Lucius Titius, cum suprema sua ordinaret in civitate, et haberet neptem ex filia praegnantem rure agentem, scripsit, *id quod in utero haberet ex parte haeredem.* Quero, cum ipsa die qua Titius ordinaret testamentum in civitate, hora diei sexta (*h*), eodem die,

(f) V. l. 81 *de haeredibus instituendis.*

(g) * *Lex* 18 *habet*: Multi non notae causa exhaeredant filios, nec ut eis obsint; sed ut eis consulant, ut puta impuberibus; eisque fideicommissariam haereditatem dent. l. 16 §. 2 *de curatoribus furiosor.* l. 39 43 *de vulgari et pupillari substitutione.* Duperier, lib. 2 q. 13.

(h) An a media nocte computari debet ut in l. 8 *de feriis.* An per sextam horam intelligitur meridies, ut in l. 2 §. 1 *de verborum significatione.* Dies civilis a media nocte incipit. Naturalis vero a sexta hora, et horae sunt inaequales.

albescente (i) coelo, rure sit enixta Maevia masculum, an institutio haeredis valeat; cum quo tempore scriberetur testamentum, jam editus esset partus? *Paulus respondit*, verba quidem testamenti ad eum pronepotem directa videri qui post testamentum factum nasceretur: sed si (ut proponitur) eadem die qua testamentum factum est, neptis testatoris, antequam testamentum scriberetur, enixa esset, licet ignorante testatore, tamen institutionem jure factam videri, (recte) responderi (k). l. 25. §. 1.

7. Gallus sic posse institui posthumos nepotes induxit (l): *si filius meus, vivo me, morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos, sive quae neptis, post mortem meam in decem mensibus* (m) *proximis, quibus filius meus moreretur, natus, natave erit, haeredes sunto. l.* 29.

8. Inter caetera, quae ad ordinanda testamenta necessario desiderantur, principale jus est de liberis haeredibus instituendis vel exhaeredandis, ne praeteritis istis, rumpatur testamentum: namque filio, qui in potestate est, praeterito, inutile est testamentum. l. 30.

Sancimus non licere penitus patri vel matri, aut avo vel aviae, proavo vel proaviae, suum filium vel filiam,

(i) Albescente, id est nondum clarescente. Gotofr. in l. 2 in fine, *de annuis legatis.* Sexta diei hora intelligitur meridies. Nota ad eruditionem: solis radiis opus est undecim minutis ut ad nos perveniat. Sonus 180 hexapedas perficit in uno minuto secundo. Lux ergo celeritate pollet sexcenties millies majori quam celeritas soni. *V. Histoire des savans de Baënage de Beauval.*

(k) Atque ita in favore testamenti natus, habetur pro non nato. Gotofr.

(l) Fernandum ad l. 6. C. *de institutionibus.*

(m) De partu undecimo mense. V. n. 39. Hic partus non est legitimus ex l. 12 Tabul. Contra ex rescripto Adriani; scilicet, si sub initium mensis veniat, secus si sub finem. Cujas ad seq. pau. 49 5.

vel caeteros liberos praeterire, aut exhaeredes in suo facere testamento, nec si per quamlibet donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel alium quemcunque modum eis dederit legibus debitam portionem (n): nisi forsan probabuntur ingrati; et ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerint testamento. Nov. 115 c. 3. *Ibidem enumerantur causae exhaeredationis liberorum*, quibus alias adjicere non vetitum, si quae evenerint, ex quibus stare possit exhaeredatio. (17)

Sancimus non licere liberis parentes suos praeterire, aut quolibet modo a rebus propriis in quibus habent praestandi licentiam, eos omnino alienare: nisi causas, quas enumeravimus in suis testamentis, specialiter nominaverint. Nov. 115. c. 4. *Ibidem enumerantur causae exhaeredationis parentum*, quibus non inique adiciantur et aliae si quae contigerint non rejiciendae. (18)

9. Neque professio, neque adseveratio nuncupantium filios, qui non sunt, veritati praejudicat (o). Et quae ut filiis testamento relinquuntur, juxta ea quae a

(n) Ex his verbis doctores induxerunt necessitatem iostituendi liberos in sua qoemque portione; quia institutio est nomeo honoris, licet ea mens Irnerii nbo fuerit io Authent. novissima. C. *de inofficioso testamento*. V. dictam Authenticam. Sed Fernandus putat patrem posse exhaeredare filium, et ait hanc solam in Nov. 115 necessitatem esse impositam ut pater filium instituat vel exhaeredet.

(17) » Le persooe a vantaggio delle quali la legge stabilisce una quota di riserva, o sia legittima, possono esserne private con una dichiarazione espressa dal testatore, e per una causa ammessa dalla legge, e spiegata nello stesso testamento » (*Leggi civ. art.* 848) — Nell' articolo 849 sono noverate le cagioni per le quali può essere diredato il figlio.

(18) Le cagioni onde possa diredarsi il padre o la madre, si riportano nell' art. 850 delle Leggi civili.

(o) Verba enuntiativa per modum causae disponunt. Gotofr. ad dictam legem 5. V. Dolive.

principibus statuta sunt, non deberi, certi juris est. l. 5. C. *de testam.*

10. Uxoris abortu testamentum mariti non solvi; posthumo vero praeterito, quamvis natus illicò decesserit (*p*), non restitui ruptum, juris evidentissimi est. l. 2. C. *de post. haered. inst.*

Quod dicitur, filium natum rumpere testamentum, natum accipe, et si ex secto ventre editus sit. Nam et hic rumpit testamentum, scilicet si nascatur in potestate. Quid tamen si non integrum animal editum sit, cum spiritu tamen: an adhuc testamentum rumpat? et hoc rumpit. l. 12. d. l. §. 1. ff. *de lib. et post. haered. inst.*

Quod certatum est apud veteres, nòs decidimus. Cum igitur qui in ventre portabatur praeteritus fuerit, qui si ad lucem fuerit redactus, suus haeres patri existeret, si non alius eum antecederet; et nascendo ruptum testamentum faceret, si postumùs in hunc quidem orbem devolutus est, voce autem non emissa ab hac luce subtractus est: dubitabatur si is posthumus ruptum facere testamentum posset. Et veterum animi turbati sunt quid de paterno elogio statuendum sit. Cumque Sabiniani existimabant, si vivus natus esset, etsi vocem non emisit, rumpi testamentum: apparetque quod et si mutus fuerat, hoc ipsum faciebat: eorum etiam nos laudamus sententiam, et sancimus, si vivus perfecte natus esset, licet illicò postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis decessit, nihilo-

(p) Contra si vivo patre natus sit et decesserit. L. 12 *de injusto, rupto, irrito.*

minus testamentum rumpi. Hoc tantummodo requirendo, si vivus ad orbem totus processit, ad nullum declinans (*q*) mostrum vel prodigium. l. 3. C. *de post. haered. inst.*

TITULUS III.

De injusto, rupto, irrito facto testamento.

SUMMARIA

1. *Ex quibus causis ruat testamentum.*
2. *Prius testamentum sexando non jure facto non rumpitur, nisi in posteriori haerés ab intestato institutus sit.*
3. *In causa seditionis primo puniendum, deinde scribendum.*
4. *Posthumo praeterito, et vivo testatore mortuo, testamentum valebit.*

1. Testamentum aut non jure factum dicitur, ubi solemnia juris defuerunt; aut nullius esse momenti, cum filius qui fuit in patris potestate, praeteritus est (*a*); aut rumpitur alio testamento ex quo haeres existere poterit, vel agnatione sui haeredis; aut in irritum constituitur, non adita haereditate. l. 1. (1)

2. Tunc prius testamentum rumpitur, cum posterius

(q) Tres hic requiruntur conditiones, Vivus, Totus, non Monstrum. V. l. 9. *Ad legem falcidiam.* L. 1. *de inspiciendo.*

(a) Injustum, nullum, ruptum, irritum.

(1) » La disposizione testamentaria sarà caduca, quando l' erede instituito o il legatario la ripudii, o si ritrovi incapace a conseguirla » (*Leggi civ. art.* 998).

rite perfectum est (a); nisi forte posterius vel jure militari sit factum, vel in eo scriptus est, qui ab intestato venire potest (*b*): tunc enim et posteriore non perfecto superius rumpitur (*c*). l. 2. V. s. *qui test. fac. poss.* l. 21. §. 3.

3. Si seditio praerupta, factioque cruenta, vel alia justa causa, quam mox praeses litteris excusavit, moram non recipiant, non paenae festinatione, sed praeveniendi periculi causa punire permittitur, deinde scribere (*d*). l. 6. §. 9.

4. Posthumus praeteritus, vivo testatore natus decessit; licet juris scrupulositate, nimiaque subtilitate testamentum ruptum videatur, attamen si signatum fuerit testamentum, bonorum possessionem secundum tabulas accipere haeres scriptus potest, remque obtinebit (*e*), ut et divus Hadrianus et imperator noster re-

---

(a) » I testamenti non possono rivocarsi nè in tutto nè in parte, se non con un testamento posteriore, o con atto innanzi a notajo, nel quale sia dichiarata la mutazione della volontà » (*Leggi civ. art.* 990).

(b) Haec secunda exceptio addita est a Triboniano, nam tempore Ulpiani una tantum erat; scilicet, si jure militari testamentum factum esset. V. Grotium hic ad jus Justinianeum.

(c) Modo adsint saltem quinque testes.

(d) V. l. 16 *de appellationibus.*

(e) Secus si posthumus post patrem mortuum natus sit, nam licet illico decesserit, rumpit testamentum. l. 2. C. *de posthumis haeredibus instituendis.* V. supra *de liberis et posthumis* n. 10. Unde valde distinquendum inter vere posthumos, et quasi posthumos. L. 6. §. 6. ait: Sed etsi quis fuerit capite damnatus, vel ad bestias, vel ad gladium, vel alia poena, quae vitam adimit, testamentum ejus irritum fiet, et non tunc cum consumptus est, sed cum sententiam passus est; nam poenae servus efficitur, nisi forte miles fuit ex militari delicto damnatus: nam huic permitti solet testari, ut D. Hadrianus rescripsit, et credo jure militari testabitur. *. *Lex* §. 10

scripserunt. Idcircoque legatarii et fideicommissarii habebunt ea quae sibi relicta sint, securi. l. 12.

TITULS IV.

De his quae in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur. (*)

SUMMARIA.

1. *Quae legi possunt deleta, inconsulto, vel non a testatore, valent.*
2. *Favendum benigniori interpretationi.*
3. *Deleta et suprascripta non ad solemnitatem, sed ad fidem testamenti pertinent.*

1. Quae in testamento legi possunt, ea inconsulto deleta et inducta nihilominius valent; consulto, non valent (*a*). Id vero quod non jusso domini scriptum (*b*), inductum, deletumve est, pro nihilo est. l. 1.

---

habet: Quid si quis fuerit damnatus illicite, poena non sumpta, an testamentum ejus irritum fiat; et non puto cum sententia eum non tenuerit. Ergo et si quis eum qui non erat jurisditionis suae damnaverit, testamentum ejus non erit irritum; quemadmodum est constitutum.

(*) Colligitur ex l. ult. hujus tituli, inductionem unius testamenti, si plura sunt exempla, alteri testamento sive exemplo non nocere. Lex autem adjicit: Sed si ut intestatus moreretur, incidit tabulas, sed hoc adprobaverint hi qui ab intestato venire desiderant, scriptis advocabitur haereditas.

(a) Quid, si aliquid sit ex alterius manu in testamento olographo? An utile per inutile vitiabitur? V. tit. *Qui testamenta facere possunt.* n. 38.

(b) V. in h. l. formam sententiae ferendae in auditorio principis. Item nota judices uti solitos hoc verbo, *videri*, *videtur*, *etc. mihi videri*, *aut non videri*. V. Gotofr.

Quod igitur inoaute factum est, pro non facto est, si legi potuit. l. 1. §. 1.

2. In re dubia benignorem interpretationem sequi non minus justius est quam tutius. l. 3.

In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet. l. 10. *circa finem ff. de reb. dub.* (c).

3. De his quae interleta, sive suprascripta dicis, non ad juris solemnitatem, sed ad fidei pertinent quaestionem, ut appareat utrum testatoris voluntate emendationem meruerint, vel ab altero inconsulto deleta sint, an ab aliquo falso haec fuerint commissa. l. 12. C. *de testam.* V. s. *qui test. fac. poss.* n. 43.

TITULUS V.

De haeredibus instituendis.

SUMMARIA.

1. *Medii temporis incapacitas non nocet.*
2. *Haeres est juris successor: haeredes, partibus non adscriptis aequales habent.*
3. *Haec verba* Uter vivet *superviventes ambos instituunt: praemorienti substituunt superviventem.*
4. *Nulla est ad alienum arbitrium collata institutio.*
5. *Nec ex die, nec ad diem haeres esse potest: aliud in legato.*

(c) Hinc favorabilior est sententia quae actum quoquo modo sustinet, et quae poenam unius ad alios non extendit; ut in l. 2 *hic*. Quae litiganti favet. Quae contra fiscum respondet, etc. Haec cancellatio instituti haeredis legatis et litiganti non nocet. Dicta lege 2 *hic*.

6. *An ad res Italicas quid pertineat aut provinciales, non locus, sed destinatio patrisfamilias judicabit.*
7. *Falsum in adsumptione demonstrationi certe non nocet.*
8. *Tribus temporibus spectanda haeredis scripti capacitas, testamenti, mortis testatoris, adeundae haereditatis.*
Haeres institutus cum capere poterit.
9. *Partes assis.*
10. *Inter similiter institutos deficientis pars caeteris accrescit, pro portionibus.*
11. *Incerti haeredis institutio non valet.*
12. *Conjuncti haeredes pars conjunctis accrescet, separatis omnibus.*
13. *Captatoriae institutiones improbantur, etiam in aliam personam directae.*
Non quae in beneficii praecedentis, quasi antidotum conferuntur.
14. *In eventu improviso servanda testatoris voluntas qua ratione potest.*
15. *Si quis ideo alium haeredem scripsit, quod priorem mortuum falso crederet, prior haeres.*
16. *Nec peregrini, nec damnati capitali judicio haeredes esse possunt.*
17. *Haeredi ex parte residua accrescit, quod cohaeres capere non potest.*
18. *Haeres pro re certa institutus legatarius est, non haeres.*
19. *Instituere potest haeredem testator quem non novit.*

1. Solemus dicere *media tempora non nocere*: utputa civis Romanus haeres scriptus, vivo testatore factus peregrinus, mox ad civitatem Romanam pervenit: *media tempora non nocere* (a). l. 6. §. 2.

2. Haeredes, juris successores sunt: et si plures instituantur, dividi inter eos jus a testatore oportet: quod si non fiat, omnes aequaliter haeredes sunt. l. 9. §. 12. (b).

3. *Titius et Seius uterve eorum vivet, haeres mihi esto.* Existimo, si uterque vivat, ambo haeredes esse: altero mortuo, eum qui superfuerit ex asse haeredem fore. Quia tacita substitutio inesse videatur institutioni. Idque et in legato eodem modo relicto senatus censuit (c). l. 24. l. 25. l. 26.

(a) L. 6 §. 12 *de injusto rupto*. l. 9 h. ait: quotiens volens alium haeredem scribere alium scripserit, in corpore hominis errans, veluti *frater meus*, *patronus meus*, placet neque eum haeredem esse qui scriptus est, quoniam voluntate deficitur, neque eum per quem voluit, quoniam scriptus non est. §. 1. Et si in re quis erraverit, utputa dum vult lancem relinquere, vestem leget, neutrum debebitur; hoc sive ipse scripserit, sive scribendum dictaverit. §. 2. Si cum dictasset ex semisse aliquem scribi, ex quadrante sit scriptus, posse defendi ex semisse haeredem fore, quasi plus nuncupatum, sit minus scriptum. §. 3. Sed si majorem adscripserit testamentarius, vel ipse testator (quod est difficile) ut pro quadrante semissem, ex quadrante forte haeredem, quoniam inest quadrans in semisse. V. l. 15 *de legatis*. 1. §. 4. Sed et si quis pro centum ducenta per notam scripsisset, idem juris est: nam et ibi utrunque scriptum est, et quod voluit et quod adjectum est de notis usitatis et non usitatis. V. l. 6 *de bonorum possessione*. n. 107 c. 1; l. 40 *de testamento militis*. l. 15 c. *de haeredibus instituendis*. l. 33. Ex quibus causis majores. §. 8. Si quis nomen haeredis quidem non dixerit, sed indubitabili signo eum demonstraverit, quod pene nihil a nomine distat, non tamen eo quod contumeliae causa solet addi, valet institutio.

(b) V. §. 13 et expunge ultima verba propter jus accrescendi et in favorem testatoris: ne totum ejus testamentum corruat, satius est particulam everti.

(c) Quid si praemortuus relinquat liberos? Non admittuntur.

4. Illa institutio, *quos Titius voluerit*, ideo vitiosa est, quod alieno arbitrio permissa est (*d*): nam satis constanter veteres decreverunt testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere (*e*). l. 32.

5. Haereditas ex die, vel ad diem, non recte datur: sed vitio temporis sublato; manet institutio. l. 34.

Illud quoque quod de legatis vel fideicommissis temporalibus, utpote irritis a legum conditoribus definitum est, emendare prospeximus, sancientes talem aliam legatorum vel fideicommissorum speciem valere, et firmitatem habere. Cum enim jam constitutum sit fieri posse temporales donationes, et contractus, conseguens est etiam legata et fideicommissa, quae ad tempus relicta sunt, ad eandem similitudinem confirmari: post completum videlicet tempus ad haeredem, iisdem legatis, vel fideicommissis remanentibus, necessitatem habente legatario vel fideicommissario cautionem in personam exponere (*f*), ut (ei) post transactum tempus res non culpa ejus deterior facta restituatur. l. ult. C. *de legat.*

6. Ex facto proponebatur quemdam duos haeredes scripsisse, unum rerum provincialium, alterum rerum Italicarum: et cum merces in Italia devehere soleret, pecuniam misisse in provinciam ad merces comparandas; quae comparatae sunt, vel vivo eo, vel post mortem, nondum tamen in Italiam devectae. Quaerebatur, merces

(d) V. l. 75 *de legatis* 1. l. 1 *de legatis* 2.
(e) Testamentum enim est voluntatis nostrae declaratio. Apud Hispanos in usu est *cometido a hazer testamento*.
(f) Cautio in legato conditionali.

utrum ad eum pertineant qui rerum Italicarum haeres scriptus erat: an vero ad eum qui provincialium? . . . Rerum autem *Italicarum* vel *provincialium* significatione, quae res accipiendae sint, videndum est. Et facit quidem totum voluntas defuncti. Nam, quid senserit, spectandum est. Veruntamen hoc intelligendum erit, *rerum Italicarum* significatione eas contineri, quas perpetuo quis ibi habuerit, atque ita deposuit, ut perpetuo haberet. Caeteroquin si tempore in quo transtulit in alium locum, non ut ibi haberet, sed ut denuo ad pristinum locum revocaret: neque augebit quo transtulit; neque minuet unde transtulit. . . . Quae res in proposito suggerit ut *Italicarum rerum* esse credantur hae res, quas in Italia esse testator voluit.

Proinde et si pecuniam misit in provinciam ad merces comparandas, et necdum comparatae sint, dico pecuniam, quae idcirco missa est, ut per eam merces in Italiam adveherentur, (in) Italico patrimonio injungendam (*g*): nam et si dedisset in provincia de pecuniis quas in Italia exercebat, ituras et redituras, dicendum est, hanc quoque Italici patrimonii esse rationem.

Igitur efficere dici, ut merces quoque istae quae comparatae sunt, ut Romam veherentur, sive profectae sunt eo vivo, sive nondum, et sive scit, sive ignoravit, ad eum haeredem pertinere, cui *Italicae res* sunt adscriptae. l. 35. d. l. §. 5. in princ. et in f. et §. penult. et ult.

7. Si in patre, vel patria, vel alia simili adsumptione falsum scriptum est; dum de eo qui demonstratus sit, constet, institutio valet. l. 48. §. ult.

(*g*) Destinatio testatoris decidit.

8. In extraneis haeredibus illa observantur, ut sit cum eis testamenti factio; sive ipsi haeredes instituantur, sive hi qui in potestate eorum sunt. Et id duobus temporibus inspicitur: testamenti facti (*h*), ut constiterit institutio; et mortis testatoris, ut effectum habeat. Hoc amplius, et cum adibit haereditatem, esse debet cum eo testamenti factio; sive pure, sive sub conditione haeres institutus sit. Nam, jus haeredis eo vel maxime tempore inspiciendum est, quo adquirit haereditatem: medio autem tempore inter factum testamentum et mortem testatoris, vel conditionem institutionis existentem, mutatio juris haeredi non nocet: quia ut dixi, tria tempora inspicimus. l. 49. §. 1. V. s. l. 6. §. 2. et 1. *de leg.* 2. l. 52.

In tempus capiendae haereditatis institui haeredem posse, benevolentiae est (*i*): veluti *Lucius Titius, cum capere potuerit, haeres esto.* Idem et in legato. l. 62.

Si deportati servo fideicommissum fuerit adscriptum, ad fiscum pertinere dicendum est: nisi si eum deportatus vivo testatore alienaverit (*k*), vel fuerit restitutus: tunc enim ad ipsum debebit pertinere. l. 7. ff. *de leg.*

9. *Haereditas* plerumque dividitur in duodecim uncias, quae assis appellatione continentur: habent autem et hae partes propria nomina ab unica usque ad

---

(h) Apud nos, jure consuetudinario, non requiritur capacitas legatarii universalis aut particularis, tempore testamenti; nec servamus regulam Catonianam et omnes dispositiones tanquam conditionales, et ad tempus mortis relatas accipimus, in quibus haec regula cessat. Unde apud nos, si Monachus nominetur legatarius universalis, et tempore mortis factus sit Episcopus, tunc legatum sortietur effectum.

(i) L. 25. C. *de inofficioso testamento.*

(k) L. 82. §. 2. *et legatis* 2.

assem, (puta) haec, *sextans*, *quadrans*, *triens*, *quincunx*, *semis*, *septunx*, *bes*, *dodrans*, *dextans*, *deunx* (as). l. 50. §. 2.

10. Cum quis ex institutis, qui cum aliquo conjunctim institutus sit, haeres non est, pars ejus omnibus pro portionibus haereditariis accrescit; neque refert, primo loco quis institutus, an alicui substitutus haeres sit. l. 59. §. 3. V. 1. l. 63. l. 2. C. *eod.* 1. n. 17. l. 53. §. 1. *de acquir. vel om. haer.*

11. Quoties non apparet quis haeres institutus sit, institutio non valet (*l*); quippe evenire potest, si testator complures amicos eodem nomine habeat, et ad designationem nominis singulari nomine utatur: nisi ex aliis apertissimis probationibus fuerit revelatum, pro qua persona testator senserit (*m*). l. 62. §. 1. V. 1. n. 19. l. 9.

12. Haeredes sine partibus utrum conjunctim an separatim scribantur, hoc interest, quod si quis ex conjunctis decessit, hoc non ad omnes, sed ad reliquos,

(l) L. 2. *de liberis et posthumis*. V. contra l. 17 §. 1. *de legatis* 2. ubi legatum inter plures dividitur, vel potius multiplicatur si de aliquo non constet. V. l. 3 §. 7 *de adim. leg.* * Lex 1 §. 6 *de bonorum possessionibus secundum tabulas*, ait: Sed etsi in duobus codicibus signatis alios atque alios haeredes scripserit, et utrumque extet, ex utroque quasi ex uno competit bonorum possessio, quia pro unis tabulis habendum est, et supremum utrumque accipimus. l. 61 *hic ait*. Qui volebat filiam exhaeredare, sic testamento comprehendit: *Te autem, filia, ideo exhaeredavi quoniam contentam te esse dote volui*. Quaero, etc. Respondit nil proponi cur non esset voluntate testatoris exhaeredata. V. l. 65 §. ult. *de rei vindicatione*, et Gotofr. hic.

(m) Unde si duo sint amici ejusdem nominis, non possunt inter se convenire ut alter dumtaxat petat haereditatem, cum certa non sit erga petentem voluntas defuncti. Nec etiam [illegible] possunt, cum ista non fuerit adhuc voluntas testatoris, [illegible] 40 h. t.

qui conjuncti erant, pertinet: sin autem ex separatis, ad omnes qui testamento eodem scripti sunt haeredes portio ejus pertinet. l. 63.

Si quidam ex haeredibus institutis vel substitutis permixti sunt, et alii cojunctim, disjunctim nuncupati: tunc si quidem ex conjunctis aliquis deficiat, hoc omnimodo ad solos conjuntos num suo veniat onere, id est, pro parte haereditatis quae ad eos pervenit. Sin autem ex his qui disjunctim scripti sunt, aliquid evanescat, hoc non ad solos disjunctos, sed ad omnes tam conjunctos, quam etiam disjunctos similiter cum suo onere pro portione haereditatis perveniat. Hoc ita tam varie, quia conjuncti quidem, propter unitatem sermonis, quasi in unum corpus redacti sunt, et partem conjunctorum sibi haeredum quasi suam praeoccupant. Disiuncti vero ab ipso testatoris sermone apertissime sunt discreti, ut suum quidem habeant, alienum autem non soli appetant, sed cum omnibus cohaeredibus suis accipiant. l. un. §. 10. C. *de caduc. toll.* (1)

13. Captatorias institutiones (*n*) non eas senatus improbavit, quae mutuis affectionibus judicia provocaverunt, sed quarum conditio confertur ad secretum alienae voluntatis. l. 60. l. 64. ff. *de leg.* 1. l. 11. C. *de test. mil.*

Illae autem institutiones captatoriae non sunt: velu-

(1) » Avrà luogo il diritto di accrescere a vantaggio degli eredi o de' legatarj, se l'instituzione o il legato è fatto a più persone congiuntamente — Si reputa fatta *congiuntamente* l'istituzione o il legato, quando dipenda da una sola e medesima disposizione, e quando il testatore non abbia assegnata la parte di ciascun coerede o collegatario nella eredità o nella cosa legata. (*Leggi civ. art.* 999)

(n) V. l. 1. *Si quis aliquem testari prohibuerit.*

ti si ita haeredem quis instituat, *qua ex parte Titius me haeredem instituit, ex ea parte Maevius haeres esto*, quia in praeteritum non in futurum institutio collata est. l. 71.

Sed illud quaeri potest, an idem servandum sit, quod senatus censuit, etiamsi in aliam personam captionem direxerit? Veluti si ita scripserit: *Titius, si Maevium tabulis testamenti sui haeredem a se scriptum ostenderit, probaveritque, haeres esto*: quod in sententiam senatus consulti incidere non est dubium. d. l. 71. §. 1. V: *de leg.* 1. l. 64.

14. Clemens patronus testamento caverat, ut *si sibi filius natus fuisset, haeres esset: si duo filii, ex aequis partibus haeredes essent: si duae filiae, similiter: si filius et filia, filio duas partes, filiae tertiam dederat* (o). Duobus filiis et filia natis, quaerebatur quemadmodum in proposita specie partes faciemus: cum filii debeant pares esse, vel etiam singuli duplo plusquam soror accipere. Quinque igitur partes fieri oportet, ut ex his binas masculi, unam faemina accipiat. l. 81.

15. Pactum ejus Androsthenes Pactumeiam Magnam filiam Pactumeii Magni ex asse haeredem instituerat, eique patrem ejus substituerat (*p*). Pactumeio Magno occiso, et rumore perlato quasi filia quoque ejus mortua, mutavit testamentum, Noviumque Rufum haeredem instituit, hac praefatione: *Quia haeredes, quos volui ha-*

(o) L. 13 *de liberis et posthumis.*

(p) Ex hac lege excludit Bartolus per falsam causam vitiari institutionem, licet legata firma maneant. V. l. 17 §. 2 3. l. 72 §. 6. *de conditionibus et demonstrationibus.*

bere mihi, continere non potui, Novius Rufus haeres esto. Pactumeia Magna supplicavit imperatores nostros; et cognitione suscepta, licet modus institutione contineretur, quia *falsus* non solet obesse, tamen ex voluntate testantis putavit imperator ei subveniendum: igitur pronuntiavit, *haereditatem ad Magnam pertinere* (q), sed legata ex posteriore testamento eam praestare debere, proinde atque si in posterioribus tabulis ipsa fuisset heares scripta. l. ult.

16. Qui deportantur, si haeredes scribantur, tanquam peregrini capere non possunt (r): sed haereditas in ea causa est, in qua esset, si scripti non fuissent. l. 1. C. *eod.*

17. Pater tuus si ex residua parte haeres institutus est quam alter haeres scriptus capere non poterat, isque ad nullam partem haereditatis per conditionem suam admitti potuit, ex esse haeres extit: nam residui commemoratio etiam totum admittit (s). l. 2. C. *eod.*

(q) Legata prioris testamenti censentur per posterius. Sed quare ii qui legata habent in secundo testamento praeferuntur haeredi scripto in eodem testamento, cum plus affectionis praesumatur erga haeredem quam erga legatarios? Imperfectae sunt leges humanae. Nonne dicendum est legatarios in secundo testamento scriptos excludi debere? Si quidem Pactumeia prima haeres scripta excludit Novium Rufum secundum haeredem; ergo excludere debet legatarios secundi testamenti: nam testator praesumitur non oneraturus esse primam haeredem legatis secundi testamenti, si quidem ea testamenta non sint relicta in secundo testamento. Verum hic applicari potest id quod introductum est per Nov. 115 in testamento inofficioso; ut institutio haeredis subvertatur, et legata fideicommissaque firma maneant.

(r) Testamentorum haeredem, et testes oportet esse cives Romanos. l. 36. C. Theod. *de haeredit.* l. 31 et 32 *de jure fisci.* Secus de legatariis. Potest enim legatum relinqui peregrino.

(s) Ne testator sit partim testatus, partim intestatus; nam in aliis casibus, nomine patris intelligitur dumtaxat dimidia. l. 161 *de verborum significatione.*

18. Quoties certi quidem ex certa re scripti sunt haeredes, vel certis rebus pro sua institutione contenti esse jussi sunt, quos legatariorum loco haberi certum est: alii vero ex certa parte, vel sine parte, qui pro veterum legum tenore ad certam unciarum institutionem referuntur, eos tandummodo omnibus haereditariis actionibus, uti vel conveniri decernimus, qui ex certa parte vel sine parte scripti fuerint, nec aliquam deminutionem earundem actionum occasione haeredum ex certa re scriptorum fieri. l. 23. C. *eod.* V. l. et l. 35. f. *eod.*

19. Extraneum etiam penitus ignotum haeredem quis instituere potest. l. 11. C. *de haered. instit.*

In quos nunquam testator vidit, haeredes institui possunt: veluti si fratis filios peregrinantes, ingnorans qui essent, haeredes institueris. Ingnorantia enim testantis inutilem institutionem non facit. §. ult. inst. *eod.* V. s. l. 62. §. 1.

TITULUS VI.

De vulgari et pupillari substitutione.

SUMMARIA.

1. *Instituti sunt qui primo gradu vocantur; substituti qui secundo.*
2. *Substitutio, aut simplex, aut duplex.*
   Utramque continet alterutra, si a patre fiat, nec contraria ejus voluntas appareat.
3. *Pupillaris est qui pater impuberis filii testamentum facit.*
4. *Exemplaris substitutio liberis mente captis.*
5. *Reciproca substitutio inter impuberes vulgarem continet et pupillarem: inter puberem et impuberem, vulgarem tantum: nonne etiam pupillarem, nisi aliud voluisse patrem appareat?*
6. *Haeredes in substitutionem vocati pro partibus haereditariis, substituti sunt.*
7. *Substitutus impuberi, aut utramque, aut neutram habet haereditatem.*
8. *Pluribus haeredibus invicem substitutis hi vocantur qui haeredes extiterunt, non eorum haeredes.*
9. *Substitutus ei, qui cohaeredi substitutus est, in utramque causam substituitur.*
10. *Substitutio in primo gradu uni institutorum, qui haeres non sit, deficiente, praefertur coheres substitutis altero gradu in universam haereditatem.*
11. *Qui cohaeredum supreme morienti substitutus est, si simul moriantur, utrique succedit.*
12. *Substitutio vulgaris in plures gradus fieri potest et plures uni, unusve pluribus substitui.*

13. *Testamentum non valet jure codicillorum, nisi hoc expressum est.*

14. *Idem ipse sibi substitui potest, mutata institutionis causa.*

15. *Inter in invicem substitutos est jus accrescendi.*

16. *Substitutus duobus impuberibus, si uterque decesserit, tantum ultimo morienti succedit.*

17 *Pupilla abstenta reviviscit substitutio.*

1. Haeredes aut instituti dicuntur, aut substituti instituti, primo gradu; substituti, secundo vel tertio l. 1.

2. Haeredis substitutio duplex est, aut simplex; veluti, *Lucius Titius haeres esto: si mihi Lucius Titius haeres non erit, tunc Seius haeres mihi esto: si haeres non erit, sive erit et intra pubertatem decesserit, tunc Caius Seius mihi haeres esto.* l. 1 §. 1.

Jam hoc jure utimur ex divi Marci et Veri constitutione (a): *Ut cum pater impuberi filio in alterum casum substituisset, in utrumque casum substituisse intelligatur.* Sive filius haeres non extiterit, sive extiterit et impubes decesserit (b). l. 4.

Si modo non contrariam defuntcti voluntatem extitisse probetur. l. 4. C. *de impub. et ab subst.* (1).

(a) Utrum vulgari substitutioni insit tacita pupillaris, et contra. V. Le Pretre, *cent.* 1 c. 26. Doctores colligunt ex lege 28 *de rebus auctorit. Judic. poss.* vulgarem non contineri in pupillari.

(b) Quid si substitutio hisce verbis concepta sit: *Filius meus impubes haeres esto; et si forte vivo me moriatur, Titius haeres esto?* An dicetur Titium esse propter substitutum, si filius patri supervixerit et infra pubertatem decesserit?

(1) » Può all' erede istituito, al donatario o al legatario sostituirsi una terza persona nel caso che alcuno di essi non conseguisse la eredità, la donazione o il legato. Questa disposizione vien detta *sostituzione volgare* (*Leggi civ. art.* 936).

3. Moribus introductum est (c), *ut quis liberis impuberibus testamentum facere possit, donec masculi ad quatuardecim annos perveniant, faeminae ad duodecim.* Quod sic erit accipiendum, si sint in potestate. Caeterum emaucipatis non possumus; posthumis plane possumus: nepotibus etiam possumus; et deinceps si qui non recasuri sunt in patris potestatem. l. 2.

4. *Ad exemplum pupillaris substitutionis possunt parentes liberis et nepotibus mente captis*, salva eorum legitima (*d*), substituere: ita tamen ut si ipsi mente capti liberos habeant, aut sine liberis fratres, extranei non substituantur; et evanescat substitutio, si resipiscant. Ex l. 9 C. *de impub. et al. substit.*

5. Quod jus ad tertium quoque genus substitutionis tractum esse videtur. Nam si pater duos filios impuberes haeredes instituat, in utrumque casum reciprocam substitutionem factam videri, D. Pius constituit. Sed si alter pubes, alter impubes, hoc communi verbo *eosque invicem substituo*, sibi fuerint substituti, in vulgarem tantummodo casum factam videri substitutionem Severus et Antoninus constituit. Incongruens enim videbatur, ut in altero duplex esset substitutio, in altero sola vulgaris (*e*). l. 4. §. 1 et 2.

Ita in altero utraque substitutio intelligitur, si voluntas parentis non refragetur. d. §. 4.

(c) *Jus municipale.* Plures leges loquuntur de consuetudine provinciae.

(d) Sensus est, patrem posse filio furioso substituere exemplariter, etiam in sua legitima, sicut in pupillari. Haec verba non sunt in lege *salva eorum legitima*. V. l. 26 *de inofficioso testamento*, ubi in substitutione pupillari legata non distrahuntur. In filio autem prodigo non fit substitutio exemplaris.

(e) Propter uniformitatem substitutionum.

6. Si in testamento haeredes scripti ita alicui substituti fuerint, *ut si is haeres non esset, quisquis sibi haeres esset, is in parte quoque deficientis esset haeres*; pro qua parte quisque haeres extitisset, pro ea parte eum in portione quoque deficientis vocari placet. Neque interesse, jure institutionis quisque ex majore parte haeres factus esset, an quod per legem alteram partem alicui vindicasset. l. 5.

Partes eaedem ad substitutos pertinent, quas in ipsius patrisfamiliae habuerunt haereditate. l. 8 in f.

Si plures sint instituti ex diversis partibus, et omnes invicem substituti, plerumque credendum et ex iisdem partibus substitutos, ex quibus instituti sint: ut si forte unus ex uncia, secundus ex octo, tertius ex quadrante sit istitutus; repudiante tertio, in novem partes dividatur quadrans; feratque octo partes qui ex besse institutus fuerat, unam partem qui ex uncia (scriptus est), nisi forte alia mens fuerit testatoris; quod vix credendum est, nisi evidenter fuerit expressum. l. 24.

Cum haeredes ex disparibus partibus instituti, et invicem substituti sunt, nec in substitutione facta ullarum partium mentio, verum est non alias partes testatorem substitutione tacite inseruisse, quam quae manifeste in institutione expressae sint. l. 1 C. *de impub. et al. subst.*

Filio impuberi haeredi ex asse institutus quis est: extitit patri filius haeres: an possit substitutus separare haereditates, ut filii habeat (*a*), patris non habeat? Non potest. Sed aut utriusque debet haereditatem ha-

---

(a) L. 1 et 2 *de acquirenda vel omittenda haereditate*. l. 59 eod.

bere, aut neutrius (*b*). Juncta enim haereditas coepit esse. l. 10 §. 2 (*c*).

V. leg. 28 D. *de reb. auth. jud. poss.*

8. Qui plures haeredes instituit, ita scripsit: *eosque omnes invicem substituo* (*d*): post aditam a quibusdam ex his haereditatem, uno eorum defuncto, si conditio substitutionis extitit, alio haerede partem suam repudiante, ad superstites tota portio pertinebit. Quoniam invicem in omnem causam singuli substituti videbuntur: ubi enim quis haeredes instituit, et ita scribit, *eosque invicem substituto*, hi substituti videbuntur, qui haeredes extiterunt (*e*). l. 23.

Paulus respondit, si omnes instituti haeredes omnibus invicem substituti essent, ejus portionem qui, quibusdam defunctis postea portionem suam repudiavit, ad eum solum, qui eo tempore supervixit, ex substitutione pertinere. l. 45 §. 1.

(b) Secus ergo quando non sunt junctae haereditates, ut in l. 12 h. t.

(c) L. 8 §. 1 h., l. 81 *de acquirenda vel omittenda haereditate.*

(d) Species enim ex Cujac. Ex quatuor institutis et substitutis tres adierunt; tertius decessit; postea quartus partem suam repudiavit: pars quarti accrescet duobus primis tantum, non vero haeredi tertii; quia singuli videntur substituti in universam causam substitutionis, sine alterius concursu quam ejus qui directo ex testamento haeres extitit testatori, non etiam haeredis haeres, quia non est haeres ex testamento, nec ex judicio testatoris. l. 8 §. 1 h. t. Nec est proximus haeres. l. 70 *de verborum significatione.* Hinc dicitur spes substitutionis non transmitti ad haeredem. l. 81 *de acquirenda vel omittenda haereditate.* l. 9 *de suis.* Ratio, ut ait Cajacius, sumenda est ex veteri regula; qua haereditas vel haereditatis portio non adquisita ex institutione vel ex substitutione, ad haeredem non transfertur, ne scilicet plus juris transferatur in haeredem quam defunctus habuerit. V. ad legem 81 *de acquirenda vel omittenda haereditate.*

(e) Substitutus non transmittit spem substitutionis in haeredem, si forte substitutus decedat ante aperturam, id est, ante conditionem substitutionis. l. 81 *de acquirenda haereditate.*

Sed si plures sint ita substituti : *Quisquis mihi ex suprascriptis haeres erit* , deinde quidam ex illis, postea quam haeredes extiterunt patri , obierunt ; soli superstites ex substitutione haeredes existent , pro rata partium ex quibus instituti sunt : nec quicquam valebit ex persona defunctorum. l. 10.

9. Si Titius cohaeredi suo substitutus fuerit , deinde ei Sempronius ; verius puto in utramque partem Sempronium substitutum esse (*f*). l. 27.

10. Quidam testamento Proculum ex parte quarta , et Quietum ex parte dimidia et quarta haeredem instituit : deinde Quieto Florum , proculo Sosiam haeredes substituit : deinde , si neque Florus neque Sosia haeredes essent , tertio gradu ex porte dimidia et quarta coloniam Leptitanorum , (et) ex quarta complures haeredes substituit in plures quam tres uncias : Quietus haereditatem adiit ; Proculus et Sosia vivo testatore decesserunt (*a*). *Quaeritur*, quadrans Proculo datus ad Quietum , an ad substitutos tertio gradu pertineat ? *Respondi* ; eam videri voluntatem patrisfamilias fuisse ,

---

(f) Substitutus substituto intelligitur substitutus instituto, scilicet in substitutione vulgari et in fideicommissaria ; secus in pupillari , ut quidam inferunt ex l. 47 h. t. quia ut ait Cujac. in vulgari et in fideicommissaria substitutione , unica est tantum haereditas , unde scindi non potest per haeredem legitimum , sed eam totam substitutus vindicare potest. At in pupillari substitutione duplex est testamentum et duae sunt haereditates ; unde nil vetat unam ex testamento vindicari , alteram ab intestato deferri. V. contra Duperier. lib. 2 q. 5 et q. 20.

(a) Proculus 3.	Quietus 9 uncias habet.
Sosia	Florus
Septiati et plures	
Proculus et Sosia decesserunt.	Quietus adiit solus ; et solus admittitur ad partem Proculi.

ut tertio gradu scriptos haeredes ita demum substituerit, si tota haereditas vacasset; idque apparere evidenter ex eo quod plures quam duodecim uncias inter eos distribuisset: et idcirco partem quartam haereditatis de qua quaeritur, ad Quietum pertinere. l. 30.

11. Ex duobus impuberibus ei qui supremus moreretur, haeredem substituit: si simul morerentur, utrique haeredem esse resdondit. Quia supremus (*b*) non is demum post aliquem, sed etiam post quem nemo sit intelligatur: sicut et e contrario proximus (c) non solum is, qui ante aliquem, sed etiam is ante quem nemo sit, intelligitur. l. 34. V. 1. *de bon. poss. sec. tab.* l. 11.

12. Potest quis in testamento plures gradus haeredum facere: puta, si ille haeres non erit, ille haeres esto, et deinceps plures. l. 36.

Et vel plures in unius locum possunt substitui, vel unus in plurium, vel singulis singuli, vel invicem ipsi qui haeredes instituti sunt. l. 36. (2)

13. Ea scriptura quam testamentum esse voluit (testator) codicillos non faciet, nisi hoc expressum est (*d*). l. 41 §. 3. V. *de jure codicill.* l. 1.

14. In plerisque quaeritur, an ipse sibi substitui possit? Et respondetur, causa institutionis mutata, substitui posse. l. ult. §. 1. Si sub conditione quis haeres scriptus

---

(b) V. l. 9 *de rebus dubiis* et infra. n. 16.

(c) V. contra n. 24 ad Treber. et M. Domat, *de substitutionibus*, tit. 3 f. 1 n. 18.

(2) » Possono sostituirsi più persone ad una sola, ed una sola a più (*Leggi civ. art.* 937).

(d) Quaedam tamen expressa et enixa verba vim codicillorum inducunt, ut in l. 88 §. 17 *de legatis*. 2. Quidam putant clausulam codicillarem inesse ipso jure in testamentis; sed contra ex hac lege quidam distinguunt testamenta inter liberos, ubi ipso jure et tacite inesse creduntur.

sit, pure autem substitutus est, causa immutatur. d. §.

15. Testamento jure facto, multis institutis haeredibus, et invicem substitutis, adeuntibus suam portionem etiam invitis, cohaeredum repudiantium accrescit portio (e). l. 6 C. *de impub. et al. sub.* (3)

16. Cum quidam duobus impuberibus filiis suis haeredibus institutis adjecit: *Si uterque impubes decesserit, illum sibi haeredem esse*; dubitabatur apud antiquos legum auctores utrum ne tunc voluerit substitutum admitti, cum uterque ejus in prima aetate decesserit; an alterutro decedente (*f*), illico substitutum in ejus partem succedere. Et placuit Sabino substitutionem tunc locum habere, cum uterque decesserit: cogitasse enim patrem, primo filio decedente, fratrem suum in ejus portionem succedere. Nos ejusdem Sabini veriorem sententiam existimantes, non aliter substitutionem admittendam esse censemus, nisi uterque eorum in prima aetate decesserit. l. 10 C. *eod.*

17. Ex contractu paterno actum est cum pupilla tutore auctore, et condemnata est: postea tutores abstinuerunt eam bonis paternis, et ita bona defuncti ad substitutum, vel cohaeredes pervenerunt. Quaeritur an hi ex causa judicati teneantur? Rescripsit, dandam in eos actionem (*a*) nisi culpa tutorum pupilla condemnata est. l. 44 D. *de re judic.* (*b*).

(e) V. l. 53 §. 1 *de acquirenda vel omittenda haereditate.*

(3) » Se nella sostituzione insieme co' primi nominati è chiamata qualunque altra persona, la parte vacante apparterrà a tutti i sostituiti egualmente. » (*Leggi civ. art.* 940).

(f) V. l. 34 supra l. 9 *de rebus dubiis*, et l. 37 supra.

(a) Ergo res adversus haeredem judicata, habetur pro judicata adversus substitutum; sicut et praescriptio quae adversus haeredem currit substituto imputatur. l. 70 § 2 *ad Trebell.*

(b) V. l. 22 *de minoribus*, ubi stant ea omnia quae a minore interea gesta sunt.

TITULUS VII.

De conditionibus institutionum.

SUMMARIA.

1. *Conditio impossibilis, vel aliud mendum pro non adjectis habentur.*
2. *Pro impleta habetur conditio, cum per haeredem non stat.*
3. *Si conjunctae sint conditiones, singulae implendae; si disjunctae, una sufficit.*
4. *Remittitur conditio jurisjurandi.*
5. *Conditio contra bonos mores remittenda. Ea non possumus, quae honeste non possumus.*
6. *Haeres testamento institui potest is qui codicillis nominabitur.*
7. *Non est conditio, quae vel in praeteritum confertur, vel in presens.*
8. *Fratres sub conditione in alterum collata inaequaliter instituti: ea deficiente veniunt in viriles.*

1. Sub impossibili conditione, vel alio mendo factam institutionem placet non vitiari (c). l. 1. et 6. *eod.* (1)

(c) §. 10. Instit. *de haeredibus instituendis* ait: Impossibilis conditio in istitutionibus, et legatis, et fideicommissis, et litigantibus pro non scripta habetur. V. l. 37 *de conditionibus et demonstrationibus*, ubi conditio impossibilis non vitiat legatum: quoniam magis legatarium aliquod commodum testator in hoc legato quam haeredem habere voluit: ut ait Gotofr. In legato legatarius censetur magis dilectus quam haeres; et onus injunctum si deficit, cedit lucro ejus cui erat injunctum. Praesumitur testatorem noluisse, ut exe-

2. Si ita haeres institutus sim, *si decem dedero*, et accipere nolit cui dare jussus sum, pro impleta conditione habetur. l. 3 (*d*).

Non videtur defectus conditione, si parere conditioni non possit. Implenda est enim voluntas, si potest. l. 8 §. 7 in fin.

3. Si haeredi plures conditiones conjunctim datae sint, omnibus parendum est, quia unius loco habentur. Si disjunctim sint, cuilibet. l. 5.

4. Quae sub conditione *jurisjurandi* relinquuntur, a praetore reprobantur (*e*). l. 8 (*f*).

---

quutioni mandaretur conditio impossibilis, aut legibus contraria: nam si ipse id voluisset, legatum foret nullum. V. Gotofr. ad l. 58 *de condictione indebiti*, ubi ait: Si condictio possibilis visa est testatori cum tamen impossibilis esset, pro possibili habetur, et non vitiat dispositionem: secus si putaret eam impossibilem, tunc enim vitiatur: unde quod dicitur in l. 3 *de conditionibus et demonstrationibus* obtinuit conditiones impossibiles testamento adscriptas pro nullis habendas; restringi debet, nisi testator possibiles putabat.

(1) » In qualunque disposizione tra vivi o di ultima volontà, si avranno per non iscritte le condizioni impossibili. » (*Leggi civ. art.* 816).

(d) V. l. 14 *de conditionibus et demonstrationibus.*

(e) Si haeres jurabat: Testator divinum nomen quod hanc haereditatem ex animi mei sententia habeo. Cujas 5 obs. 1. V. l. 62 *de acquirenda vel amittenda haereditate*, et l. 97 *de conditionibus et demonstrationibus*, quam Riccard non sic intelligit: de dispositionibus conditionalibus c. 5 s. 2 n. 240 et seq. Ipse ait, quod praetor edictum expressum fecerat ad restabiliendam conditionem jurisjurandi, quod frequens erat in legatis, nam ut ait lex 8 hic: Faciles sunt nonnulli ad jurandum contemptu religionis, alii per quam timidi metu divini numinis, usque ad superstitionem: at quod duo casus erant, in quibus jusjurandum non sinebatur, primus, in l. 97 *de conditionibus et demonstrationibus*, ubi sic: Municipibus, si jurassent, legatum est. Haec conditio non est impossibilis; per eos itaque jurabunt per quos res geruntur. Alter, in legato litigantis. l. 12 *de manu missis testamento.*

(f) L. 20 *de conditionibus et demonstration.*

5. Conditiones quae contra bonos mores inseruntur, remittendae sunt, veluti; *si ab hostibus patrem suum non redemerit, a parentibus suis patronove alimenta non praestiterit* l. 9 V. 14 *eod.* l. 27 *eod.*

Quae facta laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec nos facere posse credendum est (*g*). l. 15 in fin. (2)

6. Si ita scripserit (testator) *cujus nomen codicillis scripsero, ille mihi haeres esto*; dicendum erit institutionem valere nullo jure impediente (*h*). l. 10.

7. Nulla est conditio quae in praeteritum confertur, vel quae in praesens. Veluti, *si rex Parthorum vixit*; *si navis in portu stat* (*i*). l. 10 in fine.

8. *Uter ex fratribus meis consobrinam nostram duxerit uxorem, ex dodrante; qui non duxerit, ex quadrante haeres esto.* Aut nubit alteri, aut non vult nubere, consobrinam qui ex his duxit (uxorem), habebit dodrantem: erit alterius quadrans. Si neuter eam duxerit uxorem (*a*), non quia ipsi ducere noluerunt, sed quia illa nubere noluerit, ambo in partes aequales admittuntur. Plerumque enim haec conditio, *si uxorem duxerit, si dederit, si fecerit*, ita accipi oportet, quod per eum non stet, quominus ducat, det, aut faciat. l. 23.

(g) Lex ista est Papiniani, et vere eo digna.

(2) » In qualunque disposizione tra vivi o di ultima volontà, si avranno per non iscritte le condizioni che sono contrarie al buon costume. » (*Leggi civ. art.* 816.).

(h) V. l. 2 §. ult. *de jure codicillorum*: nec videtur institutio facta in codicillis.

(i) Quia statim effectum suum producit, nec suspendit.

(a) V. l. 31 *de conditionibus et demonstrationibus*.

Qui ex fratribus meis Titiam consobrinam uxorem duxerit, ex besse haeres esto, qui non duxerit ex triente haeres esto. Vivo testatore, consobrina defuncta, ambo ad haereditatem venientes, semisses habebunt: quia verùm est eos haeredes institutos, sed emolumento portionum eventu nuptiarum discretos (*b*). l. 24.

(b) L. 27. Quidam haeredem scripsit sub tali conditione, si reliquias ejus in mare abjiciat. Laudandus est magis quam accusandus qui non fecit, sed memoriâ humanae conditionis sepulturae tradidit. Sed hoc prius inspiciendum est, an homo qui talem conditionem posuit compos mentis esset? Vide apud Horatium.

Anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata, cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit haeres.
Scilicet elabi si posset mortua: Credo
Quod nimium institerat viventi.

V. apud Petronium in fine. Omnes qui in testamento meo legata habent, hac conditione percipient quae dedi, si corpus meum conciderint et adstante populo comederint.

TITULUS VIII.

De jure deliberandi.

SUMMARIA.

1. *Tempus ad deliberandum judex statuit, et producit.*
2. *Interest haeredis et creditorum haereditatis instrumenta inspicere.*
3. *Dum deliberat haeres, vendi possunt peritura, ut debita solvantur, et fiant impendiu.*
4. *Alitur filius ex haereditate dum deliberat.*
5. *Secundo et ulteriori gradu vocati habent quisque tempus deliberandi.*
6. *Haeres juris non ignars si decedat intra tempus deliberandi transmittit: non eo elapso.*
7. *Beneficio inventarii hueres non tenetur ultra vires haereditarias.*
   Forma inventarii.
8. *Impensae funeris, inventarii, et similes ab haerede retinentur.*
9. *Haeres et ipse creditor non confundit actiones.*
10. *Si de fide inventarii dubitetur, admittuntur probationes de omissis.*
11. *Creditoribus et legatariis solidum praestat haeres qui non confecerit inventarium.*

1. Ait praetor: *Si tempus ad deliberandum petit, dabo.* Cum dicit tempus, nec adjicit diem, sine dubio ostendit esse in jus dicentis potestate, quem diem praestituat. l. 1 §. 1 et 2. (1)

(1) » L' erede ha il termine di quaranta giorni per deliberare sull' accettazione o rinunzia della eredità; i quali cominciano a de-

Illud sciendum est nonnunquam semel, nonnunquam saepius diem ad deliberandum datum esse, dum praetori suadetur tempus quod primum aditus praestituerat, non sufficesse. l. 3.

2. Aristo scribit, non solum creditoribus, sed et haeredi instituto praetorem subvenire debere; isque copiam instrumentorum inspiciendorum facere, ut perinde instruere se possint, expediet, necne, agnoscere haereditatem. l. 5.

3. Si major sit haereditas, et deliberat haeres, et res sunt in haereditate, quae ex tractu temporis deteriores fiunt, adito praetore potest is, qui deliberat, sine praejudicio eas justis pretiis vendere: qui possit etiam ea quae nimium sumptuosa sint, veluti jumenta, ut venalitia, item ea quae mora deteriora fiant, vendere: quippe praeterea curaturus sit, ut aes alienum quod sub poena, vel sub praetiosis pignoribus debeatur, solvatur. l. 5 §. 1.

Igitur si quidem in haereditate sit vinum, oleum, frumentum, numerata pecunia, inde fieri debebunt impendia: si minus, a debitoribus haereditariis exigenda pecunia. Quod si nulli sunt debitores, aut judicem provocent, venire debent res supervacuae. l. 6.

Ex aliis quoque justis causis praetor aditus deminutionem permittet: neque enim sine permissu ejus debet deminutio fieri. l. 7 in fin. (2)

---

correre dal giorno della scadenza de' tre mesi accordati per l' inventario, o dal giorno in cui fu compito. » (*Leggi civ. art.* 712).

(2) » Se si trovano nella eredità robe soggette a deperimento, l' erede nella sua qualità di chiamano a succedere può farsi giudizialmente autorizzare a procedere alla vendita delle medesime. » *Leggi civ. art.* 713).

4. Filius dum deliberat alimenta habere debet ex haereditate. l. 9.

5. Si plures gradus sint haeredum institutorum, per singulos observaturum se ait praetor id quod praefiniendo tempore deliberationis edicit: videlicet ut a primo quoque ad sequentem translata haereditate, quam primum inveniat successorem, qui possit defuncti creditoribus respondere. l. 10 et 27 *de inofficioso testamento*.

6. Sancimus si quis vel ex testamento, vel ab intestato vocatus, deliberationem meruerit: vel si hoc quidem non fecerit, non tamen successioni renuntiaverit, ut ex hac causa deliberare videatur: sed nec aliquid gesserit quod aditionem, vel pro haerede gestionem inducat, praedictum arbitrium in successionem suam transmittat: . . . . et si quidem ipse qui sciens haereditatem vel ab intestato, vel ex testamento sibi esse delatam, deliberatione minime petita, intra tempus decesserit, hoc jus ad suam successionem intra tempus extendat. Si enim ipso postquam ei cognitum sit haeredem eum vocatum fuisse, tempore translapso nihil fecerit, ex quo vel adeundam, vel renuntiandam haereditatem manifestaverit; is cum successione sua ab hujusmodi beneficio excludatur. Sin autem instante tempore decesserit, reliquum tempus pro adeunda haereditate suis successoribus sine aliqua dubietate relinquat. Quo completo, nec haeredibus ejus alius regressus in haereditatem habendam servabitur. l. 19 C. *eod.*

V. 1 *de acquir. vel omit. haered.* n. 28 ex l. un. §. 5 C. *de cad. toll.*

7. Si dubius est (haeres sive ex testamento sive ab intestato) utrum ne admittenda sit, necne, defuncti

haereditas; non putet sibi esse necessariam deliberationem, sed adeat haereditatem, vel sese immisceat: omni tamen modo inventarium ab ipso conficiatur (a). l. ult. §. 2 C. *eod.*

Et si praefatam observationem inventarii faciendi (haeredes) solidaverint; haereditatem sine periculo habeant, et legis falcidiae adversus legatarios utantur beneficio: ut in tantum haereditariis creditoribus teneantur, in quantum res substantiae ad eos devolutae valeant. d. l. §. 4. Et nihil ex sua substantia penitus haeredes amittant, ne dum lucrum facere sperant, in damnum incidant. d. §. 4. (3)

(a) Jure romano beneficium inventarii prohiberi non potest a testatore: secus moribus nostris, quia apud nos haeres cum beneficio inventarii excluditur ad haerede, qui pure adit haereditatem. V. Paris 342 343. Licet jure civili testator non possit instituere haeredem sub conditione si inventarium non fecerit, et conditio remittatur, tamen doctores aiunt duas esse hic cautelas. Primam, ut testator vocet haeredem inter cognatos eum qui pure adire voluerit. Secundam, ut aliquem pure instituat et eum restitutione oneret si pure non adierit. *Langlois, ad 50 constit. Justin. decis.* 27 q. 5. *Idem decis.* 31 c. 5 n. 2, ait fiscum illigari poenis in statuto comprehensis contra non conficientes inventarium. Idque ex Nov. 2 §. ult. ubi nemo excipitur ab hac solemnitate, et dicitur hoc obtinere in omni poena sive privata sive militari, sive sacerdotali, sive imperiali, sive alterius cujuslibet. Quid de personali coactione contra haeredem beneficiarium pro restitutione bonorum, quae in inventario continentur? verum utique est eum esse depositarium de jure; at haec sua bona sunt, ipse etiam haeres, ac dominus est. Quid, haeres beneficiarius potest sibi ipsi solvere in praejudicium aliorum creditorum? Quid si creditores formalem appositionem non adhibuerint? Si ipsemet cum curatore statuere non fecerit, quod pecunia ad ipsum spectaret? Quando haeres beneficiarius est debitor defuncti, adest confusio, lex enim non impedit. Quid, haeres beneficiarius tenetur ne in inventario comprehendere quod ipse defuncto debet? tenetur ne de duo solvere quod defuncto debet?

(3) » L'effetto del beneficio dell' inventario consiste nel dare all' erede il vantaggio, 1. che non sia tenuto al pagamento de' debiti

(*Hoc inventarium*) Modis omnibus impleatur, sub praesentia tabulariorum, caeterorumque qui ad hujusmodi confectionem necessarii sunt. Subscriptionem tamen supponere haeredem necesse est, significantem et quantitatem rerum, *quod nulla malignitate circa eas, ab eo facta, vel facienda, res apud eum remaneant.* d. l. §. 2.

8. In computatione autem patrimonii damus ei (licentiam) excipere et retinere quidquid in funus expendit, vel in testamenti insinuationem, vel in inventarii confectionem, vel in alias necessarias causas haereditatis approbaverit sese persolvisse (*b*). l. ult. §. 9 C. *eod.* V. 1 l. 17 *de reb. aut. jud. poss.* (4)

9. Si vero et ipse aliquas contra defunctum habebat actiones, non hae confundantur: sed similem (cum) aliis creditoribus per omnia habeat fortunam: temporum tamen praerogativa inter creditores servanda. d. l. ult. §. 9 in fin. C. *eod.*

10. Licentia danda creditoribus, seu legatariis, vel fideicommissariis, si majorem putaverint esse substantiam a defuncto derelictam, quam haeres in inventario scripsit, quibus voluerint legitimis modis, quod superfluum est approbare. d. l. ult. §. 10. Ut undique ve-

---

ereditarj se non fino alla concorrente somma del valore de' beni ad esso pervenuti; ed anche che possa liberarsi dal pagamento dei debiti coll' abbandonar tutti i beni dell' eredità a' creditori ed a' legatarj; — 2. che non sieno confusi i suoi beni proprj con quelli della eredità, e che gli sia conservato contro la medesima il diritto di chiedere il pagamento de' suoi crediti. » (*Leggi civ. art.* 719).

(b) Idque sine praescriptione. Duperier. l. 1 q.

(4) » Le spese de' suggelli, se vennero apposti, quelle dell' inventario e del conto, sono a carico della eredità. » (*Leggi civ. art.* 729).

ritate exquisita, neque lucrum, neque damnum aliquod haeres ex hujusmodi sentiat haereditate. d. §.

11. Si quis autem temerario proposito deliberationem quidem petierit, inventarium autem minime conscripserit, et vel adierit haereditatem, vel minime repudiaverit, non solum creditoribus in solidum teneatur, sed etiam legis falcidiae beneficio minime utatur. d. l. ult. §. 14 C. *eod.* (5)

(5) » L' erede, benchè sieno scorsi i termi per fare inventario, ha nondimeno la facoltà di farlo, e di qualificarsi erede beneficiato, quando non abbia esercitato d' altronde verun atto proprio di erede, e non vi sia contro di lui qualche sentenza passata in giudicato, la quale lo condanni nella qualità di erede puro e semplice » (*Leggi civ. art.* 717).

LIBER XXIX.

TITULUS I.

De testamento militis.

SUMMARIA.

1. *Exemplum clausulae codicillaris.*
2. *Non temere omnis voluntas militis pro testamento habenda, sed ea quae legitimis probationibus ostendatur.*
3. *Turpis mulier ex testamento militis non capit.*
4. *Paganus in hostico jure militis testatur.*
5. *Jure militis is solus testatur qui in expeditione occupatus est.*
6. *Miles ante aetatem inutiliter testatur.*

1. Plerique solent, cum testamenta faciunt per scripturam, adjicere, *velle hoc etiam vice codicillorum valere* (*a*). l. 3. V. 1 *de jure codic.* l. 2.

2. Id privilegium quod militantibus datum est (*b*), ut quoquo modo facta ab his testamenta rata sint, sic intelligi debet, ut utique prius constare debeat testamentum factum esse. l. 24.

Caeterum si (ut plerumque sermonibus fieri solet) dixi alicui, *Ego te haeredem facio*, aut *tibi bona mea*

(a) Si miles testetur tanquam paganus testamentum ejus potest valere jure militari. Dicta lege 3 in principio.
(b) V. Louet. l. T. c. 8. Domat. *de testamentis.*

relinquo, non oportet hoc pro testamento observari. Nec ullorum magis interest, quam ipsorum quibus id privilegium datum est, ejusmodi exemplum non admitti. Alioquin non difficulter post mortem alicujus militis testes existerent, qui affirmarent se audisse dicentem aliquem, relinquere se bona cui visum sit, et per hoc judicia vera subvertuntur. d. l. 24.

Lucius Titius miles notario (suo) testamentum scribendum notis dictavit (c), et antequam litteris prescriberetur, vita defunctus est: Quaero an haec dictatio valere possit? Respondi, militibus quoquo modo volunt et quoquo modo possunt, testamentum facere concessum esse: ita tamen, ut hoc ita subsecutum esse legitimis probationibus ostendatur. l. 40.

3. Mulier in quam turpis suspicio (*d*) cadere potest, nec ex testamento militis aliquid capere potest, ut divus Hadrianus rescripsit. l. 41 §. 1.

4. Rescripta principum ostendunt, omnes omnino

(c) L. 6 §. 2 *de bonorum possessione* ait: Notis scriptae tabulae non continentur edicto. quia notas, litteras non esse Pedius scribit. L. 33 §. 1 ex quibus causis majores, ait eos qui notis scribunt acta praesidum reipublicae non abesse certum est. (Accursius legit affirmative). V. Cujac. 3 4 obs. 31 12 obs. ult. et ad Nov. 107 c. 1. Quidam notas esse signa tantum ut in Nov. 107. Quidam dicunt esse singulas. V. indicem notarum in fine. C. Theodos. ubi appositiones significant apud praefectum praetorio, etc. Gotofr. ad l. 53 §. 1. Ex quibus causis majores, refert. hos versus Manilii.

Atque hic scriptor erit Foelix cui littera verbum est,
Quique notis linguam superet, cursumque loquentis
Excipiat.

Martialis ait:

Nondum lingua suum dextra peregit opus.

(d) Ne blanditiis meretricum milites ab officio avertantur. Quod ad clericos extensum est; et ad eos extendi debet.

qui ejus sunt gradus, ut jure militari testari non possint, si in hostico deprehendantur (e) et illic decedant, quomodo velint, et quomodo possint, testari. Sive praeses sit provinciae, sive quis alius qui jure militari testari non potest. l. ult. (f).

5. Ne quidam putarent in omni tempore licere militibus testamenta, quoquo modo voluerint componere; sancimus, his solis qui in expeditionibus occupati sunt, memoratum indulgeri, circa ultimas voluntates conficiendas, beneficium. l. 17 C. *eod.* (1)

6. Licet antiquis legibus permittebatur pupillis, si tribunatum numerorum merebantur, ultimum elogium conficere posse: attamen indignum nostris temporibus esse videtur, eum qui stabilem mentem nondum adeptus est, propter privilegia militum sapientum jura pertractare (a): et in tam tenera aetate ex tali licentiam parentibus forte suis, vel aliis propinquis nocere, propriam substantiam extraneis relinquendo. l. ultim. C. *eod.* l. 3 D. *de manum. test.*

(e) Ista lex ult. privilegium militum omnibus communicando videtur illud evertere, nisi dicas illud esse militum privilegium, ut quocumque loco possint jure militari testamentum condere contra numerum sequentem.

(f) L. unic. *de bonorum possessione ex testamento militis.*

(1) » Le disposizioni circa la forma del testamento militare non avranno luogo se non a favore di coloro che saranno in ispedizione militare, o acquartierati o in guarnigione fuori del territorio del regno, o prigionieri presso il nemico: non potranno però approfittarne coloro che sono acquartierati o in guarnigione nell'interno del regno; eccettuato il caso che si trovino in una piazza assediata, o in una cittadella, o altro luogo le cui porte sieno chiuse, ed interrotte le comunicazioni a cagion della guerra. (*Leggi civ. art.* 909).

(a) Testamentum est voluntas sapientis.

TITULUS II.

De acquirenda vel omittenda haereditate.

SUMMARIA.

1. *Haeres vel in totum vel ex certis partibus, non potest a quibusdam abstinere.*
2. *Substitutus non admittitur, cum haeres adire potest.*
3. *Nolle non videtur qui non potest.*
4. *Mutus, surdus, bonis interdictum adire possunt haereditatem.*
5. *Haeredis Titii haeres, Titii haeres est.*
6. *Haeres tenetur ultra vires haereditarias.*
7. *Repudiatione amittitur haereditas.*
8. *Haereditatem legitimam non amittit qui testamentariam repudiat.*
9. *Repudiare potest qui acquirere.*
10. *Adire non potest qui certus non est de morte testatoris.*
11. *Pro haerede gerit qui animo haeredis gerit.*
12. *Quod pietatis vel custodiae causa geritur, potest non animo haeredis geri.*
    Aliud tenere res haereditarias, aliud pro haerede gerere.
13. *Qui id accipit quod non nisi haeres accipere potest, haeres fit.*
    Debitum solvens pro haerede gerit.
14. *Haeres legitimus qui testamentum ignorans quo institutus est, gerit, non fit haeres ex testamento: nec scriptus, qui vitium testamenti ignorans gerit.*
15. *Non repudiat qui de jure suo certus non est.*

16. *Qui pretium accipit ne sit haeres, non fit haeres, sed tenetur ut haeres.*

17. *Haeres est successor in universum jus defuncti.*

18. *Prior causa testamenti successione ab intestato.*

19. *In societate quaestus non venit haereditas.*

20. *Deficientium partes cohaeredi accrescunt, etiam invito.*

Qui ex parte haeres, ex parte substitutus, adiit ut haeres, invitus ex substitutione succedit.

21. *Haereditatis aditio ad mortem defuncti retrotrahitur.*

22. *Minor restituitur si damnosam adierit haereditatem.*

23. *Minoris restituti cohaeres, ejus partis onera non sustinebit.*

24. *Qui amovit non potest abstinere.*

25. *Qui postquam se abstinuit amovet, furti tenetur, sed non fit haeres.*

26. *Qui communibus quae cum defuncto habuit pro parte utitur, non fit haeres.*

27. *Substitutus cui non est jus quaesitum, non transmittit substitutionem ad suum haeredem.*

28. *Haereditas non adita non acquiritur, nec transmittitur.*

Liberi qui ante apertas tabulas decedunt jus suum transmittunt.

29. *Non personae sed rei cohaeret jus accrescendi.*

30. *Non vi aditur haereditas.*

31. *Absentis reipublicae causa qui ignota institutione decesserat, heredibus indulgetur jus adeundi.*

32. *Qui fundum haereditarium alio titulo quam haeredis errans possidet, non fit haeres.*

33. *Major qui vel adiit vel repudiavit, non restituitur.*

34. *Pro haerede habetur qui vendidit haereditatem.*

35. *Qui alienam rem, ut haereditaria attingit, animo agnoscit successionem.*

1. Qui totam haereditatem acquirere potest, is pro parte eam scindendo adire non potest. Sed et si quis ex pluribus partibus in ejusdem haereditate institutus sit, non potest quasdam partes repudiare (*b*), quasdam agnoscere. l. 1 et 2. Vel omnia admittantur, vel omnia repudientur. l. 20 C. *de jure deliber.*

Si ex asse haeres destinaverit partem habere haereditatis, videtur in assem pro haerede gessisse. l. 10.

2. Quamdiu prior haeres institutus haereditatem adire potest, substitutus non potest. l. 3 et 69.

3. Nolle adire haereditatem non videtur, qui non potest adire. l. 4.

4. Mutum necnon surdum, etiam ita natos, pro haerede gerere, et obligari haereditati posse, constat. l. 5.

Eum cui lege bonis interdicitur, haeredem institutum posse adire haereditatem constat (*c*). d. l. §. 1. (1).

5. In omni successione, qui ei haeres extitit qui Titio haeres fuit, Titio quoque haeres videtur esse. Nec potest Titii omittere haereditatem. l. 7 §. 2. Haeres haeredis testatoris est haeres. l. ult. C. *de haered. inst.* l. 194 D. *de reg. jur.*

(b) Idem de pluribus legatis quorum alterum onus habet. l. 4 5 6 *de legatis* 2; l. 10 §. 1 *de vulgari et pupillari substitutione.*

(c) Secus eum cui aqua et igni interdicum est. V. *de haeredibus instituendis*, in n. 16. Quid si haereditas sit damnosa?

(1) » Le eredità devolute agl' interdetti non possono validamente accettarsi se non dai loro tutori, previa l' autorizzazione del Consiglio di famiglia, nè altrimenti che col beneficio dell' inventario. ») *Leggi civ. art.* 693, 432 e 384 *combinati*).

6. Hereditas quin obliget nos aeri alieno, etiamsi non sit solvendo, plusquam manifestum est. l. 8.

7. Is qui haeres institutus est, vel is cui legitima haareditas delata est, repudiatione haereditatem amittit. l. 13. (2)

Recusari haereditas non tantum verbis, sed etiam re potest, et alio quovis indicio voluntatis. l. 95.

8. Haeres institutus, idemque legitimus, si quasi institutus repudiaverit, quasi legitimus non amittit haereditatem (*d*). l. 17 §. 1 V. 1 t. *si quis omn. caus. test.*

9. Is potest repudiare qui et acquirere potest. l. 18.

10. Qui haereditatem adire, vel bonorum possessionem petere volet, certus esse debet, defunctum esse testatorem. l. 19.

Neminem pro haerede gerere posse, vivo eo, cujus in bonis gerendum sit, Labeo ait. l. 27.

11. Pro haerede gerere videtur si qui aliquid facit quasi haeres. Et generaliter Julianus scribit, eum demum pro haerede gerere, qui aliquid quasi haeres gerit: pro haerede autem gerere, non esse facti quam animi: nam hoc animo esse debet, ut velit esse haeres. Caeterum si quid quasi non haeres egit, sed quasi alio jure dominus, apparet non videri pro haerede gessisse. l. 20. (3)

---

(2) » L' erede che rinunzia, è considerato come se non fosse mai stato erede. » (*Leggi civ. art.* 702).

(d) Repudiato novo jure quod ante defertur, supererit vetus. l. 91 *de regulis juris*.

(3) Cioè » quando l' erede fa un atto che suppone necessariamente la sua volontà di accettare la eredità, e che non avrebbe egli diritto di fare se non colla qualità di erede. » (*Leggi civ. art.* 695).

12. Et ideo solent testari liberi, qui necessarii existunt, non animo haeredis se gerere, quae gerunt; sed aut pietatis aut custodiae causa, aut pro suo; ut puta patrem *sepelivit* vel *justa ei fecit*: si animo haeredis, pro herede gessit. Enimvero si pietatis causa hoc fecit, non videtur pro haerede gessisse. l. 20 §. 1. Aut si non ut haeres, sed ut custodiat, aut putavit sua, aut, dum liberabat, quid fecit, consulens ut salvae sint res haereditariae, si forte ei non placuerit pro haerede gerere, apparet non videri pro haerede gessisse. d. §. 1.

Non hoc, an tenuerit quis res haereditatis, necne (sine voluntate acquirendae sibi haereditatis), quaerendum est; sed an admiserit hereditatem, vel bonorum possessionem. l. 3 C. *unde legit. et unde cogn.* (4)

13. Tunc pro haerede geri dicendum esse, ait (*Papinianus*), quoties accipit quod citra nomen et jus haeredis accipere non poterat. l. 20 §. 4.

Cum debitum paternum te exolvisse alleges pro portione haereditaria (*a*), agnovisse te haereditatem defuncti non ambigitur. l. 2 C. *de jur. delib.* (5)

14. Ut quis pro haerede gerendo obstringat se hae-

(4) » Gli atti semplicemente conservatorj, di vigilanza e di amministrazione provvisionale, non sono atti di adizione di eredità, se con essi non siasi assunto il titolo o la qualità di erede. » (*Leggi civ. art.* 696).

(a) In hac lege secunda virgula reponenda est post verbum *haereditaria*, ut is demum videatur agnovisse haereditatem, qui pro parte haereditaria solvit, non vero qui generaliter solvit: nam pietatis est parentem licet defunctum exonerare. V. l. 8 §. 1 C. *de inofficioso testamento*, quae est ejusdem imperatoris et ad eundem visum scripta.

(5) Vedi la nota 3.

reditati, scire debet qua ex causa haereditas ad eum pertineat. Veluti adgnatus proximus justo testamento scriptus haeres, antequam tabulae proferantur, cum existimaret intestato patremfamilias mortuum, quamvis omnia pro domino fecerit, haeres tamen erit. Et idem juris erit, si non justo testamento haeres scriptus, prolatis tabulis, cum putaret justum esse; quamvis omnia pro domino administraverit, haereditatem tamen non acquiret. l. 22.

15. In repudianda haereditate, vel legato, certus esse debet de suo jure is qui repudiat. l. 23.

16. Fuit quaestionis, an pro haerede gerere videatur, qui pretium haereditatis omittendae causa capit? Et obtinuit, hunc pro haerede quidem non gerere qui ideo accepit ne heres sit: in edictum tamen praetoris incidere (*b*). l. 24 v. 1. *si quis om. caus. test. l.* 2. (6)

17. Haeres in omne jus mortui, non tantum singularum rerum, dominium succedit: cum et ea quae in nominibus sint, ad haeredem transeant. l. 37.

18. Quamdiu potest ex testamento adiri haereditas, ab intestato non defertur. 39.

In plurium haeredum gradibus hoc servandum est, ut si testamentum proferatur, prius a scriptis incipiatur: deinde transitus fiat ad eos ad quos legitima haereditas pertinet (*c*). l. 70.

(b) Tenetur ergo legatariis, non vero creditoribus. Ratio, quia creditores nil amittunt, licet deferatur testamentum: legatarii autem defraudantur; sed excusso prius eo qui haereditatem adquisivit. l. 2 §. 1. *si quis omissa*.

(6) » La donazione, la vendita o la cessione che uno de' coeredi faccia de' suoi diritti di successione, inducono l' accettazione della eredità per sua parte. » (*Leggi civ. art.* 697).

(c) L. 42 §. 1 *ait*: Si in societatem quam vivo patre inchoa-

19. Cum quaestus et compendii societas initur, quidquid ex operis suis socius acquisierit (a), in medium conferet; sibi autem quisque haerditatem adquirit. l. 45 §. 2.

20. Qui semel aliqua ex parte haeres extiterit, deficientium partes etiam invitus (b) excipit, id est, tacite ei deficientium partes etiam invito adcrescunt. l. 53 §. 1.

Si quis haeres institutus ex parte, mox Titio substitutus, antequam ex causa substitutionis ei deferatur hereditas, pro haerede gesserit; erit haeres ex causa quoque substitutionis: quoniam invito quoque ei adcrescit portio. l. 35. (7)

21. Haeres quandoque adeundo haereditatem, jam tunc a morte successisse defuncto intelligitur. l. 128 et 193. (8)

22. Minoribus vigintiquinque annis, si temere damnosam haereditatem parentis appetierint, ex generali edicto, quod est *de minoribus vigintiquinque annis*, succurrit (proconsul): cum, et si extranei damnosam

---

verat filius, post mortem patris perseveraverit, Julianus recte distinguit, interesse utrum rem coeptam sub patre perficit, an novam inchoavit. Nam si quid novum in societatem inchoavit; non videri miscuisse haereditati patris, scripsit. Unde Baldus ait: Filius qui rem coeptam a patre perficit, videtur se immiscere: secus si inchoat novum factum ut proprium.

(a) V. l. 7 8 9. *pro socio.*

(b) V. supra de vulgari et pupillari substitutione. n. 15; l. 6 C. *de impuberum et aliis substitutionibus.*

(7) » La parte del rinunziante si accresce a' noi coeredi. » (*Legg. civ. art.* 703).

(8) » L'effetto dell' accettazione si retrotrae al giorno in cui si è aperta la successione. » (*Leggi civ. art.* 694).

haereditatem adierint, ex ea parte edicti in integrum eos restituit. l. 57 §. 1. (9)

23. Si minor annis, posteaquam ex parte haeres extitit, in integrum restitutus est, D. Severus constituit, ut ejus partis onus cohaeres suscipere non cogatur, sed bonorum possessio creditoribus detur (c). l. 61 v. l. 81.

24. Si quis suus se dicit retinere haereditatem nolle, aliquid autem ex haereditate amoverit (d), abstinendi beneficium non habebit. l. 71 §. 4.

25. Haec verba edicti ad eum pertinent, qui ante quid amovit, deinde se abstinet: caeterum si ante se abstinuit, hoc videamus an edicto locus sit (e)? Ma-

---

(9) Vedi la nota 1.

(c) Quia licet restitutus sit in integrum, tamen non desinit esse haeres, beneficium enim pretoris non potest frangere jus civile. Secus si is qui adiit haereditatem esset duntaxat impubes, quia non eget beneficio restitutionis adversus aditionem, sed licet ipse sese abstinere, et esse haeres. l. 7 §. 10 *de minoribus*. Hoc casu si duo sint haeredes instituti, et alter utpote minor restitutus sit, si major nolit partem minoris suscipere, devolvetur ad haeredem legitimum, et ita testator erit partim testatus, partim intestatus. Lex 59 ait: Qui patri haeres extitit, si idem filio impuberi substitutus est, non potest haereditatem praetermittere. Quod sic recipiendum est, etiam si vivo pupillo mortuus erit, deinde pupillus impubes decesserit: nam is qui haeres extiterit, pupillo quoque haeres necessario erit. Nam si ipsum invitum obligat, conjungi eam paternae haereditati et adcrescendi jure adquiri cuicumque patris haeredi, existimandum est. l. 10 §. 2 *de vulgari et pupillari substitutione*. Baldus ait. Qualis adquisitio et transmissio necessaria est, haereditas non adita transmittitur ad haeredes; secus si sit voluntaria. V. ad l. 81.

(d) Haeres autem qui aliquid furatus est in substractis patrem non habet. l. 48. *ad senatusconsultum Trebellianum*.

(e) Vidi ipse viduam majorem, quae cum communitati renunciasset egerat, et contraxerat ut communis. Ejus filii contendebant ut ipsa amitteret quod ex haereditate sibi ante alia spectabant, eam communem faciendo.

gisque est ut putem, istic Sabini sententiam admittendam, scilicet, ut furti potius actione creditoribus teneatur. Etenim qui semel se abstinuit, quemadmodum ex post delicto obligatur. l. 71 §. ult.

26. Duo fratres fuerant, bona communia habuerant: eorum alter intestato mortuus, suum haeredem non reliquerat: frater qui supererat, nolebat ei haeres esse: consulebat, num ob eam rem quod communibus (*f*), cum sciret eum mortuum esse, usus esset, haereditati se alligasset? Respondit, nisi eo consilio usus esset, quod vellet se haeredem esse, non adstringi. Itaque cavere debet, ne qua in re plus sua parte dominationem interponere. l. 78.

27. Toties videtur haeres institutus etiam in causa substitutionis adiisse (*a*), quoties adquirere sibi possit: nam si mortuus esset, ad haeredem non transferret substitutionem (*b*). l. 81 V. s. *de jure delib.* n. 6 (*c*).

(f) Jure potius suo usus esse rebus omnibus praesumitur. l. 51 *pro socio*. l. 1 *de actione rerum amotarum.*

(a) Duo sunt instituti et invicem substituti vulgariter. Primus adit et moritur. Secundus postea repudiat. Pars secundi non transfertur ad haeredem primi Glof. Ergo testator erit partim testatus. Verum nonne repudiatio unius ex institutis retrotrahi debet ad tempus mortis testatoris, ut patet ex l. 9 *de suis*, et l. 59 h. Nota. Jus accrescendi transmittitur in l. 9 *de suis*, in principio. Contra jus substitutionis non transmittitur, in eadem lege in fine. Vide quae dixi ad hanc legem 9. Contra spes substitutionis pupillaris transmittitur tanquam jus accrescendi in l. 59 *de acquirenda vel omittenda haereditate*. Contra l. 8 §. 1 *de vulgari et pupillari substitutione*, et l. 70 *de verborum significatione*. Dic hoc casu locum esse jure accrescendi, licet locus non sit substitutioni. Vide l. 9 *de suis*. Unde haeres primi non onerabitur legatis secundi.

(b) Ista lex potest explicari per l. 8 §. 1 *de vulgari et pupillari substitutione*, et l. 70 *de verborum significatione*. Dicitur autem in l. 8 §. 1. Haec verba: *Quisquis mihi haeres erit, idem*

28. In novissimo autem articulo, ubi proprie caduca fiebant, secundum quod praediximus, etiam clausis tabulis tam existere haeredes, quam posse adire, sive ex parte sint, sive ex asse instituti, censemus; et dies legatorum et fideicommissorum, secundum quod praediximus, a morte defuncti cedere. Haereditatem etenim, nisi fuerit adita, transmitti, nec veteres concedebant, nec nos patimur: exceptis videlicet liberorum personis, de quibus Theodosiana lex super hujusmodi

---

impuberi filio haeres esto, hunc habent sensum, ut non omnis qui patri haeres extitit, sed is qui ex testamento haeres extitit substitutus videtur: et ideo neque pater qui per filium, neque dominus qui per servum extitit ad substitutionem admittetur, neque haeredis haeres, quia non ex judicio veniunt. Vide l. 10, 23 e 45 in fine. l. 47 *de vulgari et pupillari substitutione.* Unde spes substitutionis non transmittitur: contra spes juris accrescendi ad haeredem transmittitur. l. 59 *de acquirenda vel omittenda haereditate.* l. 9 *de suis et legitimis haeredibus.* Scilicet in substitutione pupillari, quia obligat invitum eum qui conjunctus erat. Quoad transmissionem in terminis Juris distinguendum, in successione ab intestato soli filii, qui erant *sui* transmittebant sui patris successionem quin agnoverit, vel exercuerint suum jus. Filii emancipati, et collaterales non transmittebant. l. 4 C. *qui admitti ad bonorum possessionem possunt.* l. 2 C. *ad Orphitianum*: nec reperitur aliqua mutatio in jure quoad hoc caput. In successione testamentaria, nulla aliquando fuit transmissio. Haereditatem, nisi fuerit adita transmitti nec veteres concedebant, nec non patimur. l. un. §. 5 C. *de caducis.* Imperatores Theodosius et Valentinianus in l. 1 *C. de his qui ante apertas tabulas*, solis ascendentibus jus dederunt transmittendi solis suis descendentibus suam haereditatem testamentariam. Cujacius ait hanc legem nunquam excepisse extensionem in jure; unde nulla transmissio in jure nec pro collateralibus, nec pro extraneis institutis. Dispositiones conditionales, sive institutiones sint, seu substitutiones, legata, fideicommissa, non transmittuntur, si qui sunt vocati non superstites sunt conditioni. l. 5 et §. 1. *quando dies legatorum.* l. 1 §. 1 in fine. C. *de caducis.* l. 41 et 59 *de conditionibus.* l. 11 §. 6 *de legatis* 3. l. 81 *de acquirenda vel omittenda haereditate*

(c) V. ad l. 23 *de vulgari et pupillari sustitutione*, supra n. 8 quae dixi.

casibus introducta loquitur: his nihilominus, quae super his qui deliberantes ab hac luce migrant, a nobis constituta sunt, in suo robore mansuris. l. un. §. 5 C. *de cad. toll.* l. 7 C. *de jure delib.* V. s. *de jure delib.* n. 6 ex l. 29 C. *de jure delib.*

Per hanc jubemus sanctionem in posterum (valituram) filios seu filias, nepotes aut neptes, pronepotes aut proneptes, a patre vel matre, avo vel avia, proavo vel proavia scriptos haeredes, licet non sint invicem substituti, seu cum extraneis, seu soli sint instituti, et ante apertas tabulas defuncti (sive si noverint scriptos haeredes, sive ignoraverint) in liberos suos cujuscumque sint sexus vel gradus, derelictam sibi haereditariam portionem posse transmittere: memoratasque personas (si tamen haereditatem non recusant) nulla hujusmodi praescriptione sibi obstante, eam tanquam debitam vindicare. Quod scilicet etiam super legatis seu fideicommissis a patre vel a matre, avo vel avia, proavo vel proavia derelictis, locum habet. Si quidem perindignum est fortuitas ob causas, vel casus humanos, nepotes aut neptes, pronepotes aut proneptes, avita vel proavita successione fraudari; aliosque adversus avitum vel proavitum desiderium vel institutum, insperato legati commodo vel haereditatis gaudere. Habeant vero solatium tristitiae suae, quibus est merito consulendum. l. unic. C. *de his qui ante apert. tabul.* V. titul. *quand. dies leg. ced.*

Si totam, an partem, ex qua quis haeres institutus est, tacite rogatus sit restituere, apparet nihil ei debere accrescere: quia rem non videtur habere. l. 83.

30. Si metus causa adeat aliquis haereditatem, fiet,

ut quia invitus haeres existat, detur abstinendi facultas (*a*). l. 85.

31. Pannonius Avitus, cum in Cilicia procuraret, haeres institutus, ante vita decesserat quam haeredem se institutum cognosceret: quia bonorum possessionem, quam procurator ejus petierat, haeredes Aviti ratam habere non potuerant, ex persona defuncti restitutionem in integrum implorabant; quae stricto jure non competit, quia infra diem aditionis Avitus obisset; Divum tamen Pium contra restituisse, Maecianus libro Quaestionum refert in eo, qui legationis causa Romae erat, et filium, qui matris delatam possessionem absens amiserat, sine respectu ejus distinctionis restitutionem (locum) habere: quod et hic humanitatis gratia obtinendum est. l. 86. V. s. n. 26.

32. Eum bonis patris se miscere convenit, qui remoto familiae vinculo, pro haerede gerere videretur (*b*): et ideo filius qui, tanquam ex bonis matris, cujus haereditatem suscepit, agrum ad hereditatem patris pertinentem (*c*), ut maternum ignorans possedit, abstinendi consilium, quod in bonis patris tenuit, amisisse non videtur. l. 87.

33. Sicut major vigintiquinque annis, antequam adeat, delatam repudians successionem, post quaerere

(a)** *Lex* 21 §. 5. quod metus causa, *habet*: Si metu coactus adii haereditatem, puto me haeredem effici, quia quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui; sed per praetorem restituendus sum.

(b) Actus qui in extraneo inducit haereditatis aditionem, in haerede immixtionem. Bald.

(c) Ratio quia aditio haereditatis est animi. Qui errat autem non videtur consentire. Errantis non est voluntas nec consensus. Vide l. 88 ubi dicitur e contrario.

non potest, ita quaesitam renuntiando nihil agit, sed jus quod habuit retinet (*d*). l. 4 C. *de rep. vel abst. haer.*

Si major vigintiquinque annis haereditatem fratris tui repudiasti, nulla tibi facultas ejus adeundae relinquitur. l. 7 C. *de dolo.* (10)

34. Quamvis haeres institutus haereditatem vendiderit, tamen legata et fideicommissa ab eo peti possunt, et quod eo nomine datum fuerit, venditor ab emptore, vel fidejussoribus ejus petere poterit (*e*). l. 2 C. *de leg.* (11)

35. Gerit pro haerede, qui animo agnoscit successionem, licet nihil attingat haereditarium; unde et si domum pignori datam, sicut haereditariam, retinuit, cujus possessio qualisqualis fuit in haereditate, pro haerede gerere videtur: idemque est, et si alienam rem, ut haereditariam, possedisset (*f*). l. 88. V. l. 87. (12)

(d) * *L.* 90 §. 1 *ait*: Si jussu avi nepos patris, qui de castrensi peculio testamentum fecit, haereditatem adiisset, adquisisse ei ea de quibus pater testari potest, quia castrensia esse mutatione personae desierint.

(10) » Il maggiore di età non può impugnare l' accettazione espressa o tacita da esso fatta di una eredità, salvo che nel caso in cui tale accettazione fosse stata la conseguenza di un dolo usato verso di lui. Egli non può addurre mai verun richiamo sotto pretesto di lesione. » (*Leggi civ. art.* 700).

(e) V. *de pactis* n. 34, et l. 2 C. *de pactis.*

(11) Concorda (*Leggi civ. art.* 697).

(f) Qui errat in rebus haereditariis, tamen eas tractando fit haeres, modo animum adeundae haereditatis habeat, quia licet nihil attingeret fieret haeres solo animo. l. 89 *ait*: Si pupillus se haereditate abstineat, succurrendum est et fidejussoribus ab eo datis, si ex haereditario contractu conveniantur. l. 87 §. 1 *ait*: Pupillis, quos placuit oneribus haereditariis esse liberandos, confusas actiones restitui oportet. (Restitutio in integrum actiones confusas restituit. Gotofr.).

(12) Concorda (*Leggi civ. art.* 695).

TITULUS III.

Testamenta quemadmodum aperiantur, inspiciantur, et describantur (*).

SUMMARIA.

1. *Tabulae testamenti omnium sunt quorum interest.*
2. *Antequam aperiantur tabulae, advocandi testes, ut signa sua recognoscant.*

1. Tabularum testamenti instrumentum non est unius hominis, hoc est haeredis; sed universorum quibus quid illic adscriptum est: quin potius publicum est instrumentum. l. 2.

2. Cum ab initio aperiendae sint tabulae, praetoris id officium est, ut cogat signatores convenire, et sigilla sua recognoscere, vel negare se signasse. Publice enim expedit, suprema hominum judicia exitum habere. Seb si major pars signatorum fuerit inventa, poterat ipsis intervenientibus resignari testamentum, et recitari. l. 4, 5; 6. (a). (1)

(*) Si aliquis e testibus est defunctus vel absens, verificatio ejus subscriptionis fit ab aliis: si aliquis aegrotat, in ejus domum itur pro verificatione. Si omnes sunt mortui, uti et Tabellio, viri probi adhibentur, qui testium subscriptiones agnoscunt. l. 6 et 7 in fin.

(a) * *Lex 7 habet*: Sed si quis ex signatoribus aberit, mitti debent tabulae testamenti, ubi ipse sit, ut cognoscat; nam revocari eum agnoscendi causa onerosum est; quippe saepe cum magna captione a rebus nostris revocamur, et iniquum sit damnosum cuique esse officium suum. Quod si forte omnibus absentibus causa aliqua aperire tabulas urgeat, debet judex curare, ut intervenientibus optimae opinionis viris, aperiantur, etc. Quid si testes mortui sunt?

(1) » Qualunque testamento olografo, prima che abbia esecu-

TITULUS IV.

Si quis, omissa causa testamenti, ab intestato vel alio modo possideat haereditatem (*).

SUMMARIA.

1. *Qui omissa causa testamenti ex alia causa possidet haereditatem, ex testamento tenetur.*
2. *Qui per fraudem omittit, ut legitimis succedat, legata praestabit.*
3. *Qui pretio accepto abstinet vel repudiat, tenetur ut haeres, eo discusso a quo pretium accepit.*
4. *Si a substituto pecuniam accipit haeres ut praetermittat, uterque tenetur.*
5. *Herede sine dolo repudiante, ruunt legata. V. Nov. 1. C. 1.*
6. *Falcidia utitur qui omiserat causam testamenti.*

1. Praetor voluntates defunctorum tuetur; et eorum calliditati occurrit, qui omissa causa testamenti, ab

---

zione, sarà presentato al giudice del circondario in cui si è aperta la successione. Questo testamento sarà aperto, se è sigillato. Il giudice stenderà processo verbale della presentazione, dell' apertura e dello stato del testamento, di cui ordinerà il deposito presso un notajo da lui destinato. — Se il testamento è in forma mistica, la sua presentazione, l'apertura, la descrizione e 'l deposito si faranno nella stessa maniera: ma l' apertura non potrà farsi se non in presenza, o almeno dopo la chiamata di quei notaj e testimonj che segnarono l' atto di soprascrizione, e che si troveranno nel luogo. » (*Leggi civ. art.* 933).

(*) Titulus hic non respicit, nisi renunciationem fraudolentam, aut collusoriam haeredis instituti, qui simul est haeres ab intestato, aut qui colludit cum haerede. At nulla lex est pro eo qui renunciat

intestato haereditatem partemve ejus possident, ad hoc, ut eos circumveniant, quibus quid ex judicio defuncti deberi potuit, si non ab intestato possideretur haereditas: et in eos actionem pollicetur. l. 1.

Toties igitur edictum praetoris locum habebit, quoties aut quasi haeres legitimus possidet, aut quia bonorum possessionem accipit ab intestato, aut si forte quasi praedo possideat haereditatem, fingens sibi aliquem titulum ab intestato possessionis: quocumque enim modo haereditatem lucri facturus quis sit, legata praestabit. d. l. §. 9 in fin.

Si Proculiana patri vestro, cujus estis haeredes, testamento quid reliquit, et scripti jure secundum ejus judicium, vel omissa causa testamenti successerunt ab intestato, aditus competens judex, quatenus legis falcidiae modus patitur, vobis relicta restitui jubebit. l. 3 C. *si omiss. sit caus. testam.* l. 18 §. 1 in f.

2. Si quis per fraudem omiserit haereditatem, ut ad legitimum perveniat, legatorum petitione tenebitur. l. 1 §. ult.

---

sine fraude ac collusione. V. l. 1 §. 7; nihilominus intelligenda ibi est dispositio tituli ex plurimis rationibus: Prima est introductio beneficii inventarii quod haeredem institutum securum facit, et quod non vigebat tempore digesti: 2. ducitur ab exemplo senatusconsulti Trebelliani, ubi cogitur institutus adire et restituere haereditatem fideicommissario. Quod autem fit in favorem fideicommissarii universalis, fieri debet in favorem legatariorum. V. l. 12 et 13 *de leg:* 3. Quidam putant clausulam codicillarem ipso jure locum habere, licet expressa non sit: 4. Propter Nov. 1, quae deficiente haerede assignat haereditatem legatariis. Nec obstat timor haeredis in l. 87 *de legatis* 1 propter beneficium inventarii. Obstat Nov. 115, ubi, rescisso testamento per inofficiosi querelam, sustinentur legata, quae exceptio confirmat regulam. Vide infra l. 17. Titulus hic solos legatarios respicit, non creditores, nam horum nil interest.

3. Licet pro haerede gerere non videatur, qui pretio accepto, praetermisit haerebitatem; tamen dandam in eum actionem, exemplo ejus, qui omissa causa testamenti ab intestato possidet haereditatem, Divus Hadrianus rescripsit: proinde legatariis et fideicommissariis tenebitur. Sed utrum ab eo erit incipiendum, et sic ad haeredem veniendum; an convertemus ordinem? Mihi videtur humanior esse haec sententia, ut possessor haereditatis prior excutiatur, maxime si lucrativam habet possessionem. l. 2 et d. l. §. 1 (a).

Si pecunia accepta (haeres) omisit aditionem, legata et fideicommissa praestare cogitur. l. 1 C. *si om. sit. caus. testam.* (2)

4. Si pecuniam a substituto acceperis, ut praetermitteres, isque adierit; an danda sit legatariis actio, dubitari potest? Et puto, si ipse quoque praetermiserit, et, quod lege ad se rediret, possidebit haereditatem, in utrumque vestrum dandam. l. 3 (b). (3)

5. Si quis, omissa causa testamenti, omnino eam haereditatem non possideat, excluduntur legatarii: nam liberum cuique esse debet, etiam lucrosam haereditatem omittere, licet eo modo legata libertatesque intercidunt. l. 17 V. n. 1.

Si jure facto testamento, cessante haerede scripto, alter ab intestato adiit haereditatem, neque libertates,

(a) L. 24, *de acquirenda vel omittenda haereditate.* l. ult. *de negotiis gestis.*

(2) Concorda (*Leggi civ. art.* 697).

(b) Ut ei tamen cui ab utroque legatum sit, in alterutrum detur actio. Scilicet ante rescriptum D. Severi, quo legata ab instituto relicta debentur a substituto.

(3) Concorda (*Leggi civ. art.* 697).

neque legata ex testamento posse praestari manifestum est. l. 2 in fin. C. *si om. sit caus. test.*

6. Admonendi sumus, huic in quem ex hac parte edicti legatorum actio datur, beneficium legis (c) falcidiae concedendum. l. 18 §. 1 l. 3 C. hoc t.

TITULUS V.

De senatusconsulto Siliano et Claudiano, quorum testamenta ne aperiantur.

SUMMARIA.

1. *Dominus est etiam qui non habet usumfructum.*
2. *Nec supplicium, nec quaestio sumitur de impubere: sed levis castigatio.*

1. *Domini* appellatione continetur, qui habet proprietatem, etsi ususfructus alienus sit. l. 1 §. 1.

2. Impuberi utrum in supplicio tantum parcimus, an vero etiam in quaestione? Et magis est, ut de impubere nec quaestio habeatur; et alias solet hoc in usu observari, ut impuberes non torqueantur: terreri tantum solent, et habena vel ferula caedi. l. 1 §. 33.

(c) Videtur tamen indignus legis beneficio, qui fraudare voluit.

TITULUS VI.

Si quis aliquem testari prohibuerit, vel coegit.

SUMMARIA.

1. *Prohibens testari fit indignus haereditatis.*
2. *Non delinquit qui sine vi et dolo judicium uxoris in se provocat.*
3. *Testari cogens in crimen incidit.*

1. Qui, dum captat haereditatem legitimam (*d*), vel ex testamento, prohibuit testamentarium introire, volente eo facere testamentum, vel mutare: divus Hadrianus constituit, denegari ei debere actiones. l. 1.

Si quis dolo malo fecerit ut testes non veniant, et per hoc deficiatur facultas testamenti faciendi; denegandae sunt actiones ei, qui dolo fecerit, sive legitimus haeres sit, sive priore testamento scriptus. l. 2.

Eos qui ne testamentum ordinaretur, impedimento fuisse monstrantur, velut indignas personas a successionis compendio removeri, celeberrimi juris est. l. 2 C. *eod.* (1)

2. Virum, qui non per vim, nec dolum, quominus uxor contra eum, mutata voluntate, codicillos faceret, intercesserat, sed ut fieri adsolet offensam aegrae mu-

---

(d) V. l. 70. *de haeredibus instituendis.*

(1) » Sono indegni di succedere, e come tali esclusi dalle successioni coloro che avessero vietato con violenza al defunto di far testamento. » (*Leggi civ. art.* 648, num. 4).

lieris maritali sermone (e) placaverat, in crimen non incidisse respondi: nec ei quod testamento fuerat datum, auferendum. l. ult.

Judicium uxoris postremum in se provocare maritali sermone, non est criminosum. l. ult. C. *eod.*

3. Civili disceptationi crimen adjungitur (f), si testator non sua sponte testamentum fecit, sed compulsus ab eo qui haeres est institutus, vel a quolibet alio, quos uoluerit scripsit haeredes. l. 1. C. *eod.* (2)

(e) Et opere.
Tunc lateri ne parce tuo, pax omnis in illo est. *Ovid.*

(f) *Suggestio.*

(2) » È indegno di succedere, e come tale escluso dalla successione quegli che avesse costretto il testatore a disporre, mentre non voleva, o diversamente di quel che voleva. » (*Leggi civ. art.* 648, n. 3).

TITULUS VII.

De jure codicillorum.

SUMMARIA.

1. *Testamentum non valet jure codicillorum, nisi id expressum sit.*
2. *Codicillis non datur haereditas, nisi ex fideicommisso.*
3. *Codicillos facere potest qui testari.*
4. *Intestatus codicillos facere potest.*
5. *Ex codicillis onerantur fideicommisso legitimi haeredes.*
6. *Quinque testes in codicillis adhibendi.*

1. Saepissime rescriptum et constitutum est, eum qui testamentum facere opinatus est, nec voluit quasi codicillos id valere, videri nec codicillos fecisse. Ideoque quod in illo testamento scriptum est, licet quasi in codicillis poterit valere, tamennon debetur (*a*). l. 1 (*b*).

Illud quoque pari ratione servandum est, ut testator, qui decrevit facere testamentum, si id adimplere nequiverit, intestato videatur esse defunctus: nec transducere liceat ad fideicommissi interpretationem, velut ex codicillis ultimam voluntatem: nisi id ille complexus

(a) Quidam putant omni testamento clausulam codicillarem ex conjectura voluntatis defuncti. Cujas. Sed contrarium patet ex legibus. l. 3 in principio *de testamento militis.*

(b) V. l. 41 §. 3, *de vulgari et pupillari substitutione.*

sit, ut vim etiam codicillorum scriptura debeat obtinere. l. 8 §. 1 C. *de codic.* V. s. *de test. mil.* l. *de jure codic.* l. 1.

2. Haereditas testamento inutiliter data, non potest codicillis quasi haereditas confirmari, sed ex fideicommisso petitur, salva ratione legis Falcidiae (c). l. 2 §. ult. (d).

Haereditatem quidem neque dari, neque adimi codicillis posse, manifestum est. Verbis tamen precariis, per hujusmodi etiam novissimi judicii ordinationem, jura non faciunt irritas voluntates. Unde inefficaciter te codicillis rogatam esse, ut quibusdam rebus contenta, portionem quam testamento fueras consecuta, aliis restitueres, falso tibi persuasum est. l. 2. C. *de codicill.* l. 7, C. *eod.*

3. Codicillos is demum facere potest, qui et testamentum facere potest (e). l. 6 §. 3.

4. Conficiuntur codicilli quatuor modis: aut enim in futurum confirmantur, aut in praeteritum, aut per fideicommissum testamento facto, aut sine testamento. (f). l. 8.

Non idcirco minus, quod intestato te absente codi-

(c) Id est, Trebellianicae.

(d) V. l. 10, *de conditionibus institutionum.*

(e) V. infra l. 37, *de mortis causa donationibus*, et l. 25 §. 1 *eod.* ubi filiusfamilias non potest testamentum facere, sed potest donare causa mortis consentiente patre. V. in l. 6 §. 2. Clausulam derogatoriam ubi testator non vult codicillos suos valere, nisi manu sua signatos. Tamen haec clausula non valet, sed valent codicilli non signati. Nam ea quae postea geruntur, prioribus derogant.

(f) Dicitur in l. 7 §. 1. Si in codicillis scriptum erit: *vestem quae mea est*, codicillorum tempus spectandum; non quo confirmantur. l. 7 *de auro.*

cillos mater tua fecit, hi quibus precariis verbis adscripta sunt, relicta capiunt (g). l. 4. C. *eod.*

5. Ideo fideicommissa dari possunt ab intestato succedentibus, quoniam creditur paterfamilias sponte sua his relinquere legitimam haereditatem (h). l. 8 §. 1.

6. In omni ultima voluntate, excepto testamento, quinque testes vel rogati, vel qui fortuito venerint (i), in uno eodemque tempore debent adhiberi. l. ult. §. ult. C. *eod.*

(g) Dicitur in l. 17. Litterae quibus haereditas promittitur, vel animi affectus exprimitur, vim codicillorum non habent.

(h) Dedisse videtur quod non ademit. V. l. 1 §. 6 *de legatis* 3.

(i) Modo ante testimonium certiorentur ad testamentum se adhibitos. l. 2 §. 2 *qui testamenta facere possunt.*

LIBER XXX.

TITULUS I.

De legatis et fideicommissis.

(LIBER PRIMUS.)

SUMMARIA.

1. *Legatorum et fideicommissorum idem jus.*
2. *Si de re constat, error in nomine non vitiat legatum.*
3. *Jus eligendi prima electione consumitur.*
4. *Qui rem communem legat, si suam dixit, portionem legat.*
5. *Pars rei legatae alienata, legato decedit: quae adduntur, legatum augent.*
6. *Alteri conjunctorum pars deficiens accrescit.*
7. *Legatum uni ex haeredibus repudianti debetur.*
8. *In legato pluribus partes aeque servantur.*
9. *In legato unius e duobus si de quo non constet, legatarii est electio.*
   In legato Stichi, si plures sint ejus nominis, nec de quo constet, eligit haeres.
10. *Legatario vel augetur legatum, vel minuitur.*
11. *Partis legatae fructus debet haeres a mora.*
    In legatis piis a die mortis testatoris fructus et reditus praestat haeres.
12. *Futura legari possunt.*
13. *Navis et si tota per partes reficiatur eadem manet.*
14. *Haerede non cunctante, legatario perit.*

15. *Scinditur legatum inter conjunctos cum jure accrescendi :- et partem facit qui non capit. Inter disjunctos, si non adimendi animo legatum sit, et unus deficiat, alter solidum habet sine deficientis onere.*

16. *Re generaliter legata, veluti equo, nec optimus intelligitur, nec pessimus.*

Re certa legata, si quae sit, non appareat, electio erit haeredis.

17. *Legatum haeredis impensae repraesentandum, nisi ibi sit ubi a testatore relictum est.*

18. *Post moram haeredis ei perit legatum.*

19. *Legatum lapidis caedendi non transit ad haeredem legatarii.*

20. *Onera praeterita rei legatae praestat haeres.*

21. *Uno duorum ejusdem nominis fundorum legato, haeredis est electio.*

22. *Res aliena legari potest, si sit in commercio.*

23. *Ibi legatum praestandum ubi sit aut ubi verisimile sit, voluisse testatorem.*

24. *Cessat haeredis electio, si nimiam moram legatario sit allatura.*

25. *Tenetur haeres de levi culpa et diligentia, circa rem legatam.*

26. *Legatum cum tot annorum erit legatarius, tunc debetur cum completi sunt.*

27. *In obscura legati enuntiatione, quae sit mens testatoris ex circumstantiis investigandum.*

28. *Enumerati haeredes in legato viriles debent, non enumerati haereditarias.*

29. *Legi testator non deroget.*

30. *Erogata in fideicommissum repetit haeres.*

31. *Captatoria legata reprobantur.*

32. *Manet legatum domus, licet tota particulatim refecta sit: non si ea destructa alia aedificetur; nisi aliud testator senserit.*

33. *Legatum duobus qui cum aliis ex disparibus partibus haeredes sint, in viriles scinditur.*

34. *De evictione rei generaliter legatae tenetur haeres: aliud in re nominatim legata.*

35. *Legata pecunia, datur modicum tempus haeredi ad solutionem.*

36. *Ita legatum, si comprobaverit haeres, debetur omnino.*

37. *Falsa demonstratio non perimit legatum.*

38. *Post electionem si pereat quod electum est, legatario perit. Variare non potest qui elegit.*

39. *Filius haeres, idemque legatarius, si abstineat haereditate, legato non privatur.*

40. *Si legata pure pecunia, testator indicaverit unde paretur, non erit conditio; sed demonstratio.*

41. *Tacita fideicommissa nec per domesticas cautiones licita sunt.*

42. *Dolum praestat qui sine suo commodo quid agit; culpam qui suo et alieno.*

43. *Legato* quem voluerit haeres, *non poterit dari pessimus.*

44. *Ineptis testatorum voluntatibus non parendum.*

45. *Fideicommissum relicti fines non excedit.*

46. *Rogatus haeres haeredem instituere, oneratur fideicommisso.*

47. *Prohibere non potest testator alienationes, nisi subsit causa ex persona, cui res servanda sit.*

48. *Prohibitus haeres alienare extra familiam, parere debet fideicommisso. Parebit autem si vel uni ex familia reliquerit.*

49. *Quibuscumque verbis fideicommitti et legari potest.*
50. *Legatum est delibatio haereditatis, vel donatio in testamento.*
51. *Haereditas defuncti personam sustinet.*
52. *Res legata qualis est, talis debetur, et rei accedunt jura et onera quae ei cohaerent.*
53. *Civitati legari potest in plures causas sive ad ornatum, sive ad honorem, et egentium alimenta.*
54. *Vetitus a testatore rationes reddere, non debito, sed scrupulosa inquisitione exoneratur.*
55. *Legatarius potest solvere locationem.*

1. Per omnia (a) exaequata sunt legata fideicommissis. l. 1. (b).

Omnia quae naturaliter insunt legatis et fideicommissis inhaerere intelligantur: et contra, quidquid fidei committitur, hoc intelligatur esse legatum: et si quid tale est quod non habet naturam legatorum, hoc ei ex fideicommissis accommodetur. l. 2 *comm. de legat.*

Et si specialiter legati tantum faciat testator mentionem, hoc et legatum et fideicommissum intelligatur.

Et si fidei haeredis vel legatarii aliquid committatur, hoc et legatum esse videatur (c). Nos enim *non ver-*

(a) Addendum est *fere*. V. D. Baudin.

(b) L. 87 *de legatis* 3.

(c) * *Lex* 4 de legatis 1 *addit*: Si cum vellet argentum legare, vestem legaverit, legatum non debetur. Rerum enim vocabula immutabilia sunt, hominum mutabilia. *Lex* 9 de haeredibus instituendis, *ait*: Quoties volens alium haeredem scribere, alium scripserit, in corpore hominis errans, velut *frater meus*, *patronus meus*, placet neque eum haeredem esse qui scriptus est, quoniam voluntate deficitur, neque eum quem voluit, quoniam scriptus non est. Distin-

bis, *sed ipsis rebus leges imponimus* (*d*). d. l. in fine.

2. Si quis in fundi vocabulo erravit, et Cornelianum pro Semproniano nominavit, debebitur Sempronianus. Sed si in corpore erravit, non debebitur. l. 4. V. l. 4 C. *de test.* (*e*).

3. Electione legata, semel duntaxat optare possumus (*f*). l. 5. et 11. in fin. ff. *de leg.* 2. V. 1. l. 84. §. 9. (1)

4. Cum fundus communis legatus sit, non adjecta portione, sed *meum* nominaverit, portionem deberi constat. l. 5. §. 2. (*g*).

5. Si ex toto fundo legato testator partem alienasset, reliquam duntaxat partem deberi placet: quia etiamsi adjecisset aliquid ei fundo, augmentum legatario cederet. l. 8 et 24 §. 2 *eod.* V. l. 11 §. 12 *de leg.* 3.

Cum fundus nominatim legatus sit, si quid ei post

---

guendum est in l. 4 inter vocabula publica quae sententiam rei denotant, ut homo, vestis, fundus; et vocabula privata quae differentiam duntaxat significant: ut Titius, Stichus. V. Cujas ad dictam legem 4 *de legatis* 1. *Lex* 3 *ait.*

(d) Haec verba testatoris: *Quisquis mihi ex supradictis haeres erit*, ait *si haeres Seius*, vel *si haereditatem adierit*, subjectum legatum vel fideicommissum non faciunt conditionale. Gotofr. ait: Tacite quae insunt, si adjecta sint, nil novi juris constituunt. l. 22 §. 1. *quando dies legatorum.* l. 3 C. *de fidejussoribus.* l. 7 in fine. C. *de revocandis donationibus.*

(e) V. l. 9 *de contrahenda emptione.* l. 9 *de haeredibus instituendis.* l. 7 §. 2 *de supellectile legata.*

(f) Ratio est in l. apud Aufidium 2 *de optione legata*; quia omne jus prima testatione consumpsit.

(1) » Quando il testatore abbia accordato la scelta di qualche cosa, sia all' erede, sia al legatario; fatta la scelta non vi sarà più luogo a pentimento. » (*Leggi civ. art.* 976).

(g) V. l. 25 §. 1 *de verborum significatione*, et l. 76 §. 2 *de legatis* 2. Quid si fundum generaliter legaverit absque adjectione ista *meum*, an totus debebitur et haeres cogeturne redimere.

testamentum factum adjectum est, id quoque legato cedit, etiamsi illa verba adjecta non sint, *qui meus erit*, si modo testator eam partem non separatim possidet, sed universitati prioris fundi adjunxit. l. 10 ff. *de leg.* 2.

Si areae legatae domus imposita sit, debebitur legatario, nisi testator mutavit voluntatem. l. 44 §. 4; l. 39 ff. *de leg.* 2. (*h*). (2)

6. Si Titio et posthumis legatum sit, non nato posthumo, totum Titius vindicabit. l. 16. §. 2.

In primo itaque ordine, ubi *pro non scriptis* efficiebantur ea quae personis jam ante testamentum mortuis testator donasset, statutum fuerat, ut ea omnia bona manerent apud eos a quibus fuerant derelicta: nisi vacuatis vel substitutus suppositus, vel conjunctus fuerat aggregatus. Tunc enim non deficiebant, sed ad alios perveniebant, nullo gravamine (nisi perraro) in hoc *pro non scripto* superveniente. Quod et nostra majestas quasi antiquae benevolentiae consentaneum,

---

(h) V. l. 60 *de verborum significatione*; et infra n. 32 contra. V. n. 10.

(2) » Quando colui che ha legato la proprietà di un immobile, l' avesse accresciuto con acquisti posteriori, questi, ancorchè contigui, non si stimerà che facciano parte del legato senza una nuova disposizione. — Si giudicherà il contrario riguardo agli abellimenti, o alle nuove fabbriche fatte sul fondo legato, o ad un recinto di cui il testatore avesse ampliato il circuito. »

» Se la cosa legata sia stata ipotecata per un debito, o gravata di un usufrutto, quegli che dee soddisfare il legato, non è tenuto a renderla libera se non quando ne sia stato incaricato dal testatore con una espressa disposizione. — Ma se per effetto dell' azione ipotecaria il legatario sarà obbligato a pagare il debito di cui era gravato il fondo legato, egli subentrerà nelle ragioni del creditore contro gli eredi e successori. » (*Leggi civ. art.* 973, 974 e 975).

et naturali ratione subnixum, intactum atque illibatum praecepit custodiri in omne aevum valiturum. l. un. §. 3 C. *de cad. toll.*

Pro secundo vero ordine in quo ea vertuntur quae *in causa caduci* fieri contingebant (*scilicet ubi legatarius vivo testatore decedebat*) si eo casu supersit conjunctus, ei accrescet legatum cum onere. d. l. §. 4.

V. l. 34 §. 9 *de leg.* 1, et l. 80 ff. *le leg.* 3.

7. Si uni ex haeredibus fuerit legatum (*a*), hoc deberi ei officio judicis familiae erciscunde manifestum est: sed etsi abstinuerit se haereditate, consequi eum hoc legatum posse, constat. l. 17 §. 2.

8. In legato pluribus relicto, si partes adjectae non sunt, aequae servantur. l. 19 §. ult.

9. Qui duos servos haberet, unum ex his legasset, ut non intelligeretur quem legasset, legatarii est electio (*b*). l. 20. V. l. 37.

Si quis plures Stichos habens, Stichum legaverit: si non apparet de quo Sticho sensit, quem elegerit debet praestare. l. 32 §. 1.

V. l. 37 *eod.* d. l. 37 §. 1 l. 39 §. 6 *eod.* l. 2 §. 1 ff. *de opt. legat.*

10. Grege legato, et quae postea accedunt ad legatarium pertinent (*c*). Si grege legato aliqua pecora vivo

---

(a) *Praelegatum. Lex* 87 infra ait: Durissima enim est sententia existimantium denegandam ei legati petitionem, si patris abstinuerit haereditate. Non enim impugnatur judicium ab eo qui justis rationibus noluit negotiis haereditariis implicari.

(b) Contra, quando persona legatarii est incerta, quia duo sunt Titii, et Titio legatum est. Ratio discriminis est, quod in re legata incerta saltem res minoris pretii debebetur; et potest satisfieri voluntati testatoris.

(c) V. n. 5.

testatore, mortua essent, in eorumque locum aliqua essent substituta, eundem gregem videri: et si diminutum ex eo grege pecus esset, et vel unus bos superesset, eum vindicari posse, quamvis grex desisset esse. Quemadmodum insula legata, si combusta esset, area possit vindicari. l. 21 et 22 (*d*). (3)

11. Si quis bonorum partem legaverit, ut hodie fit, sine fructibus restituitur: nisi mora intercesserit haeredis (*e*). l. 23.

Equis per fideicommissum legatis post moram haeredis foetus quoque debentur.

Equitio autem legato, etiamsi mora non intercedat incremento gregis foetus accedunt. l. 39 ff. *de usur.* l. 26 *de legat.* 3.

Supra omne tempus quo distulerint facere disposita scripti haeredes (*f*), eos cogi solvere et fructus et reditus, et omnem legitimam accessionem a tempore ejus qui disposuit mortis, sancimus: non inspecta mora a litis contestatione aut conventione (*g*), sed ipso jure intellecta (quod dicitur vulgo) mora praecessisse, et locum habente fructuum et aliarum rerum accessione. Hoc eodem obtinente, et si non ab haerede, sed a fideicommissario, aut legatario relictum fuerit hujusmodi legatum. l. 46 §. 4 et 5 C. *de episc. et cler.*

Fructus autem hi deducuntur in petitionem, non quos haeres percepit, sed quos legatarius percipere potuit (*h*). l. 39 §. 1.

(d) V. l. 24.
(3) Vedi la nota 2.
(e) L. 64 in fine *de furtis.*
(f) Quid apud nos, an fructus dantur ipso jure in piis legatis?
(g) Distinguendum inter fructus et usuras.
(h) L. 56 *de haereditatis petitione.*

Si autem legatum ab aliquo ad pias relinquitur causas, jubemus intra sex menses ab insinuatione testamenti numerandos, hoc modis omnibus praeberi quibus relictum est. Si autem distulerint qui in hoc onerati sunt, hujusmodi praebere legatum, et fructus et usurae, et omne legitimum exigatur, augmentum a tempore mortis ejus qui hoc reliquit. Nov. 131 cap. 12. (4)

12. Quod in rerum natura adhuc non sit, legari posse, veluti, *quidquid illa ancilla peperisset*, constitit. l. 24.

Etiam ea quae futura sunt, legari possunt. l. 17 ff. *de leg.* 3.

13. Si navem legavero, et specialiter meam adscripsero, eamque per partes totam refecero, carina eadem manente; nihilominus recte a legatario vindicaretur (*a*). l. 24 §. ult. V. 76 ff. *de jud.* V. infra l. 65. §. ult.

14. Si *certum corpus* haeres dare damnatus sit, nec fecerit quominus ibi, ubi id esset, traderet; si id postea sine dolo et culpa haeredis perierit, deterior fit legatarii conditio. l. 26 §. 1.

15. Si pluribus eadem res legata fuerit: si quidem conjunctim, etiam si alter vindicet, alter ex testamento

(4) » Gl' interessi o i frutti della cosa legata decorrono a vantaggio del legatario dal giorno della morte, senza che ne abbia fatta la giudiziale domanda. » (*Leggi civ. art.* 969).

(a) * *Lex* 65 §. ult. *ait*: Si domus fuerit legata licet particulatim ita refecta sit ut nihil ex pristina materia supersit, tamen dicemus utile manere legatum. At si ea domu destructa aliam eodem loco testator aedificaverit, dicemus interire legatum; nisi aliud testatorem sensisse fuerit adprobatum V. l. 21. et 22. d.

agat, non plus quam partem habebit is qui ex testamento aget. Quod si separatim, si quidem evidentissime apparuerit, ademptione a priore legatario facta, ad secundum legatum testatorem convolasse; solum posteriorem ad legatum pervenire placet (*b*). l. 33.

Si conjunctim res legetur constat partes ab initio (*c*) fieri: nec solum hi partem faciunt, in quorum persona constitit legatum, verum hi quoque in quorum persona non constitit legatum. l. 34 §. 9.

Ubi pluribus legatariis vel fideicommissariis conjunctim (*d*) relinquitur, omnes partem capiunt. Partes deficientium caeteris accrescunt cum suo onere (*e*). Ex l. un. §. 11 C. *de caduc. toll.* V. l. 3 ff. *de usufr. accresc.*

Si disjunctim pluribus relictum sit, et concurrant, non habebunt singuli solidum, ut olim, sed quisque partem, nisi apertissime et expressim testator solidum quemque habere voluerit, ut alteri res, alteri praestetur aestimatio. Si disjunctorum (*f*) aliqui deficiant, caeteri totum habebunt, non jure accrescendi, sed jure

---

(b) *Lex* 34 in p. *ait*: Si conjuncti disjunctive commixti sint, unius personae potestate funguntur. Ducitur ab hac lege divisio pergenus, et stabilitur, quod cum vir et uxor cum tertio se obligant, non debent nisi dimidium.

(c) Id est, ex aequis partibus: adeo ut conjuncti non sint.

(d) Inter conjunctos, id est, re et verbis: jus accrescendi locum habet cum onere.

(e) Inter disjunctos, id est conjunctos re tantum, non est locus proprie juri accrescendi, sed jure proprio potest quis solidum consequi et ita deficientis partem capit sine onere (et ideo testator disjunctim reliquit ut quisque onus suum agnosceret. V. l. 61 §. 1. *de legatis* 2).

(f) Id est, conjunctorum re duntaxat non verbis. Contra Ricard *opinatur quod* omni casu jus accrescendi locum habet cum onere.

proprio, cum solidum singulis legatum esset (g). Et ideo si quae sint onera, quisque tenebitur, non de ejus onere qui defecit. Ex dicta l. un. §. 11 *de caduc. toll.* V. s. l. 16 §. 2, l. 80 *de leg.* 3, l. 89 *eod.*

16. Legato generaliter relicto, veluti *hominis*: Gajus Cassius scribit, id esse observandum ne optimus, vel pessimus accipiatur; quae sententia rescripto Imperatoris nostri et divi Severi juvatur, qui rescripserunt homine legato, actorem non posse eligi (h). l. 37. V. l. 20.

Si de certo fundo sensit testator, nec appareat de quo cogitavit, electio haeredis erit, quem velit dare: aut, si appareat, ipse fundus vindicabitur. Sed et si lancem legaverit, nec appareat quam, aeque electio est haeredis, quam velit dare. d. l. §. 1.

Si domus alicui simpliciter sit legata, neque adjectum, quae domus; cogentur haeredes (*), quam vellet domum ex his quas testator habebat, legatario dare. Quod si nullas aedes reliquerit, magis derisorium est quam utile legatum. l. 71 (a).

V. s. l. 20 infr. l. 39 §. 6, l. 110. (5)

(g) Quia testator ideo disjunctim legavit, ut unusquisque onus suum agnosceret, non alienum.

(h) 1. In legatis per vindicationem electio est legatarii; per damnationem est haeredis. 2. Si testator duas lances habens unam legaverit, haeredis electio est. Si plus quam duas testator habebat, haeres nec optimam, nec pessimam praestabit.

(*) *Cogatur haeres; in pandectis Florentinis, cogentur haeredes.*

(a) V. l. 39 §. 8 n. 22 l. 32 §. 5 *de legatis* 2.

(5) » Quando il legato sia di una cosa indeterminata senza dritto di scelta, l' erede non è obbligato a darla della migliore qualità; ma neppure potrà darla della peggiore. » (*Leggi civ. art.* 977).

17. Cum servus legatus in fuga (esset), vel longinquo absens exigatur, operam praestare haeres debet, ut eam rem requirat et praestet : et ita Julianus scribit. Nam et sumptum an in hanc rem facere haeres deberet, Africanus (libro vicesimo epistolarum) apud Julianum quaerit ; putatque sumptum praestandum ; quod et ego arbitror sequendum. l. 39. V. l. 47.

Si servus legatus, vivo testatore fugisse dicatur, et impensa et periculo ejus (b), cui legatus sit, reddi debet. Quoniam rem legatam eo loco praestare haeres debeat, in quo a testatore sit relicta. l. 108. V. l. 8. *de leg.* 2.

18. Ipsius quoque rei interitum post moram (debet) : sicut in stipulatione, si post moram res interierit, aestimatio ejus praestatur (c). l. 59. §. 1. V. l. 47 §. 6. l. 3 C. *de usur. et fr. leg.*

Si servus legatus sit, et moram haeres fecerit, periculo ejus et vivit, et deterior fit ; ut si debilem forte tradat, nihilominus teneatur. l. 108 §. 11.

19. Si quis alicui legaverit, *licere lapidem caedere*, quaesitum est, an ad haeredem hoc legatum transeat : et Marcellus negat ad haeredem transmitti, nisi nomen haeredis adjectum legato fuerit (d). l. 39 §. 4.

20. Haeres cogitur legati praedii solvere vectigal

(b) Vide l. 8 *de legatis* 2 si post mortem testatoris fugit, debet exquiri sumptibus haeredis, quia haeres servare debuit et custodire. l. 108 §. 12 h.

(c) V. limitationem in l. 40 *de haereditatis petitione*, et distinguendum inter bonae et malae fidei possessorem. V. l. 47 §. 4 infra n. 45.

(d) Quia usufructui simile est hoc legatum. l. 22 *de usuf. leg.* l. 6 *de servitute legata.* l. 8 §. 3 *de liberatione legata.*

praeteritum, vel tributum, vel salarium, vel cloacarium, vel pro aquae forma (e). l. 39 §. 5 (f).

21. Scio ex facto tractatum, cum quidam duos fundos ejusdem nominis habens, legasset *fundum Cornelianum*; et esset alter pretii majoris, alter minoris; et haeres diceret minorem legatum, legatarius majorem, vulgo fatebitur, utique minorem eum legasse si majorem non potuerit docere legatarius. l. 39. §. 6. V. e. s. l. 32 §. 1 n. 9.

22. Constat, etiam res alienas legari posse, utique si parari possint: etiamsi difficilis earum paratio sit. l. 39. §. 7. V. l. 67 §. 8. *de leg.* 2. l. 10. C. *de leg.* §. 4. *inst. eod.* (6)

Si vero *Salustianos hortos*, qui sunt Augusti, vel

(e) V. l. 7 *de publicanis*, ubi dicitur in vectigalibus praedia non personas conveniri, et ideo possessores etiam praeteriti temporis vectigal solvere debere. Le Pretre, *cent.* 1 *c.* 62 ait l. 39 §. 5 sic debere intelligi, ut haeredi detur actio incerti adversus legatarium, si de indemnitate legatarius non caverit, nisi appareat testatorem voluisse ut eo onere legatarium levaret haeres. l. 52 *de usuf.* l. 5 § 2 *de censibus*, ait. Qui non habita ratione tributorum ex causa fideicommissi praedia restituunt, actionem habent ex divi Pii litteris quam legato quoque soluto locum habere voluit. l. 39 *de condictione indebiti* ait. Si quis cum a fideicommissario sibi cavere poterat, non caverit, quasi indebitum plus debito, eum solutum repetere posse divi Severus et Antoninus rescripserunt. l. 52 *de usuf. aut* 2 Usufructu relicto; si tributa ejus rei praestantur, ea usufructuarium praestare debere dubium non est, nisi specialiter, nomine fideicommissi testatori placuisse probetur haec quoque ab haerede prestari. Cujas ad l. 36 *de jure fisci*. Ratio est quia haeredi favemus magis quam legatario.

(f) V. l. 6 C. *de fideicommissis*. l. 57 hic. l. 21 §. 1 *de actionibus empti et venditi*.

(6) » Quando il testatore abbia legato una cosa altrui, il legato sarà nullo, abbia o no il testatore saputo che essa non gli apparteneva. » (*Leggi civ. art.* 975).

fundum Albanum, qui principalibus usibus deservit, legaverit quis, furiosi est (*a*), talia legata testamento adscribere. d. l. §. 8.

23. Cum res legata est, si quidem propria fuit testatoris, et copiam ejus habet haeres, moram facere non debet, sed eam praestare. Sed si res alibi sit, quam ubi petitur, primum quidem constat, ibi esse praestandam, ubi relicta est (*b*): nisi alibi testator voluit: nam si alibi voluit, ibi praestanda est, ubi testator voluit, vel ubi verisimile est eum voluisse. Et ita Julianus scripsit tam in propriis quam in alienis legatis. l. 47. V. l. 8 *de legatis* 2.

24. Si Stichus aut Pamphilus legetur, et alter ex his vel in fuga sit, vel apud hostes, dicendum erit praesentem praestari, aut absentis aestimationem: toties (*c*) enim electio est haeredi committenda, quoties moram non est facturus legatario. l. 47 §. 3.

25. Si res aliena vel haereditaria, sine culpa haeredis, perierit, vel non compareat, nihil amplius quam cavere eum oportebit: sed si culpa haeredis res perierit, statim damnandus est. *Culpa* autem qualiter sit

---

(a) V. l. 27 *de conditionibus institutionum.* Quid hoc testamentum irritum faceret, an solum haec legata? dici potest, quod magis derisorium est quam utile legatum. l. 71 *de legatis* 1. n. 16. Item inofficiosi querela hodie non evertit omne testamentum.

(b) Ubi res sita est; non vero ubi erat tempore testamenti Gotofr. gl. ait: Ubi extitit. Gotofr. ait: Secus in contractibus. Quid si aliquis Patavii legat equos, qui 600 milliaribus distant, cujus aere equi illi Patavium adducentur? sufficit haeredi, ut legatarius eos accipiat ubi sunt: legatarii vero interest eo ire, ut equos accipiat. Propter l. 8 *de legatis* 2.

(c) Licet in alternativis electio sit debentis. Verum haeres non debet inutilem reddere legatario liberalitatem testatoris.

aestimanda, videamus: an non solum ea quae dolo proxima (sit), verum etiam quae levis est, an numquid et diligentia quoque exigenda est ab haerede (*d*): quod verius est. Item si fundus chasmate perierit, Labeo ait, utique aestimationem non deberi: quod ita verum est, si non post moram factam id evenerit. Potuit enim eum acceptum legatarius vendere (*e*). l. 47 §. 4 et seq.

26. Si cui legetur, *cum quatuordecim annorum erit*, certo jure utimur, ut tunc sit quatuordecim annorum, cum impleverit. l. 49 V. l. 64 §. 1 ff. *ad senatus cons. Trebell.* (*f*).

27. Si numerus nummorum legatus sit (*g*), neque apparet quales sunt legati, ante omnia (*h*) ipsius patrisfamilias consuetudo, deinde regionis in qua versatus est, exquirenda est. Sed et mens patrisfamiliae et legatarii dignitas vel caritas, et necessitudo (*i*): item earum quae praecedunt, vel quae sequuntur, summarum scripta sunt spectanda. Sed si certos nummos, veluti quos in arca habet, aut certam lancem legavit, non numerata pecunia, sed ipsa corpora nummorum vel rei legatae continentur; neque permutationem recipiunt (*k*), et exemplo cujuslibet corporis aestimanda sunt. l. 50 §. ult. et l. 51.

(d) Haeres tenetur de fortuitis casibus post mortem.

(e) Vide supra n. 18.

(f) V. l. 48 *de conditionibus et demonstrationibus.*

(g) V. l. 75 *de legatis* 3. Nummis indistincte legatis, exiguiores dantur, nisi ex consuetudine patrisfamilias vel regionis contrarium probetur.

(h) Nota ordinem conjecturarum; prima praevalet secundae, secunda tertiae. Gotof.

(i) V. l. 34 *de regulis juris.*

(k) V. l. 96 h.

28. Si pars haeredum nominata sit in legando, viriles partes haeredes debent; si vero omnes, haereditarias. l. 54 §. ultim. (*l*).

Si haeredes nominatim enumerati, dare quid damnati sunt, proprius est, ut viriles partes debeant; quia personarum enumeratio hunc effectum habet, ut exaequentur in legato praestando (*m*); qui si nominati non essent, haereditarias partes debituri essent. l. 124. V. l. 67 §. 1.

Sive a certis personis haeredum nominatim legatum esset, sive ab omnibus, excepto aliquo, Atilicinus, Sabinus, Cassius, pro haereditariis partibus totum eos legatum debituros ajunt, quia haereditas eos obligat. Idem est cum omnes haeredes nominantur. l. 17 ff. *de duobus reis const.*

29. Nemo potest in suo testamento cavere, ne leges in suo testamento locum habeant. l. 55 (*a*).

30. Domus haereditarias exustas, et haeredis nummis (*b*) extructas, ex causa fideicommissi post mortem haeredis restituendas, viri boni arbitratu sumptuum rationibus deductis (*c*), et aedificiorum aetatibus examinatis respondi. l. 58 (*d*).

(l) V. l. 67 §. 1.

(m) Expressio haeredum sub nomine proprio et appellativo facit partes aequales. Contra in l. 7 et 8 *de usufructu accrescendo.*

(a) L. 15 §. 1. *Ad legem falcidiam*, *et de legatis* 3. n. 4.

(b) V. 57 hic l. 76 *de solutionibus.* l. 5 *de censibus.* l. 6 C. *de fideicommissis.* l. 33 §. 5 hic Nota in l. 57 legendum est *voluerit*; et in l. 6 *de fideicommissis*, legendum est *aut si rescisset.*

(c) Cujacius distinguit si muri sint coementitii, aestimantur ad rationem octogesimae quam intelligitur durare octoginta annos, et tot deducuntur octogesimae ex pretio quot jam anni elapsi sunt. Si vero sint lateritii nil deducitur, quia in perpetuum durare aestimantur.

(d) L. 59 ait: si modo nulla culpa ejus incendium contigisset.

31. Captatoriae scripturae simili modo neque in haereditatibus, neque in legatis valent. l. 64. V. l. 60. *de haered. inst.*

32. Si domus fuerit legata, licet particulatim ita refecta sit, ut nihil ex pristina materia supersit, tamen dicemus utile manere legatum. At si, ea domo destructa, aliam eodem loco testator aedificaverit, dicemus interire legatum; nisi aliud testatorem sensisse fuerit approbatum. l. 65 §. ult. (e).

33. Si ex pluribus haeredibus, ex diversis partibus institutis, duobus eadem res legata sit, haeredes non pro haereditaria portione, sed pro virili id legatum habere debent. l. 67 §. 1. V. s. l. 54 §. ult.

34. De evictione an cavere debeat is, qui servum praestat ex causa legati, videamus. Et regulariter dicendum est, quoties sine judicio praestita res legata evincitur, posse eam ex testamento peti: caeterum si judicio petita est, officio judicis cautio necessaria est, ut sit ex stipulatu actio. l. 71 §. 1 (*f*).

Si haeres tibi, servo generaliter legato, Stichum tradiderit isque a te evictus fuisset, posse te ex testamento agere Labeo scribit; quia non videtur haeres dedisse, quod ita dederat, ut habere non possis. Et hoc verum puto. l. 19 §. 3 *de leg.* 3 (*g*).

V. l. 60 et 61 et emendationes Cujacii, qui legit *sumptus ab haerede factus.*

(e) V. supra l. 24 §. ult. 76 *de judic.* V. contra l. 44 §. 4 l. 39 §. 2 *de legatis* a supra n. 5 in fine ubi si areae legatae domus imposita sit, debebitur. Ergo a fortiori si ab initio area aedificata erat, quia voluntas testatoris fuit legandae domus, et casus fortuitus non intelligitur voluntatem ejus mutasse. Unde lex ista 65 §. ult. in fine debet removeri.

(f) V. l. 77 §. 8 *de legatis* 2.

(g) Sed si evincatur servus nominatim legatus, nonne haeres

Si vero certus homo legatus est, talis dari debet qualis est. l. 45 §. 2.

Haeres servum non nominatim legatum tradidit, et de dolo repromisit, postea servus evictus est. Agere cum haerede legatarius ex testamento poterit, quamvis haeres alienum esse servum ignoraverit. l. 58 ff. *de evict.* V. l. 77. §. 8. *de legat.* 2.

35. In pecunia legata confitenti haeredi modicum tempus ad solutionem dandum est: nec urgendum (*h*) ad suscipiendum judicium: quod quidem tempus ex bono et aequo praetorem observare oportebit. l. 71 §. 2.

36. Si sic legatum vel fideicommissum sit relictum; *si aestimaverit haeres*, *si comprobaverit*, *si justum putaverit*, et legatum et fideicommissum debebitur: quoniam quasi viro potius bono ei commissum est, non in meram voluntatem haeredis collatum. l. 75. V. 1. l. 12 §. 7. *de leg.* 3 (*a*).

37. Falsa demonstratio non perimit legatum (*b*). l. 75 §. 1 in fin.

Haeres meus Titio dato, quod ex testamento Sempronii debetur mihi: cum jure novationis, quam legatarius idemque testator ante fecerat, legatum ex testamento non debetur, placuit falsam demonstrationem legatario non obesse, nec in totum falsum videri, quod

---

redimere debet, aut aestimationem praestare? Debet certe si testator alienum esse sciverit: cum res aliena legari possit, saltem a sciente.

(h) * *Lex* 21 §. 1 *de pecunia constituta*; *ait*: Modicum tempus statuendum est, non minus decem dierum, ut exactio celebretur. V. l. 105 *de constitutionibus.* l. 14 *de re judicata Lex* 31. *Quando dies legatorum*, *ait*: Si dies apposita legato non est, praesens debetur.

(a) Vide legem 1 *de legatis* 2, et l. 32 *de haeredibus instituendis.*

(b) L. 6 §. 1 *de dote praelegata.*

veritatis primordio adjuvaretur (c). l. 76. §. 3. ff. *de legat.* 2. Certo corpore legato, demonstratio falsa posita non perimit legatum, veluti si ita sit scriptum, *Stichum quem ex venditione Titii emi.* Nam si neque emit, aut ex alia venditione emit, legatum nihilominus valet. l. 10. ff. *de auro arg.*

38. *Stichum aut Pamphilum, utrum haeres meus volet, Titio dato*: si dixerit haeres, Stichum se velle dare, Sticho mortuo liberabitur: cum autem semel dixerit haerés utrum dare velit, mutare sententiam non poterit. l. 84 §. 9 (d). V. s. l. 5. v. l. 11. §. 1. *de leg.* 2.

39. Filio pater, quem in potestate retinuit, haeredi pro parte instituto, legatum quoque relinquit; durissima sententia est existimantium denegandam ei legati petitionem, si patris abstinuerit haereditate: non enim impugnatur judicium ab eo qui justis rationibus (e) noluit negotiis haereditatis implicari. l. 87 et 12 C. *de leg.* (f).

40. Quidam testamento vel codicillis ita legavit (g): *aureos quadringentos Pamphilae dari volo, ita ut infra scriptum est: ab Julio auctore aureos tot; et in castris quos habeo, tot; et in nume-*

(c) Semiveritas.

(d) V. l. 20 *de optione et electione legata.*

(e) V. supra l. 17 §. 2.

(f) Lex 90 §. 1 ex vulgata editione ait: Plane si pluribus filiis institutis (*inter eos verbis legatorum bona diviserit*) ratione legatorum actio denegabitur ei qui non agnoverit haereditatem. Cujacius hic. V. l. 4 et 5 *de legatis* 2; l. 77 §. 8 *de legatis* 2.

(g) Demonstratio. *Vide* Loiseau, In haereditatis abdicatione, ubi is refert tres leges pro demonstrativo, et tres pro limitativo *V. lib.* 1. *c.* 8. Ipse ait, id quod limitationem facit legati esse, quando species ipsa legata est.

rato quos habeo, tot. Post multos annos, eodem voluntate manente, decessit, cum omnes summae in alios usus translatae essent. *Quaero*, an debeatur fideicommissum? *Respondi*, verosimilius est, patremfamilias demonstrare potius haeredibus voluisse, unde aureos quadringentos sine incommodo rei familiaris contrahere possint, quam conditionem fideicommisso injecisse, quod initio pure datum esset: et ideo quadringenti Pamphilae debebuntur. l. 96 (*h*).

Firmio Heliodoro fratri meo dari volo quinquaginta ex reditu praediorum meorum futuri anni (*i*). Postea non videri conditionem additam, sed tempus solvendae pecuniae prolatum videri, respondi. Fructibus fini relictae pecuniae non perceptis, ubertatem esse necessariam (k) anni secundi. l. 26 ff. *quando dies leg.*

41. In tacitis fideicommissis fraus legi fieri videtur, quoties quis neque testamento (*l*) neque codicillis rogaretur, sed domestica cautione vel chirographo obligaret se ad praestandum fideicommissum ei qui capere non potest. l. 103 (*m*).

42. Cum quid tibi legatum, fideive tuae commissum (*n*) sit ut mihi restituas, siquidem nihil praeterea

(h) V. l. 50 §. ult. et l. 51 h.

(i) V. l. 17 §. 1 *de annuis legatis.*

(k) L. 8 §. 2 *de legatis* 2.

(l) V. tit. 10 *de his quae ut indignis.*

(m) * *Lex.* 46 de hereditatis petitione, *habet*: Praedonis loco intelligendus est is qui tacitam fidem interposuerit, ut non capienti restitueret haereditatem. l. 46 *de haeredibus instituendis.*

(n) V. l. 26 *de his quae ut indignis auferuntur.* l. 3 §. 3 *de jure fisci.* Solae praesumptiones non sufficiunt ad probandum tacitum fideicommissum, chirographi et cautiones requiruntur. Ratio est quia applicabatur fisco.

ex testamento capias, dolum malum duntaxat in exigendo eo legato, alioquin etiam culpam te mihi praestare debere, existimavit. Sicut, in contractibus fidei bonae servatur, ut si quidem utriusque contrahentis commodum (*a*) versetur, etiam culpa: sin unius solius (*b*), dolus malus tantummodo praestetur. l. 108. §. 12. V. l. 5 §. 2 ff. *commod.*

43. Si haeres generaliter servum, *quem ipse voluerit*, dare jussus, sciens furem dederit, isque furtum legatario fecerit, de dolo malo agi posse ait (*c*). Sed quoniam illud *verum est*, *haeredem in hoc teneri*, *ut non pessimum det*, ad hoc tenetur, ut et alium hominem praestet, et hunc pro noxae deditione relinquat. l. 110 V. s. l. 37.

44. Ineptas voluntates defunctorum circa sepulturam (*d*) (veluti vestes, aut si qua alia supervacua ut in funus impendantur) non valere, Papinianus scribit. l. 113 §. ult.

45. Placet non plus posse rogari quem restituere, quam quantum ei relictum est. l. 114 §. 3 in fin.

46. Ut quis heredem instituat aliquem, rogari non potest: plane Senatus censuit perinde habendum atque si rogasset haereditatem restitui. l. 114 §. 6.

(a) V. l. 22 §. 3. *ad Trebell.* l. 58 §. 1 eod.

(b) V. leges civiles, t. 3 l. 4 tit. 3. s. 1 art. 11. V. l. 47 §. 4 et 5 *de legatis* 1.

(c) Ne haeres inutilem reddat legatario defuncti liberalitatem, imo et damnosam efficiat. V. quae dixi ad legem 10 de *servitutibus praediorum urbanorum*.

(d) Secundum enim substatiam et dignitatem defuncti extruere debet haeres monumentum. l. 27 *de conditionibus institutionum*. l. 1 §. ult. *ad legem falcidiam*. l. 14. §. 6 *de religiosis*. l. 202 *de verborum significatione*.

47. Divi Severus et Antoninus rescripserunt eos, qui testamento vetant quid alienari, nec causam exprimunt, propter quam id fieri velint; nisi invenitur persona, cujus respectu hoc a testatore dispositum est (*e*), nullius esse momenti scripturam, quasi nudum praeceptum reliquerint (*f*): quia talem legem testamento non possunt dicere. Quod si liberis, aut posteris, aut libertis, aut haeredibus, aut aliis quibusdam personis consulentes, ejusmodi voluntatem significarent, eam servandam esse. l. 114 §. 14.

48. Cum pater, filio haerede instituto, ex quo tres habuerat nepotes, fideicommisit (*g*) *ne fundum aliena-*

(e) * Lex §. 13 *habet*. Cum erit rogatus, si sine liberis decesserit, per fideicommissum restituere, conditio defecisse videbitur si patri supervixerint liberi, nec quaeritur an haeredes extiterint.

(f) Liberi hic in conditione positi, non sunt in dispositione et tamen locus fuisset aptissimus si ea mens fuisset genitorum.

(g) Nota 1 duos institutos non posse legatum evincere, quia factum defuncti praestare tenentur, et ea est decisio glossae. V. l. 149. *de re judicata*. 2. Exhaeredatus solus potest evincere, unde notandum exhaeredatum a patre non privari fideicommisso ab avo relicto. 3. Exhaeredatus potest solidum petere non trientem duntaxat, quia totus fundus debet relinqui in familia. 4. Quid, legatarius habebit ne regessum, indemnitatis nomine, adversus duos institutos? Testator rem alienam legavit, aut certe fideicommisso obnoxiam, sed non ignorabat: unde haeredes videntur onerati necessitate redimendi fundi aut aestimationis praestandae. Contra dici potest testatorem putasse, sibi licere fundum istum legare: quod si putasset sibi non licere, non legasset, quia denegari debet regressus legatario. 5. Quid, si pater, uni ex familia legasset, sed duntaxat alicui cognato, an filius potest conqueri? * *Lex* 67 §. 2. *de legatis* 2, *habet*: Sufficit uni reliquisse, licet eodem vel dispari gradu sint. Vide l. 69 §. 3 eod. Ubi quando gravatus restituere uni ex familia, non eligit, ia venit qui priori gradu est, sed gravatus potest remotiorem nominare, excepto casu l. 57 §. 2 *ad Trebell.* ubi ordo scripturae praescriptus est. 6. Si forte tres filii instituti fuissent, neuter ex his potest evincere legatarium, sed proximior legatarium potest evincere, quia fideicommissum relictum est familiae; et exclusis iis qui priori gradu sunt sequentes admittuntur ad petendum fideicommissum.

ret, et ut in familia relinqueret; et filius decedens duos haeredes instituit, tertium exhaeredavit, eum fundum extraneo legavit. Divi Severus et Antoninus rescripserunt, verum esse non paruisse voluntati defuncti filium, l. 114 §. 15.

Verum est in familia reliquisse, licet uni reliquisset. d. l. 114 §. 17 in f. l. 94 *de leg.* 3.

49. Etiam hoc modo, *cupio des*, *opto des*, *credo te daturum*, fideicommissum est. l. 115. V. l. 118.

In legatis vel fideicommissis necessaria non fit verborum observantia: ita ut nihil prorsus intersit, quis talem voluntatem verborum casus exceperit; aut quis loquendi usus effuderit. l. 21 C. *de leg.*

Omne verbum significans testatoris legitimum sensum, legare vel fideicommittere volentis, utile atque validum est; sive directis verbis, quale est, *jubeo* forte; sive precariis utatur testator (a), quale est *rogo*, *volo*, *mando*, *fideicommitto*. l. 2 C. *comm. de leg. et fideicommiss.*

50. *Legatum* est delibatio haereditatis, qua testator ex eo quod universum haeredis foret, alicui quid collatum velit. l. 116.

Legatum est donatio testamento relicta. l. 36 ff. *de leg.* 1.

51. Haereditas personae defuncti qui eam reliquit, vice fungitur. l. 116 §. 3.

52. Fundus legatus talis debet dari, qualis relictus est: itaque sive ipse fundo haeredis servitutem debuit, sive ei fundus haeredis, licet confusione dominii servitus extincta sit, pristinum jus restituendum est: et nisi legatarius imponi servitutem patiatur, petenti ei legatum exceptio doli mali opponetur. Si vero fundo

(a) Lex 67 §. 9 *de legatis* 2.

legato servitus non restituetur, actio ex testamento superest (*b*). l. 116 §. ult. (7)

53. Si quid relictum sit civitatibus, omne valet; sive in distributionem relinquatur, sive in opus, sive in alimenta, vel in eruditionem puerorum, sive quid aliud.. l. 117.

Civitatibus legari potest etiam quod ad honorem ornatumque civitatis pertinet. *Ad ornatum*, puta quod ad instruendum forum, theatrum, stadium, legatum fuerit. *Ad honorem*, puta quod ad munus edendum, venationemve, ludos scenicos, ludos circenses (relictum fuerit; aut quod ad divisionem singulorum civium (*c*), vel epulum relictum fuerit: hoc amplius quod in alimenta infirmae aetatis, (puta senioribus, vel pueris, puellisque).relictum fuerit, ad honorem civitatis pertinere respondetur. l. 122 (*d*).

54. Si servus *vetitus est a testatore rationes reddere*, non hoc consequitur, ut ne, quod apud cum sit, reddat, et lucri faciat (*e*); sed ne scrupulosa inquisitio fiat, hoc est, ut negligentiae ratio non habeatur, sed tantum fraudium. l. 119.

55. Fructus ex fundo pure legato, post aditam haereditatem a legatario perceptos, ad ipsum pertinere: colonum autem cum haerede ex conducto habere actionem (*f*). l. 120 §. 2. V. l. 32 ff. *locat.*

(b) V. l. 18 *de servitut.* l. 17. *quibus modis usus fructus amit.* l. 76 §. 2 *de legatis* 2. (7) Concorda. (*Leggi civ. art.* 972).

(c) V. l. 6 *de usuf. legat.* l. 4 *de administratione rerum ad civitatem pertinentium.*

(d) L. 1 *de ventre in possess. mitt.*

(e) Qui obligatus est rationem reddere, debet saltem pecuniam, quam penes se habet. l. 5 §. 7 *de administratione et periculo tutorum.* l. 47 §. 1 eod. l. 28 §. 4 *de liberatione legata.* l. ult. §. 2 eod. ubi particulam *non* expungit Cujacius.

(f) Successor singularis non tenetur stare colono. V. l. 25 §. 1 *locati conducti.* l. 9 C. *eod.*

LIBER XXXI.

TITULUS I.

De legatis et fideicommissis.

(LIBER SECUNDUS.)

SUMMARIA.

1. *Legatum in alterius arbitrium conferri potest, aut ita ut insit conditio, aut ut viri boni arbitrium desideretur.*
2. *Alterum legatum repudiare licet, altero accepto: nisi onus, habeat quod repellitur.*
3. *Si res legata vivo testatore, alibi fuerit, sumptibus legatarii requirenda est; aliud si post mortem.*
4. *Haec verba* ex illo dolio amphoras decem, *ad id rediguntur quod inest, si minus sit.*
5. *Legata pecunia debetur, etsi in haereditate non sit.*
6. *Res uni e pluribus legata, si de eo non constiterit, inter omnes dividitur.*
7. *Haeres probare debet mutatam voluntatem.*
8. *Quod sine die legatum est, debetur adita haereditate.*
9. *Si non sint in haereditate species nominatim legatae non debebuntur.*
10. *Ad fideicommissum familiae relictum vocantur:* 1. *qui nominati sunt;* 2. *post eos, caeteri ex familia;* 3. *ac deinceps eorum liberi.*
11. *Heredes pro suis partibus personali actione tenentur, qui hypothecam possident in solidum.*

12. *Filiorum nomine filiae continentur; non contra. Masculino sexu uterque continetur.*

13. *Binis exemplaribus prolatis, in quibus idem legatum tacite scriptum sit minus sequendum.*

14. *Legatariis substitui potest.*

15. *De conditione haeredis vel legatarii tunc agendum, cum obvenerint haereditas, vel legatum.*

16. *Ultra justum pretium utiliter emimus, propter commodum.*

17. *Principe mortuo non vacat principis nomen, sed ad successorem transit: non idem in Augusta.*

18. *Fideicommissi onus transit ad substitutum et ad cohaeredem cui accrescit pars onerata.*

19. *Non ab haerede eligente sed a testatore, fidei haeredis committente, jus quaeritur electo.*

20. *Fideicommissum relictum uni ex familia, cui volet haeres restituet.*

21. *Uni ex pluribus relictum, nullo electo ad omnes transit.*

22. *Si rem haeredis, quam suam putabat testator, legaverit, valet legatum: aliud si rem alterius suam credens legasset.*

23. *Verba omissa quae ex scriptis intelligantur supplenda sunt.*

24. *Haec verba*, Non dubito uxorem liberis reddituram, *pro fideicommisso accipiuntur.*

25. *Relictum familiae a proximioribus transit ad sequentes.*

26. *Haereditas non adita non transmittitur; legatum transmittitur etsi legatarius ignorans decesserit, postquam dies cessit.*

27. *Legato fundo cujus haeres fructum habebat, fundum eum fructu habeat legatarius.*

28. *Fideicommissum ut plus uni tribuatur, moderandae majoris partis arbitrium haeredi relinquit.*

29. *Legatum propter officium, si per legatarium non steterit ut praestet, debetur.*

30. *In donationibus causa mortis locum habet falcidia.*

31. *Legatarius alimentorum fideicommisso oneratus totum falcidiae onus in residuo sustinebit.*

32. *Frater fratri cohaeredi non praestat fideicommissum fundi alicujus quem suum pater crediderat. Aliud si in partem fundus datus esset.*

33. *Electurus cum morietur, utiliter vivus donat uni eligendorum.*

34. *Post divisionem perit coheredi nomen quod ei obtigit; est enim divisio permutatio discernens communem.*

35. *Si haeredi, ab intestato, verbis enixam voluntatem indicantibus, fideicommittatur, etsi non valeat testamentum, valebit fideicommissum.*

36. *Legatarius fundi eo evicto, cum pretii restitutione pretium consequetur.*

37. *Legatum recta via a testatore transit ad legatarium.*

38. *Fideicommissum a filiis ut a scriptis non ut a legitimis, irrito facto testamento, non praestabitur.*

39. *Nomina situm non habent, nec veniunt in legato eorum quae domo continentur.*

40. *Quaesitum ex lucrativa causa non debetur. Aliud in legato summae vel quantitatis.*

41. *Clausula codicillaris ex voluntate supplenda.*

1. In arbitrium alterius conferri legatum, veluti conditio, potest: quid enim interest, *si Titius in Capitolium ascenderit*, mihi legetur, an *si voluerit?*

Sed cum ita legatum sit pupillo sive pupillae, *arbitrio tutorum*, neque conditio inest legato, neque mora. Cum placeat, in testamentis legatum in alterius arbitrium collatum, pro viri boni arbitrio accipi (*a*): quae enim mora est in viri boni arbitrio, quod injectum legato velut certam quantitatem exprimit, pro viribus videlicet patrimonii? l. 1, d. l. §. 1.

2. Neminem ejusdem rei legatae sibi partem velle, partem nolle verius est. Sed duobus legatis relictis, unum quidem repudiare, alterum vero amplecti posse, respondetur. Sed si unum ex legatis onus habet, et hoc repellatur, non idem dicendum est. l. 4 et 5, d. l. 5 §. 1 (*b*).

3. Si quis servum haeredis vel alienum legaverit, et is fugisset, cautiones interponendae sunt de reducendo eo: sed si quidem vivo testatore fugerit, expensis legatarii reducitur; si post mortem, sumptibus haeredis (*c*). l. 8.

4. Si quis legaverit ex illo dolio amphoras decem (*d*), etsi non decem, sed pauciores inveniri possint, non extinguitur legatum; sed hoc tantummodo accipit, quod invenitur. l. 8 §. 2.

5. Si pecunia legata in bonis legantis non sit, sol-

(a) V. l. 75 *de legatis* 1; l. 32 *de haeredibus instituendis*. Valde differunt legare cui Titius voluerit, et legare Caio si Titius voluerit. V. l. 7 §. 1 *de rebus dubiis*. l. 52 *de conditionibus et demonstrationibus*. Contra l. 46 §. 23, l. 41 §. 4 *de fideicommiss. liber*.

(b) V. l. 1 2 *de acquirenda vel amittenda haereditate*. l. 99 §. 1 *de legatis* 1.

(c) V. contra l. 108 *de legatis* 1, et l. 39 *eod.* in n. 17, l. 47 *eod.* Quando haeres servare debuit. l. 108 §. 12 *de legatis* 1.

(d) Limitatio. V. *de legatis* 1 n. 40 infra.

vendo tamen haereditas sit, haeres pecuniam legatam dare compellitur, sive de suo, sive ex venditione rerum haereditariarum, sive unde voluerit. l. 12.

6. Si haeres damnatus esset decem uni ex libertis dare, et non constituerit cui daret (e), haeres omnibus eadem decem praestare cogendus est. l. 17. §. 1. V. infr. t. 67. §. 2. d. l. §. 7.

7. Onus probandi mutatam esse defuncti voluntatem, ad (haeredem) pertinet, qui fideicommissum recusat. l. 22. in fin.

8. Omnia quae testamentis sine die vel conditione adscribuntur, ex die aditae haereditatis praestentur. l. 32.

9. Species nominatim legatae, si non reperiantur, nec dolo haeredis deesse probentur, peti ex eodem testamento non possunt. l. 32. §. 5. V. l. 6. ff. *de aur. arg. mund.* d. l. §. 1. (a).

10. In fideicommisso, quod familiae relinquitur, hi ad petitionem ejus admitti possunt, qui nominati sunt, aut post omnes eos extinctos, qui ex nomine defuncti (b) fuerint eo tempore quo testator moreretur, et qui ex his primo gradu (c) procreati sint (d); nisi specialiter defunctus ad ulteriores voluntatem suam extenderit. l. 32. §. ult. V. l. 69. §. 3.

11. Legatorum petitio adversus heredes pro partibus haereditariis competit: nec pro his qui solvendo non sunt, onerari cohaeredes oportet (e). l. 33.

(e) V. contra legem 62 §. 1 *de haeredibus instituendis.*

(a) L. 71 *de legatis* 1.

(b) Nomen ergo probationem facit cognationis.

(c) Ne fideicommissum per minusculas partes inutile fiat. Cujacius ad l. 69 §. 3.

(d) Gotofr. ait hic, repraesentationem locum haebere in fideicommissis. Hoc verbum *specialiter* redolet manum Tribonianam.

(e) V. l. 1. C. *si unus ex pluribus haeredibus*, ubi nomine

Pro haereditariis partibus haeredes onera haereditaria agnoscere, etiam in fisci rationibus, placuit: nisi intercedat pignus vel hypotheca. Tunc enim possessor obligatae rei conveniendus est. l. 2. C. *de haered. act.* (*f*). (1)

12. Si ita sit scriptum, *filiabus meis centum aureos do*, an et masculini generis et foeminini liberis legatum videatur? Nam, si ita scriptum esset, *filiis meis hosce tutores do*, responsum est, etiam filiabus tutores datos esse: quod non est ex contrario accipiendum, ut filiarum nomine etiam masculi contineantur: *exemplo* enim *pessimum* est foeminino vocabulo etiam masculos contineri (*g*). l. 45.

Semper sexus masculinus etiam foemininum sexum continet. l. 62. in f. *de leg.* 3.

13. Sempronio Proculus nepoti suo salutem. Binae tabulae testamenti eodem tempore exemplarii causa scriptae, ut vulgo fieri solet, ejusdem patrisfamilias proferuntur. In alteris centum, in alteris quinquaginta aurei legati sunt Titio; Quaeris, utrum et quinquaginta aureos, an centum duntaxat habiturus sit? Proculus respondit: in hoc casu (magis) haeredi parcendum est; ideoque utrumque legatum nullo modo debetur (*h*), sed tantummodo quinquaginta aurei. l. 47.

---

ipso jure dividuntur inter haeredes, tam active quam passive. Pariter aes alienum quod ab haereditate defertur dividitur inter omnes haeredes.

(f) V. l. 1 in fine. C. Communia *de legatis*.

(1) Concorda (*Leggi civ. art.* 935).

(g) Ratio est in l. 9 *de statu hominum*, ubi dicitur; in multis juris articulis deterior est conditio faeminarum quam masculorum, et major est dignitas in sexu virili. l. 1 *de senatusconsult.*

(h) V. l. 12 *de probationibus.*

14. Uti haeredibus substitui potest, ita etiam legatariis. l. 50.

15. Non oportet prius de conditione cujusquam quaeri, quam haereditas, legatumve ad eum pertineat. l. 52.

16. Saepe confines fundos etiam supra justam aestimationem interest nostra acquirere (i). l. 54.

17. Quod principi relictum est, qui antequam dies legati cedat, ab hominibus ereptus est, ex constitutione divi Antonini, successori ejus debetur. Si Augustae legaveris (a), et ea inter homines esse desierit, deficit quod ei relictum est; sicuti divus Adrianus in Plotinae, et proxime imperator Antoninus in Faustinae Augustae persona constituit, cum ea ante inter homines esse desiit, quam testator decederet. l. 56. et 57.

18. Julianus ait: si alter ex legitimis haeredibus repudiasset portionem, cum essent ab eo fideicommissa relicta, cohaeredem ejus non esse cogendum fideicommissa praestare: portionem enim ad cohaeredem sine onere pertinere. Sed post rescriptum Severi, quo fideicommissa ab instituto relicta, a substitutis debentur, et hic quasi substitutus cum suo onere consequetur adcrescentem portionem (b). l. 61. §. 1. (c).

(i) * *Lex 1 §. 15. si quid in fraudem patroni*, *habet*: Si patronus dicat rem quidem justo pretio venisse, sed sua interesse non esse venundatam, inque hoc esse fraudem quod venierit possessio in quam habet patronus affectionem vel oportunitatis, vel vicinitatis vel coeli, vel quod illic educatus sit, vel parentes sepulti sint: porro fraus in damno accipitur pecuniario.

(a) Rex nunquam moritur; secus de Regina. V. Gotofr. ad legem 4. C. *ad legem falcidiam*. l. 191 *de re judicata*. l. 6 §. 1 *de jure fisci*.

(b) Vera ratio est, quod licet cohaeres legitimus nihil videatur capere ex judicio defuncti, sed a lege tamen a defuncto capit: quia defunctus videtur dedisse quod non ademit. l. 8 §. 1 *de jure codicillorum*. l. 1 §. 6 *de legatis* 3.

(c) V. l. 33 *de legatis* 1, n. 15.

19. Unum ex familia, propter fideicommissum a se cum moreretur relictum, haeres eligere debet: ei quem elegit, frustra testamento suo legat, quod, posteaquam electus est, ex alio testamento petere potest. l. 67.

Non enim facultas necessariae electionis, propriae liberalitatis beneficium est (d): quid est enim quod de suo videtur reliquisse, qui quod relinquit omnimodo reddere debuit? d. l. 67. §. 1.

20. Si cum forte tres ex familia essent ejus qui (*uni ex familia*) fideicommissum reliquit, eodem vel dispari gradu, satis erit uni reliquisse. Nam postquam paritum est voluntati, caeteri conditione deficiunt (e). l. 67. §. 2.

21. *Rogo fundum, cum morieris, restituas ex libertis cui voles.* Quod ad verba attinet, ipsius erit electio, nec petere quisquam poterit, quandiu praeferri alius potest. Defuncto eo priusquam eligat, petent omnes. Itaque eveniet, ut quod uni datum est, vivis pluribus, unus petere non possit; sed omnes petant quod non omnibus datum est. Et ita demum petere possit unus, si solus moriente eo superfuit. l. 67. §. 7.

22. Si rem tuam, quam existimabam meam, te haerede instituto, Titio legem, non est Neratii Prisci sententiae, nec constitutioni locus, qua cavetur, non cogendum praestare legatum haeredem. Nam succursum est haeredibus, ne cogerentur redimere quod testator suum existimans reliquit. Sunt enim magis in legandis suis

(d) V. l. 7 §. 1 *de rebus dubiis.*

(e) Gravatus potest remotiorem nominare, nisi ordo videatur a testatore praescriptus, ut in l. 57 §. 2 *ad Trebell.* Si autem non elegerit, tunc proximior veniet. l. 69 §. 3. infra hic, ut dixi ad l. 114 §. 15 *de legatis* 1.

rebus, quam in alienis comparandis, et onerandis haeredibus faciliores voluntates: quod in hac specie non evenit, cum dominium rei sit apud haeredem. l. 67. §. 8. V. s. *de leg.* 1. l. 39. §. 7. et 4. inst. *de legat.*

Haeredum etiam res proprias per fideicommissarium relinqui posse non ambigitur. l. 25. C. *de fideic.*

23. Si omissa fideicommissi verba sunt, et caetera quae leguntur, cum his quae scribi debuerant, congruant; recte datum, et minus scriptum, exemplo institutionis legatorumque intelligitur: quam sententiam optimus quoque imperator noster Severus secutus est (*f*). l. 67. §. 9.

Verbum *volo* licet desit, tamen quia additum perfectum sensum facit, pro adjecto habendum est. l. 10. C. *de fideic.*

24. Item *Marcus imperator* rescripsit, verba, quibus testator ita caverat, *non dubitare se quodcumque uxor ejus cepisset*, *liberis suis redditurum*, pro fideicommisso accipienda. Quod rescriptum summam habet utilitatem, ne scilicet honor bene transacti matrimonii, fides etiam communium liberorum decipiat patrem, qui melius de matre praesumpserat. Et ideo princeps providentissimus et juris religiosissimus, cum fideicommissi verba cessare animadverteret, eum sermonem pro fideicommisso rescripsit accipiendum. l. 67. §. ult. V. s. *de legatis* 1. l. 115.

25. Fratre haerede instituto petit, *ne domus alienaretur*, *sed ut in familia relinqueretur* (*a*). Si non parue-

---

(f) L. 115, 118 *de legatis* 1; l. 102 *de conditionibus et demonstrationibus.*

(a) * *Lex* 69 §. 1 *habet*: Quid nomine familiae relinquitur,

rit haeres voluntati, sed domum alienaverit, vel extero haerede instituto decesserit (b), omnes fideicommissum petent qui in familia fuerunt. Quid ergo, si non sint ejusdem gradus? Ita res temperari debet, ut proximus quisque primo loco videatur invitatus. l. 69. §. 3. (c).

26. Pro parte haeres institutus, cui praeceptiones erant relictae, post diem legatorum cedentem, ante aditam haereditatem vita decessit; partem haereditatis ad cohaeredes substitutos pertinere placuit; praeceptionum autem portiones, quae pro parte cohaeredum constiterunt, ad haeredes ejus transmitti. l. 75. §. 1. l. 19. ff. *de opt. leg.* V. 1. l. 80. et tit. *quand. dies leg. ced.* (2)

---

si non voluntaria facta sit alienatio, sed bona haeredis veneant, tamdiu emptor retinere debet, quamdiu debitor haberet bonis non venditis: post mortem ejus non habiturus, quod alter haeres praestare cogeretur. V. Cujac. hic. l. 48 §. 1 *de jure fisci*. l. 21 §. 1 *de fideicommissariis liber*. Ubi ita distinguendum inter fideicommissum pecuniarium, et libertatem fideicommissariam, ait Cujacius. Si res fideicommisso obnoxia vendatur ab haerede gravato erga familiam, statim locus est petitioni fideicommissi. Si autem vendatur tantum a creditoribus ejus locus erit petitioni fideicommissi post mortem ejus. In fideicommissaria autem libertate, statim locus est servo ut proclamet ad libertatem sive ab haerede vendatur sive a creditoribus ejus. Secus si a creditoribus testatoris. V. l. 77 §. 27 infr. et quae dixi infra ad n. ult. *de legatis* 3.

(b) V. supra. l. 67 §. 2.

(c) Hic §. haec verba addit. Nec tamen sequentium causa propter superiores in posterum laedi debet, sed ita proximus quisque admittendus est, si paratus sit cavere se familiae domum restiturum. Cautionem autem puto juste desiderari, quamvis nemo alius ulterior ex familia supersit. Nota, datur cautio licet haeredis instituti forte non intersit, quia semper ejus interest, ut voluntati defuncti pareatur. l. 19 *de legatis* 3. Nota interesse, licet nemo jam ulterior supersit, quia quis oriri petest ex familia et ad petendum fideicommissum relictum familiae, necesse non est natum esse tempore quo testator decessit. Cujacius. In hoc enim differt familia et cognatio. V. l. 8 *de stipulationibus praet.*

(2) » Quando a morte del testatore non vi sieno eredi a' quali

27. Dominus, haerede fructuario scripto (*d*), fundum sub conditione legavit: voluntatis ratio non patitur, ut haeres ex causa fructus emolumentum retineat: diversum in caeteris praediorum servitutibus, quas haeres habuit, responsum est, quoniam fructus portionis instar obtinet. l. 76. §. 2. (*e*).

28. Pater cum filia pro semisse haerede instituta, sic testamento locutus fuerat: *Peto, cum morieris, licet alios quoque filios susceperis, Sempronio nepoti meo plus tribuas in honorem nominis mei.* Necessitas quidem restituendi nepotibus viriles partes praecedere videbatur; sed moderandae portionis, quam majorem in unius nepotis personam conferri voluit, arbitrium filiae datum. l. 76. §. 5.

29. Non jure tutori dato mater legavit, si consentiat ut decreto praetoris confirmetur, et praetor non idoneum existimet, actio legati (non) denegabitur. l. 76. §. 6. V. l. 8. C. *de legat.* (*f*).

---

la legge riservi una quota di beni, questi passeranno *ipso jure* dal giorno della morte di quello all' erede scritto o al legatario universale senza l' obbligo di domandarne il rilascio.

Qualunque legato puro e semplice darà al legatario, dal giorno della morte del testatore, un dritto sulla cosa legata, il quale si può trasmettere agli eredi, o a coloro che hanno causa da lui. » (*Leggi civ. art.* 932 e 968).

(d) *Ex hac lege sequeretur*, *quod* si testator rem communem sibi cum haerede legaret, deberetur integra, nisi hoc verbum adjiceret *meam*. l. 5 §. 2 *de legatis* 1. V. l. 19. *quibus modis ususfructus amittitur*: * *Lex* 4 de usufructu *habet*: Ususfructus in multis casibus pars dominii est. In aliis vero pro servitute est. *Lex* 25 de verborum significatione, *habet*: Ususfructus non dominii pars, sed servitutis est. *Distingue*: ex parte ejus qui fruitur est dominii pars; ex parte ejus qui oneratur usufructu, est duntaxat servitus.

(e) V. l. 116 §. ult. *de legatis* 1.

(f) V. l. 32 *de excusationibus*. Non sufficit ergo per eum non fieri, contra. l. 161 *de re judicata*.

30. Eorum, quibus mortis causa donatum est, fideicommitti quoquo tempore potest; quod fideicommissum haeredes, salva falcidiae ratione quam in his quoque donationibus exemplo legatorum locum habere placuit, praestabunt. l. 77. §. 1.

31. Si pars donationis fideicommisso teneatur (*a*), fideicommissum quoque munere falcidiae fungetur. Si tamen alimenta praestari voluit, collationis totum onus in residuo donationis esse, respondendum erit ex defuncti voluntate, qui de majore pecunia praestari non dubie voluit integra. l. 77. §. 1. in fine (*b*).

32. Evictis praediis, quae pater, qui se dominum esse crediderit, verbis fideicommissi filio reliquit, nulla cum fratribus, et cohaeredibus actio erit. Si tamen inter filios divisionem fecit, arbiter conjectura voluntatis, non patietur, eum partes cohaeredibus praelegatas restituere; nisi parati fuerint et ipsi patris judicium fratri conservari. d. l. 77. §. 8. V. l. 71. §. 1. *de legat.* 1.

33. A filia pater petierat, ut, *cui vellet ex liberis suis praedia, cum moreretur, restitueret*, uni ex liberis suis praedia fideicommissi viva donavit: non esse electionem, propter incertum diem fideicommissi, certae donationis, videbatur. Nam in eum destinatio dirigi potest, qui fideicommissum inter caeteros habiturus est (*c*), remota matris electione. l. 77. §. 10. V. 1. *de leg.* 3. l. 41. §. 12. et l. 12. C. *de fideic.* (*d*).

(a) Nota *tria principia*: 1. Alimenta legata patiuntur falcidiam. 2. Non patiuntur si alimenta imposita sint tanquam onus alteri legato. 3. Secundum legatum relictum a primo patitur partem falcidiae per quam primum legatum imminutum est.

(b) V. l. 32 §. 4 *ad legem falcidiam*. l. 21 *de annuis*.

(c) Cujac. 10 obs. 39 legit *non est*.

(d) Cujac. 19 obs. 39.

34. Haereditatem post mortem suam rogati restituere, nominum periculo, quae per divisionem obligerunt, inter cohaeredes interpositis delegationibus, non adstringuntur; non magis quam praediorum, cum permutatio rerum discernens communionem interveniet (e). l. 77. §. 18. V. l. 4. ff. *de haered. vel act. vend.* l. 74. in f. ff. *de evict.* (f).

35. Filius matrem haeredem scripserat, et fideicommissa tabulis data cum jurisjurandi religione praestari rogaverat, cum testamentum nullo jure factum esset; nihilominus matrem legitimam haeredem cogendam praestare fideicommissa, respondi: nam enixae (g) voluntatis preces ad omnem successionis speciem porrectae videbantur. l. 77. §. 23. (h).

V. 1. l. 81. et f. *qui test. fac. poss.* l. 29.

36. Cum post mortem emptoris, venditionem reipublicae praediorum optimus maximusque princeps noster Severus Augustus rescindi, haeredibus pretio restituto, jussisset, de pecunia legatario, cui praedium emptor ex ea possessione legaverat, conjectura voluntatis, pro

(e) V. Cujacium ad hanc legem. Nam si filius donatarius moreretur ante matrem, electio nulla esset: debuit enim duntaxat restituere tempore mortis suae, nec potuit tempus antevertere. Item mater potest revocare electionem usque ad mortem. Ergo divisio non importat cautionem providendi et faciendi, ut valeat in tempus futurum.

(f) V. l. 58 §. 1. *ad Trebell.*

(g) Enixae defuncti preces inducunt clausulam codicillarem et fideicommissariam. l. 77 §. 16 ait: Mensae negotium ex causa fideicommissi cum indemnitate haeredum per cautionem susceptum, emptioni simile videtur; et ideo non erit quaerendum an plus in aere alieno sit, quam in quaestu. V. ad l. 6 *de fideicommissariis libertatibus*, et l. 76 §. 1 h.

(h) L. 88 §. ult. h. l. 81 h. l. 61 §. 1.

modo aestimationis (*i*), partem solvendam esse respondi. l. 78. §. 1.

37. Legatum ita dominium rei legatarii facit, ut haereditas haeredis res singulas: quod eo pertinet, ut, si pure res relicta sit, et legatarius non repudiavit defuncti voluntatem, recta via dominium, quod haereditatis fuit, ad legatarium transeat, numquam factum haeredis. l. 80.

Ea quae legantur, recta via ab eo qui legavit ad eum cui legata sunt, transeunt. l. 64. in fine ff. *de furtis*. V. s. l. 75. §. 1.

38. Si quis testamento facto (*a*), a filiis suis, quos haeredes instituisset, fideicommissa reliquisset, non ut a legitimis haeredibus, sed ut a scriptis; et testamentum aliquo casu irritum factum sit, fillii ab intestato venientes fideicommissa ex testamento praestare compelli non possunt. l. 81. (*b*).

39. *Gajus Sejus pronepos meus haeres mihi esto ex semisse bonorum meorum, excepta domu mea et paterna in quibus habito, cum omnibus quae ibi sunt; quae omnia scias ad portionem haereditatis, quam tibi dedi, non pertinere. Quaero*, cum sit in his domibus argentum, nomina debitorum, suppellex, mancipia, an haec omnia, quae illic inveniuntur, ad alios haeredes institutos debeant pertinere? Paulus respondit, nomina

---

(i) Cum Rex suum dominium retrahit post apertam possessoris haereditatem, primogenitus debet suum primogeniturae jus habere in pretio, contra Louet.

(a) Testamentum inter liberos non censetur habere tacitam clausulam codicillarem.

(b) L. 77 §. 23 h. l. 61 §. 1.

debitorum non contineri (c), sed omnium esse communia: in caeteris vero nullum pronepoti locum esse. l. 86.

40. Titia Sejo tesseram frumentariam comparari voluit, post diem trigesimum a morte ipsius. Quaero, cum Sejus viva testatrice, tesseram frumentariam ex causa lucrativa habere coepit, nec possit id quod habet petere; an ei actio competat? Paulus respondit, ei, de quo quaeritur, pretium tesserae praestandum, quoniam tale fideicommissum magis in quantitate, quam in corpore consistit. l. 87. (d).

Quaero, cum corpora legata etiam nunc ex lucrativa causa possideantur, an a substitutis peti possint? Respondi, non posse. l. 88. §. 7. in fine. V. l. 34. §. 1. et seq. *de leg.* 1.

Fideicommissum relictum, et apud eum cui relictum est, ex causa lucrativa inventum, extingui placuit, nisi defunctus aestimationem quoque ejus praestari voluit (e). l. 21. §. 1. *de leg.* 3.

41. *Lucius Titius hoc meum testamentum scripsi sine ullo jurisperito, rationem animi mei potius secutus, quam nimiam et miseram diligentiam: et si minus aliquid legitime, minusve perite fecero, pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas*: deinde haeredes in-

---

(c) V. l. 92 *de legatis* 3.

(d) V. l. 102 §. 1 *de legatis* 3.

(e) * §. 1. *Legis* 87 *habet*: Usuras fideicommissi, post impletos annos viginti quinque, puellae, ex quo mora facta est, deberi respondi. Quamvis enim constitutum sit ut minoribus viginti quinque annis usurae omnimodo praestentur, tamen non pro mora hoc habendum est, quam sufficit semel intervenisse ut perpetuo debeantur. V. l. 26 *de fideicommissariis libertatibus*. l. 3 C. *in quibus causis in integrum restitutio necessaria non est*.

stituit. Quaesitum est, intestati ejus bonorum possessione petita, an portiones adscriptae ex causa fideicommissi peti possint? Respondi, secundum ea quae proponerentur, posse (*f*). l. 88. §. ult. (*g*).

(f) Testamentum olographum: at septem testes supponandi sunt. * *Lex* 89 §. 4 *habet*: Quatuor filios aequis partibus instituit, et fundum per praeceptionem singulis legavit; filii cum universa bona patris obligata essent, mutua accepta pecunia haereditario creditori solverunt, et posteriori obligaverunt: qui, cum ei debitum non solveretur, praedia universa lege pignoris uni ex haeredibus vendidit. Quaeritur, an eum iste filius ex causa emptionis ea possideat fratribus et cohaeredibus fideicommissi petitio esset. Respondi, actionem quidem fideicommissi in personam competentem omnibus invicem manere, non autem fideicommissum restituendum, nisi prius debitum ab eis emptori eidemque cohaeredi persolveretur. *Vide Etampes*, art. 101. Louet, l. C. n. 5. l. 19 22. *familiae erciscundae* ... Cou. l. 8 C. *si quis alteri vel sibi*. Supra de contrahenda emptione. n. ult. l. 3 §. 1 *ad legem falcidiam*. *Auxerre*, art. 181. *Sens*, art. 161. Lex 88 §. 10 ait: Quisquis mihi haeres erit, sciat debere me Demetrio patruo meo denaria tria, et deposita apud me a Seleuco patruo meo denaria tria; quae etiam protinus eis reddi et solvi jubeo. Quaesitum est an, si non deberentur, nullam actionem esse ex debito, sed ex fideicommisso. V. l. 27 *de probationibus*. l. 26 *de donationibus*.

(g) L. 77 §. 23 h.

LIBER XXXII.

TITULUS I.

De legatis et fideicommissis.

(LIBER TERTIUS.)

SUMMARIA.

1. *Non nisi ab eo fideicommittitur cui aliquid relinquitur.*
2. *Legatum his verbis* si fuerit arbitratus, *ad viri boni arbitrium refertur.*
3. *Si testator rem legatam alienaverit, erit quaestio voluntatis an stet legatum.*
4. *Non revocatur legatum si res legata a testatore pignori detur legatum pignus haeres luit.*
5. *Aut res, aut justa aestimatio praestanda fideicommissario.*
6. *In fideicommissis spectanda voluntas.*
7. *Nec imperator ex imperfecto testamento capere debet.*
8. *In perspicuis non admittitur quaestio voluntatis.*
9. *Fructus et etiam damnum praestat fideicommissarius cunctator.*
   Usurae et fructus legatorum a lite contestata.
10. *Veteri jure ex inofficioso testamento legata non debebantur; novo debentur.*
11. *Deficiente eo cui fideicommissum a legatario praestari debuit, non haeredi, sed legatario quaeretur.*
12. *Non liberatur haeres qui substituto restituit fidei-*

commissum, si eo praemortuo ad alterum perventurum sit, et casus evenerit.

13. *Dos arbitrio tutorum relicta, ex dignitate, facultatibus, numero, liberorum aestimanda.*

14 *Fundo legato cum his quae ibi erunt, non continentur quae ad tempus ibi sunt.*

15. *His verbis quae uxoris causa parata sunt, ea continentur quae uxoris causa magis, quam in communem usum habentur.*

16. *Ubi manifesta est mens testatoris, a verborum significatione receditur.*

17. *Conjunctorum singuli totum habent: hi concursu partes faciunt.*

18. *Legati nomine veniunt et fideicommissum et donatio mortis causa.*

19. *Si ex lana legata vestis fiat, non debetur; nec navis legatae materia, si dissolvatur; nec bovis mortui corium aut caro.*

20. *Qui re conjuncti, qui verbis.*

21. *Ubi de significatione verborum agitur, patrisfamilias mens spectanda et consuetudo.*

22. *Domui legatae accedit hortus quem ei paterfamilias addidit.*

23. *Fundo legato non accedunt ibi reposita in diem mortis.*

24. *Generi per speciem derogatur.*

25. *Si rem legatam emerit legatarius, debebitur pretium: non si titulo lucroso consecutus sit.*

26. *Si quod legaverat filiae pater, ei postea in dotem dedit, evanescit legatum.*

27. *Solutum inutile fideicommissum haeres non repetit.*

28. *Potest haeres repraesentare fideicommissum.*

29. *Alienari non potest, nec pignori dari fideicommissi. Excipitur causa legitimae dotis, et donationis antenuptialis, liberis oneratis.*

1. Sciendum est autem, eorum fideicommitti (quem) posse, ad quos aliquid perventurum est morte ejus, vel dum eis datur, vel dum eis non adimitur (a). Nec tantum proximi bonorum possessoris, verum inferioris quoque fideicommittere possumus. Sed et ejus qui nondum natus est (fideicommitti posse), si modo natus nobis successurus sit (b). l. 1. §. 6. 7. et 8.

2. Si ita adscriptum fuerit, *si fueris arbitratus, si putaveris, si aestimaveris, si utile tibi fuerit visum, vel videbitur*, debebitur: non enim plenum arbitrium voluntas haeredi dedit, sed quasi viro bono commissum relictum. l. 11. §. 7. V. s. l. 75. *de leg.* 1. l. 43. h.

In testamentis legatum in alterius arbitrium collatum, pro viri boni arbitrio accipi. l. 1. §. 1. *de leg.* 2.

3. Si rem suam testator legaverit, eamque necessitate urgente alienaverit, fideicommissum peti posse, nisi probetur adimere ei testatorem voluisse: probationem autem mutatae voluntatis ab haeredibus exigendam (c). l. 11. §. 12.

Si rem suam legaverit testator, posteaque eam alie-

(a) L. 8 §. 1 *de jure codicillorum.*

(b) Eorum fidei committi potest ad quos aliquid perventurum est, vel dum eis datur, vel dum eis non adimitur. §. 6.

(c) Quid, si testator rem alienatam redemerit? V. pulchram speciem in §. 13 *de debito legato, et soluto testatori invito.* Debetur legatum etsi constantia legati extinguatur, quia testator exigit debitum, sed ei debitor ultro solvit.

naverit, Celsus putat, si non adimendi animo vendidit, nihilominus deberi. Idemque divi Severus et Antoninus rescripserunt. §. 12. inst. *de leg.*

Cur non incumbat legatario onus probandi non mutatam voluntatem, cum ipsa alienatio sit argumentum mutationis? Caeterum non admitterentur jure nostro hujuscemodi probationes. V. l. 8. *de leg.* 1.

4. Qui post testamentum factum praedia quae legavit, pignori vel hypothecae dedit (*d*), mutasse voluntatem circa legatariorum personam non videbitur. Et ideo (etiam) si in personam actio electa est, recte placuit, ab haerede praedia liberari. l. 3. C. *de leg.* (*e*).

Praedia obligata per legatum vel fideicommissum relicta, haeres luere debet: maxime cum testator conditionem eorum non ignoravit (*f*): aut, si scisset, legatarius tibi aliud quod non minus esset, fuisset. Si vero a creditore distracta sunt, pretium haeres exsolvere cogitur, nisi contraria voluntas defuncti ab haerede ostendatur. l. 6. C. *de fideic.* (1)

(d) L. 57 *de legatis* 1.

(e) V. l. 32 §. 5 *de donationibus inter virum et uxorem.* l. 12. C. *eod.* Nov. 162, c. 1 §. 1.

(f) In l. 32 §. 5 *de donationibus inter virum et uxorem.* Donatio facta uxori revocetur per oppignerationem, nisi uxor voluerit luere debitum. In l. 12. C. *eod.* revocatur omnino absque distinctione. In Nov. valet omnino absque necessitate luendi pignoris. Distingue: Si res hypothecata fuit a defuncto aut ab eo cujus testator ipse haeres fuit, tunc haeres ejus debet luere; Si vero res forte ab extraneo veluti a venditore fuit hypothecata, legatario incumbit onus luendi pignoris, quia tunc aes non est principale, sed quasi onus reale.

(1) » Se prima o dopo del testamento la cosa legata sia stata ipotecata . . . e per effetto dell' azione ipotecaria il legatario venga obbligato a pagare il debito di cui era gravato il fondo legato, egli subentrerà nelle ragioni del creditore contra gli eredi. » (*Leggi civ. art.* 974).

5. Cum per fideicommissum aliquid relinquitur, ipsum praestandum quod relictum est; cum vero ipsum praestari non potest, aestimationem esse praestandam. l. 11. §. 17.

Sed si cui legatum relictum est, *ut* (haeres) *alienam rem redimat*, *vel praestet*; si redimere non possit, quod dominus non vendat, vel immodico pretio vendat, justam aestimationem inferat. l. 14. §. 2.

Si aedes alienas ut dares damnatus sis, neque eas ulla conditione emere possis; aestimare judicem oportere, Atteius scribit, quanti aedes sint, ut pretio soluto, haeres liberetur. Idemque juris est, etsi cum potuisses emere, non emeres. l. 30. §. 6.

6. In fideicommissis praecipue spectanda, servandaque testatoris voluntas. l. 11. §. 19. in f. (*a*).

7. Ex imperfecto testamento legata vel fideicommissa imperatorem vindicare, inverecundum est: decet enim tantae majestati, eas servare leges (*b*), quibus ipse solutus esse videtur. l. 23.

8. Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio (*c*). l. 25 §. 1. V. 1 l. 19.

9. Is qui fideicommissum debet, post moram, non tantum fructus, sed etiam omne damnum quo adfectus est fideicommissarius, praestare cogitur. l. 26. (*d*).

(a) V. l. 19 *de conditionibus et demonstrationibus.*

(b) Lex 4. C. *de legibus.*

(c) Ne interpretatio melior sensu existat. l. 3. C. *de liberis praeteritis vel exhaeredatis.* V. infra, n. 16.

(d) Quid, si haeres institutus diu cessaverit in adeunda haereditate legatarii fraudabuntur fructibus et usuris? Si quidem ante aditam haereditatem agere non possunt, et si forte haeres repudiaret haereditatem, legata corruerent. Si autem ex postfacto adeat, aditio

Legatorum seu fideicommissorum usuras ex eo tempore quo lis contestata est, exigi posse manifestum est: sed et fructus rerum similiter praestari solent. l. 1. C. *de usur. et fr. legat.*

In legatis et fideicommissis fructus post litis contestationem (*e*), non ex die mortis, consequuntur, sive in rem, sive in personam agatur. l. ult. C. *eod.* (2)

10. Nec fideicommissa ab intestato data debentur ab eo cujus de inofficioso testamento constitisset; quia crederetur quasi furiosus testamentum facere non potuisse: ideoque nec aliud quid pertinens ad suprema ejus judicia valet. l. 36.

Si contigerit in quibusdam talibus testamentis quaedam legata vel fideicommissa relinqui, vel quaelibet alia capitula concessa legibus nominari, ea omnia jubemus adimpleri (*f*). Nov. 115. cap. 3. in f. et cap. 4. in f.

11. Fidei commisit ejus, cui duo millia legavit, in

---

retrotrahitur ad initium et fructus omnes lucratur. Dicendum est, legatarios non posse fructus aut usuras petere intra annum qui haeredi datur ad deliberandum per legem *Scimus*. C. *de jure deliberand.* Quia illud tempus est legitimum. Post annum vero tenetur haeres aut adire, aut repudiare, et legatarius petet fructus et usuras post illud tempus. V. Nov. 1 c. 1.

(e) Quinimo et post motam controversiam. l. 25 §. 7 *de haereditatis petitione*.

(2) » Il legatario particolare non potrà pretendere i frutti o gl' interessi della cosa legata, se non dal giorno della sua domanda, o dal giorno in cui gli fosse stato volontariamente accordato il possesso. » (*Leggi civ. art.* 968).

(f) Multi putant, veluti Vinnius, quaest. select. lib. 2. c. 20. Irnerium errasse in Auth. *ex causa*. C. *de liberis praeteritis vel exhaeredatis*, ubi dixit legata firma manere in casu praeteritionis sicut in casu exhaeredationis, cum tamen Nov. 115. c. 3 et 4 loquatur tantum de casu exhaeredationis. Verum a casu exhaeredationis ducitur argumentum a fortiori ad casum praeteritionis.

haec verba: *A te, Petroni, peto uti ea duo (millia) solidorum reddas collegio cujusdam templi*: quaesitum est, cum id collegium postea dissolutum sit, utrum legatum ad Petronium pertineat, an vero apud haeredem remanere debeat? Respondit, Petronium jure petere, utique si per eum non stetit parere defuncti voluntati (g). l. 38. §. 6.

12. Seium maritum scripsit haeredem, eique substituit Appiam alumnam, fideique heredis commisit, *ut post mortem suum haereditatem eidem alumnae restitueret: aut, si quid ante contigisset alumnae, tunc Valeriano fratris filio restitueret eandem haereditatem.* Quaesitum est, si Seius vivus, quidquid ad eum ex haereditate pervenisset, alumnae restituisset (a), an secundum voluntatem defunctae id fecisse videretur; praesertim cum haec eidem substituta esset? Respondit, si vivo Seio Appia decessisset, non esse liberatum a fideicommisso Valeriano relicto. l. 41. §. 12. V. s. *de leg.* 2. l. 77. §. 10.

13. Si filiae pater dotem arbitratu tutorum dari jussisset, Tubero perinde hoc habendum ait, ac si viri boni arbitratu legatum sit. Labeo quaerit, quemadmodum apparet, quantam dotem cujusque filiae boni viri arbitratu constitui oportet (b)? Ait, id non esse difficile ex dignitate, ex facultatibus, ex numero liberorum testamentum facientis aestimare. l. 43.

(g) Nisi Petronium testator elegerit ut ministrum. V. infra *de annuis legatis*, n. 3.

(a) Non debet anteverti restitutio fideicommissi si alicujus interesit: secus contra. V. infra n. 28.

(b) V. l. 43 §. 1 *de administratione et periculo tutorum*. l. 69 §. 4 *de jure dotium*. l. 11 §. 7 h.

14. Si fundus legatus sit *cum his quae ibi erunt*; quae ad tempus ibi sunt, non videntur legata. Et ideo pecuniae quae foenerandi causa ibi fuerunt, non sunt legatae. l. 44. (*c*).

Nec quod casu abesset, minus esse legatum; nec quod casu ibi sit, magis esse legatum. l. 86.

15. Quod in usu frequentissime versatur, ut in legatis uxoris adjiciatur, *quod ejus causa parata sint* (*d*), hanc interpretationem obtinuit, quod magis uxoris (causa) quam communis promiscuique usus causa paratum foret. l. 45.

16. Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem. l. 69. V. s. l. 25. §. 1.

Cum enim manifestissimus est sensus testatoris, verborum interpretatio nusquam tantum valeat ut melior sensu existat (*e*). l. 3. in f. C. *de lib. praeter. vel exhaered.*

17. Conjunctim haeredes institui, aut conjunctim legari, hoc est, totam haereditatem, et tota legata singulis data esse; partes autem concursu fieri. l. 80. V. s. l. 16. *de legat.* 1. l. 34. §. 9. *cod.* et l. 3. ff. *de usufr. accresc.*

18. Et fideicommissum, et mortis causa donatio appellatione legati continentur. l. 87. (*f*).

19. Lana legata, vestem quae ex ea facta sit deberi non placet. Sed et materia legata navis, armariumve

(c) V. infra *de instructo vel instrumento legato*, n. 3 in fine.
(d) Gemmae, uniones, et caetera mundi muliebris.
(e) L. 25 §. 1 supra n. 8.
(f) Lex 1 *de legatis* 10.

ex ea factum non vindicetur. *Nave* autem legata dissoluta, neque materia, neque navis debetur. l. 88. d. l. §. 1. et 2.

Mortuo bove, qui legatus est, neque corium, neque caro debetur. l. 49. ff. *de leg.* 2.

20. Re conjuncti videntur, non etiam verbis; cum duobus separatim eadem res legatur. Item verbis, non etiam re (g), *Titio et Seio fundum aequis partibus do, lego.* l. 89. V. l. 142. *de verb. signif.* (h).

21. *Titio Seiana praedia, sicuti comparata sunt, do, lego* (i): cum essent Gabiniana quoque simul uno pretio comparata, non sufficere solum argumentum emptionis respondi: sed inspiciendum, an litteris et rationibus appellatione Seianorum, Gabiniana quoque contineantur, et utriusque possessionis confusi reditus, titulo Seianorum accepto lati essent. l. 91. §. 3. (k)

22. Qui domum possidebat, hortum vicinum aedibus comparavit, ac postea domum legavit. Si hortum domus causa comparavit, ut amoeniorem domum ac salubriorem possideret, aditumque in eum per domum habuit, et aedium hortus additamentum fuit, domus legato continebitur. l. 91. §. 5. (3)

23. Collegio fabrorum *fundum cum sylvis quae ei ce-*

(g) *De legatis* 1. n. 15.

(h) Dicuntur isti disjuncti quando verbis duntaxat conjuncti sunt.

(i) V. l. 7. §. 2 *de suppellectile legata.*

(k) V. l. 60 *de verborum significatione.*

(3) Quando colui che ha legato la proprietà di un immobile, l'avesse accresciuto con acquisti posteriori, questi, ancorchè contigui, non si stimerà che facciano parte del legato. — Si giudicherà il contrario riguardo agli abellimenti, o alle nuove fabbriche fatte sul fondo legato, o ad un recinto di cui il testatore avesse ampliato il circuito. » (*Leggi civ. art.* 973.)

dere solent. uti optimus maximusque esset (*a*), legavit: quaero, an ea quoque quae in diem mortis ibi fuissent (i. e. faenum, pabulum, palea, item machinae, vasa vinaria, id est, cuppae et dolia quae in cella defixa sunt, item granaria) legata essent? Respondit, non recte peti quod legatum non esset. l. 93. §. 4. (*b*).

24. Si alii vernae, alii cursores legati sunt, si quidam et vernae et cursores sint, cursoribus cedent: semper enim species generi derogat. l. 99. §. ult. V. l. 80. *de reg. jur.* (*c*). V. l. 15. inst. *de pecul. leg.*

25. Alumno praecipit militiam emi his verbis: *Sempronio alumno meo illud et illud; et cum per aetatem licebit, militiam illam cum introitu comparari volo; huic quoque omnia integra.* Quaesitum est, si Sempronius eam militiam sibi comparaverit, an pretium ejus, sed et id quod pro introitu erogari solet, ex causa fideicommissi ab haeredibus consequi possit? Respondit, secundum ea quae proponerentur, posse. l. 102. §. 2.

Quaero, cum corpora legata etiam nunc ex lucrativa causa possideantur, an a substitutis peti possint? Respondi, non posse. l. 88. §. 7. inf. *de leg.* 2. (*d*).

Fideicommissum relictum, et apud eum, cui relictum est, ex causa lucrativa inventum, extingui placuit; nisi defunctus aestimationem quoque ejus praestari voluit. l. 21. §. 1.

26. Filia legatorum non habet actionem, si ea quae

(a) V. l. 169 *de verborum significatione.*

(b) V. l. 2 §. 1 *de instructo vel instrumento legato.* l. ult. *de suppellectile legata.* l. 18 l. 54 in fine *de actionibus empti et venditi.*

(c) V. l. 11 §. 46 *de instructo vel instrumento legato.*

(d) V. supra *de legatis* 2. n. 40.

ei (in) testamento reliquit (vivus) (e) pater postea in dotem dederit. l. 11. C. *de leg.* (f).

27. Etsi inutiliter fideicommissum relictum sit, tamen si haeredes comperta voluntate defuncti praedia ex causa fideicommissi avo tuo praestiterunt, frustra ab haeredibus ejus de ea re quaestio tibi movetur: cum non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi, defuncti voluntati satisfactum esse videatur. l. 2. C. *de fideic.*

28. Post mortem suam rogatam restituere haereditatem, defuncti judicio, et antequam fati munus impleat, posse satisfacere (g), id est, restituere haereditatem quarta parte vel retenta, vel omissa, si voluerit, explorati juris est. l. 12. C. *de fideic.* V. s. l. 41. §. 12. et l. 77. §. 10. *de leg.* 2.

29. Quae ex fideicommisso, sive puro, sive conditionali restituenda sunt, nec alienare potest haeres, nec pignori dare (h). l. 3. §. 2. et 3. C. *com. de leg.*

Minuitur fideicommissum, quo filii onerantur, retentione propter legitimam, et causa dotis et antenuptialis donationis. Ex Nov. 39. in praefat. et c. 1. V. Inf. l. 22. §. 4. *ad senat. Trebell.*

(e) Pater filiae suae legavit 20,000 lib., postea matrimonio ipsam conjungens donat illi 20,000 lib. videtur legatum repraesentatum et pater propriam liberalitatem 20,000 lib. ad effectum produxisse, et suae voluntatis suique testamenti ministrum fuisse. Menochius distinguit inter debitum naturale et debitum conventionale. Debitum naturale compensatur cum legato: secus conventionale.

(f) V. l. 29 *de jure dotium.* l. 12 *de probationibus.* l. 85 *de legatis* 2.

(g) V. supra n. 12.

(h) Si tamen haeres ignoret fideicommissum, quia testator prohibuit tabulas codicillares aperiri vivente haerede; et haeres bona fide alienaverit, non potest fideicommissarius rem ab emptore evincere, sed sufficit haeredem haereditatis pretium praestare. l. ult. §. ult. *de legatis* 2. V. quae dixi supra ad n. 25 *de legatis* 2.

LIBER XXXIII.

TITULUS I.

De annuis legatis et fideicommissis.

SUMMARIA.

1. *Legato in singulos annos plura insunt legata : et inest singulis annis conditio si vivat legatarius, nisi aliud testator voluerit.*
2. *In annuis legatis annus incoeptus debetur integer.*
3. *Quaedam in testamentis ab haeredis fide pendent. Unde origo executorum seu ministrorum in testamentis.*
4. *Ubi auctoritas sola testatoris est, veluti circa liberorum providentiam, judicis arbitrio res interdum committenda est.*
5. *Legatum negotiis trium liberorum interventuro, duobus mortuis, pro parte superstitis debetur.*
6. *Si per legatarium non stet quominus impleat conditionem, legatum debetur.*
7. *Omissioni summae supplendum ex circumstantiis.*
8. *Perdituro ante tempus solvens fideicommissum, quod ei diutius servandum habebat, non liberatur.*
9. *Verbis omissis, ex mente testatoris supplendum.*
10. *Legatum annuum ex annuis etiam fructibus sterili debetur, propter ceterorum annorum ubertatem.*
11. *Conditioni morandi cum aliquo, paretur, si quoad vivat moretur cum eo legatarius.*
12. *Legatu fructuum fundi parte annua, etsi haeres*

fundum vendiderit, non usurarum praetii, sed fructuum pars debebitur.

13. *Minuto per falcidiam legato fundi, non minuitur legatum annuae summae ex reditu, si quod superest sufficiat; nisi alia sit mens testatoris.*

14. *Si ab alio quam a liberto legatum esset, numquid idem jus? Si fratri, fratris impuberis cohaeredi, reditus cum onere annuo usque ad pubertatem relicti sint, hoc quasi tutori relictum non transit ad haeredem fratris majoris.*

15. *Legatum civitati in diem, videtur perpetuum.*

1. Si *in singulos annos* alicui legatum sit (*a*), Sabinus (cujus sententia vera est) plura legata esse ait, et primi anni purum, sequentium conditionale: videri enim hanc inesse conditionem, *si vivat*; et ideo, mortuo eo, ad haeredem legatum non transire. l. 4. (*b*).

In annualibus legatis vel fideicommissis, quae testator non solum certae personae, sed et ejus haeredibus prestari voluit, exactionem omnibus haeredibus, et eorum haeredum haeredibus servari, pro voluntate testatoris praecepimus. l. 22. C. *de legat.*

2. *A vobis quoque caeteri haeredes peto, ut uxori meae praestetis, quoad vivet, annuos decem aureos* (*c*). Uxor supervixit marito quinquennio, et quatuor mensibus. Quaero, an haeredibus ejus sexti anni legatum integrum debeatur? Modestinus respondit, integri sexti

(a) Nota. Verbum pensio, est vitalitia: verbum redditus, est perpetuus.
(b) V. l. 11 eod.
(c) Bougier. l. C. T.

anni legatum deberi. l. 5, 8 et 22 *eod.* l. 11 ff. *de usu et usufr. et red.*

Si competenti judici annua legata vel fideicommissa tibi relicta probaveris ab initio cujusque anni (*d*) exigendi ea habebis facultatem. l. 1. C. *quando dies legat. vel fid. cedat.*

3. In testamentis quaedam scribuntur (*e*), quae ad auctoritatem duntaxat scribentis referuntur, nec obligationem pariunt. Haec autem talia sunt si te haeredem solum instituam et scribam *uti monumentum mihi certa pecuna facias*: nullam enim obligationem ea scriptura recipit, sed ad auctoritatem meam conservandam poteris, si velis, facere: aliter atque si, cohaerede tibi dato, idem scripsero. Nam sive te solum damnavero, *uti monumentum facias*, cohaeres tuus agere tecum poterit familiae erciscundae, ut facias; quoniam interest illius. Quin etiam si utrique jussi estis hoc facere, invicem actionem habebitis. l. 7. V. l. 21. §. 4. 4. hoc t.

Si quis Titio decem legaverit, et rogaverit *ut ea restituat Maevio*, Maeviusque fuerit mortuus, Titii commodo cedit, non haeredis, nisi duntaxat ut *ministrum* (*f*) Titium elegit. l. 17. ff. *de leg.* 2. V. l. 96. §. 1. *de leg.* 1. (*g*). l. 107. *eod.* l. 7. ff. *si cui plus quam per legem falc.* l. 8. ff. *de alim. vel cib. leg.*

Si testator designaverit per quem desiderat redemptionem fieri captivorum, is qui specialiter designatus

---

(d) L. 10. et 12. *quando dies legatorum vel fideicommissorum cedat*, n. 12. et 13.

(e) Origo exequutorum testamentorum.

(f) Exquutor testamentarius.

(g) V. l. 38 §. 6 *de legatis* 3.

est, legati vel fideicommissi habeat exigendi licentiam, et pro sua conscientia (*h*) votum adimpleat testatoris. l. 28. §. 1. C. *de episc. et cleric.* V. Nov. Leon. 68.

4. Non semper voluntas aut jussum (testatoris) conservari debet: veluti si praetor doctus sit, non expedire, pupillum eo morari ubi pater jusserit, propter vitium quod pater forte ignoravit in eis personis esse, apud quas morari jussit. Si autem pro cibariis eorum in annos singulos aurei decem relicti sint; sive hoc sermone significantur apud quos morari mater pupillos voluerit; sive ita acceperimus hunc sermonem ut ipsis filiis id legatum debeatur; utile erit: et magis enim est, ut providentia filiorum suorum hoc fecisse videatur. Et in omnibus ubi auctoritas sola testatoris est, neque omnimodo spernenda, neque omnimodo observanda est: sed interventu judicis haec omnia debent, si non ad turpem causam feruntur, ad effectum perduci. l. 7 in fin.

5. *Seio amico fidelissimo, si voluerit, sicut meis negotiis interveniebat, eodem modo filiorum meorum intervenire, annuos senos aureos, et habitationem qua utitur, praestari volo.* Non ideo minus annua Sejo pro parte haereditaria viventis filiae deberi placuit, quod ex tribus filiis Titiae duo aliis haeredibus institutis vita decesserunt, cum, tam labor, quam pecunia divisionem reciperent (*a*). l. 10. (*b*).

6. Maevia nepotem ex Maevio puberem haeredem instituit, et Lucio Titio ita legavit: *Lucio Titio viro*

(h) Ergo non debet rationem redemptionis reddere.
(a) V. supra *de excusationibus*, n. 25.
(b) V. l. 13 infra.

bono, cujus obsequio gratias ago, dari volo annuos, quamdiu vivat, aureos decem, si rebus nepotis mei interveniat (c), *omnemque administrationem rerum nepotis mei ad sollicitudinem suam revocaverit.* Quaero, cum Lucius Titius aliquo tempore Maevii negotia gesserit, et per eum non stet quominus gerat; Publius autem Maevius nollet eum administrare: an fideicommissum praestari debeat? Respondi, si non propter fraudem aliamve quam justam causam, improbandae operae causa remotus esset a negotiis, quae administrare secundum defuncti voluntatem vellet, percepturum legatum. l. 13. (*d*).

7. Si cui annuum fuerit relictum, sine adjectione summae, nihil videri huic adscriptum, Mela ait: sed est verior Nervae sententia, quod testator praestare solitus fuerat, id videri relictum: si minus, ex dignitate personae (*e*) statui oportebit. l. 14.

8. Javolenus, eum qui rogatus *post decem annos restituere pecuniam*, ante diem restituerat, respondit: si propter capientis personam, quod rem familiarem tueri non posset, in diem fideicommissum relictum probetur, et perdituro ei id haeres ante diem restituisset, nullo modo liberatum esse. Quod si tempus haeredis causa prorogatum esset, ut commodum medii temporis ipse sentiret, liberatum eum intelligi: nam et plus eum praestitisse, quam debuisset (*f*). l. 15.

(c) V. infra n. 11.
(d) V. l. 10 supra.
(e) Legatum incertum valet. V. l. 22 *de alimentis vel cibariis legatis*:
(f) V. l. 3 §. 3 *de usuris*.

9. Legatum ita est : *Attiae donec nubat*, *quinquaginta damnas esto haeres meus dare*; neque adscriptum est, in *annos singulos*: Labeo Trebatius, praesens legatum deberi putat. Sed rectius dicetur, id legatum in annos singulos deberi (*g*). l. 17. V. l. 19. §. 1.

10. *Vini Falerni* (*h*) *quod domi nascetur*, *quotannis in annos singulos binos culeos* (*i*) *haeres meus Attio dato*: etiam pro eo anno quo nihil vini natum est, deberi duos culeos; si modo ex vindemia caeterorum annorum dari possit. l. 17. §. 1. (*k*).

Ex eo vino quod in illo fundo nascetur, *haeres meus amphoras decem quot annis in annos singulos dato* (*l*): quo anno natum non fuisset, ex superiore anno ejus fundi eum numerum amphorarum haeredem daturum, Sabinus existimat: quae sententia, si voluntas non adversetur, mihi quoque placet. l. 13. ff. *de trit. vin. vel ol. leg.* (*m*).

11. Annua his verbis legavit, *Si morarentur cum matre mea*, *quam haeredem ex parte institui*. Quaesitum est an, mortua matre, conditio adposita defecisse videatur, ac per hoc neque cibaria, neque vestiaria his debeantur? Respondit, secundum ea quae proponerentur, deberi (*a*). l. 20.

(g) V. infra n. ult.
(h) Lex 96 *de legatis* 2. Demonstratio.
(i) V. Gotofr. ad ult. §. 1 *de pignoratitia actione*.
(k) V. contra infra l. 5 *de tritico*, *vino*, *oleo legato*.
(l) * *Lex* 8. C. de locato conducto, *habet*: Si sterilitates ubertate aliorum annorum repensatae non probabuntur. Quid si primus annus sterilitatem patiatur? teneturne legatarius expectare secundum, tertium, vel quartum annum, an haeres cogitur vinum aliunde quaerere? Legatarius tenetur expectare.
(m) V. *de legatis* 1, n. 40 infra, et l. 5 *de tritico*, *vino*, *vel oleo legato*.
(a) V. supra n. 6.

Imperator Antoninus Pius libertis Sextiae Basiliae: quamvis verba testamenti ita se habeant, *ut quoad cum Claudio Justo morati essetis, alimenta et vestiarium legata sint*; tamen hanc fuisse defunctae cogitationem interpretor, ut et post mortem Justi eadem vobis praestari voluerit? Respondit, ejusmodi scripturam ita accipi, ut necessitas alimentis praestandis perpetuo maneat. l. 13. §. 1. ff. *de alim. vel cib. legat.* l. 20. in f. *eod.* l. 1. C. *de legat.*

12. Liberto suo ita legavit: *praestari volo Philoni, usque dum vivet, quinquagesimam omnis reditus, quae praediis a colonis vel emptoribus fructus* (b) *ex consuetudine domus meae praestantur*: haeredes praedia vendiderunt, ex quorum reditu quinquagesima relicta est. Quaesitum est, an pretii usurae, quae ex consuetudine in provincia praestarentur, quinquagesima debeatur? Respondit, reditus dumtaxat quinquagesimas legatas (c), licet praedia vendita sunt. l. 21.

13. A liberto, cui fundum legaverat ferentem annua sexaginta, per fideicommissum dederat Pamphilae annua dena. Quaesitum est, si lex falcidia liberto legatum

(b) Id est, redemptoribus fructuum; id est, colonis pro pecunia: nam alii colunt partibus, alii nummis; id est, alii sunt coloni partiarii, alii redemptores nummis. Nota onus alimentorum ex fundo debitorum, ut plurimi putant. intelligitur reale. l. 2 *de alimentis vel cibariis legatis.* Contra reditus ex fundo aliquo promissus intelligitur. Onus poenale nec ad emptorem transit. l. ult. §. 1 *de contrahenda emptione*, et ibi Cujacius.

(c) Cujacius ad l. 21 *de annuis legatis*, ait, quinquagesimam reditus semper deberi ab haerede, non vero à praedio, nec ab emptore praedii. quia illud onus non est reale, nec servitus praedialis; sed obligatio constituta in poenam haeredis. quae non potest egredi personam haeredis, nec in praedia transire.

minuerit, an Pamphilae quoque annuum fideicommissum minutum videatur, cum ex reditu legata sint, qui largitur, etiamsi falcidia partem dimidiam fundi abstulerit, annuam Pamphilae praestationem? Respondit, secundum ea quae proponerentur, non videri minutum: nisi si alia mens testatoris probaretur (*d*). l. 21. §. 1. V. l. 32. §. 4. ff. *ad leg. falc.* (*e*).

14. Pater duos filios aequis ex partibus instituit haeredes, majorem, et minorem, qui etiam impubes erat: et in partem ejus certa praedia reliquit; et cum quatuordecim annos impleverit, certam pecuniam ei legavit, idque fratris ejus fidei commisit, a quo petiit in haec verba, *A te peto, Sei, ut ab annis duodecim aetatis ad studia liberalia fratris tui inferas matri ejus annua tot usque ad annos quatuordecim: eo amplius tributa fratris tui pro censu ejus dependas, donec bona restituas: et ad te reditus praediorum illorum pertineant quoad perveniat frater tuus ad annos quatuordecim.* Quaesitum est, defuncto majore fratre, haerede alio relicto, utrum omnis conditio percipiendi reditus fundorum anniversaria praestetur; et alia quae praestaturus esset, si viveret Sejus, ad haeredem ejus transierint: an vero id omne protinus ad pupillum, et tutores transferri debeat? Respondit, secundum ea quae proponerentur, intelligitur testator quasi cum tutore locutus, ut tempore quo tutela restituenda est, haec quae pro annuis praestari jussisset, percipiendisque fructi-

---

(d) Ratio hujus legis non consistit in qualitate legati, sed in eo quod annuum relictum sit loco alimentorum. V. supra l. 77 §. 1 *de legatis* 2.

(e) V. l. 25 §. 1 Cod.

bus, finiantur. Sed cum major frater morte praeventus est, omnia quae relicta sunt, ad pupillum et tutores ejus confestim post mortem fratris transisse. l. 21. §. ult.

15. Cum quidam decurionibus divisiones dari voluisset die natalis sui, divi Severus et Antoninus rescripserunt, non esse verisimile, testatorem de uno anno sensisse, sed de perpetuo legato. l. 23.

TITULUS II.

De usu et usufructu (et reditu), et habitatione, et operis, per legatum vel fideicommissum datis.

SUMMARIA.

1. *Quousque duret ususfructus municipibus relictus.*
2. *Fideicommissum a legatario usus fructus eo ad legatum non perveniente, ab haerede praestatur.*
3. *Legatarius fundi quo itur ad alium cujus ususfructus alteri legatus est, servitutem praestat.*
4. *Legatum in piam aut publicam causam, quae exitum habere non possit, in similem causam destinatur.*
5. *Fructuarius praestat omnia fructuum onera.*
6. *Legato usufructu domus, et omnium quae in ea sunt, non continentur, quae ibi venalia testator habebat.*
7. *Contra fideicommissum praescribit tertius possessor bonae fidei.*
8. *Immaturos fructus non licet fructuario tollere, nisi plus sit in reditu, velut in olea.*

1. Si ususfructus municipibus legatus erit, quaeritur, quousque in eo usufructu tuendi sint: nam si quis eos perpetuo tuetur, nulla utilitas erit nudae proprietatis, semper abscendente usufructu (*a*). Unde centum annos observandos esse constat, qui finis vitae longissimus esset. l. 8. V. l. 68. *ad legem falcid.* V. s. *de usufr. et quemad.* l. 56.

2. Si ab eo, cui legatus esset ususfructus, fideicommissum fuerit relictum; licet ususfructus ad legatarium non pervenerit, haeres tamen penes quem ususfructus remanet, fideicommissum praestat (*b*). l. 9. (*c*).

3. Qui duos fundos habebat, unum legavit, et alterius fundi usumfructum alii legavit. Quaero, si fructuarius ad fundum aliunde viam non habeat, quam per illum fundum qui legatus est, an fructuario servitus debeatur? Respondit, quemadmodum si in haereditate esset fundus, per quem fructuario potest praestari via, secundum voluntatem defuncti videtur id exigere ab haerede (*d*): ita et in hac specie non aliter conceden-

---

(a) D. Domat putat alibi hunc usumfructum non debere durare vulgo ultra 30 annos. D. autem de la Vigne putat dari debere a civitate hominem viventem et morientem, quo quidem superstite civitas usufructu gaudeat.

(b) Quid si forte secundum legatum excedat primum. Sufficiet haeredi si primum legatum cedat secundo legatario, et tunc liberabitur, quia secundum legatum est limitativum. Revera si primus legatarius legatum suum peteret, non teneretur secundo legatariu ultra quantitatem primi legati. At repudiatio primi legati non debet prodesse secundo legatario.

(c) L. 28. *de legatis* 2. Augeard, t. 2. arret 42.

(d) * *Lex* 44. §. *ultim.* de legatis 2 *ait*, *quod* haeres debet aditum a legatario redimere et praestare fructuario. *Lex* 1 §. 3 *et* 4 si ususfructus petetur, *ait*: : Utrum autem aditus tantum et iter, an vero et via debeatur fructuario. Puto prout ususfructus perceptio desiderat

dum esse legatario fundum vindicare, nisi prius jus transeundi usufructuario praestet; ut haec forma in agris servetur, quae vivo testatore obtinuerit, sive donec ususfructus permanet, sive dum ad suam proprietatem redierit. l. 15. §. 1.

4. Legatum civitati relictum est, *ut ex reditibus quot annis in ea civitate, memoriae conservandae defuncti gratia spectaculum celebretur*, quod illic celebrari non licet. Quaero, quid de legato existimes? Modestinus respondit: cum testator spectaculum edi voluerit in civitate, sed tale, quod ibi celebrari non licet, iniquum esse, hanc quantitatem quam in spectaculum defunctus destinaverit, lucro haeredum cedere: igitur adhibitis haeredibus, et primoribus civitatis, dispiciendum est, in quam rem converti debeat fideicommissum, ut memoria testatoris alio (*e*) et licito genere celebretur. l. 16.

5. Quaero, si ususfructus fundi legatus est, et eidem fundo indictiones temporariae indictae sint, quid juris sit? Paulus respondit, idem juris esse, et in his speciebus, quae postea indicuntur, quod in vectigalibus dependendis responsum est: ideoque hoc onus ad fructuarium pertinet (*f*). l. 28.

6. *Uxori usumfructum domuum, et omnium rerum quae in his omnibus erant, excepto argento, legaverat; item*

---

hoc ei praestandum. Et puto, eas servitutes haeredem praestare debere sine quibus omnino uti non potest. Sed si cum aliquo incommodo utatur, non esse praestandas. *Lex ultima* de servitutibus praediorum, *ait*: Usufructuarium debere haeredi aditum praestare, si semper aditus fuit per domum cujus habitatio relicta est.

(e) Lex 4 *de administratione rerum ad civitates pertinentium.*

(f) L. 27 §. 3 *de usufructu.*

usumfructum fundorum et calinarum. Quaesitum est, an lanae cujusque coloris, mercis causa paratae; item purpurae, quae in domibus erant, ususfructus ei deberetur? Respondit, excepto argento (*a*), et his quae mercis causa comparata sunt (*b*), ceterorum omnium usumfructum legatariam habere. l. 32. §. 2.

7. Sticho testamento manumisso fundi ususfructus erat legatus, et cum is uti fruique desiisset, fidei haeredum testator commisit, uti eum fundum darent Lucio Titio: sed Stichus testamento suo ejusdem fundi proprietatem nepotibus suis legavit; et haeredes Stichi ex testamento ejus legatariis nepotibus eum fundum tradiderunt. Quaesitum est, cum nepotes legatarii ignoraverint conditionem fundi suprascripti priore testamento datam; et plus quam tempore statuto possederint, an eum fundum sibi adquisierit? Respondit, secundum ea quae proponerentur, legatarios sibi adquisisse. l. 36. (*c*).

8. In fructu id esse intelligitur, quod ad usum hominis inductum est: neque enim maturitas naturalis hic spectanda est, sed id tempus, quo magis colono dominove eum fructum tollere expedit. Itaque cum olea immatura plus habeat reditus, quam si matura legatur, non potest videri, si immatura lecta est, in fructu non esse. l. 42.

(a) Uno excepto, quaedam adhuc excepta videntur.
(b) V. infra *de instructo vel instrumento legato.*
(c) V. l. 70 in fine *ad Trebell.* et l. ult. in fine *de legatis* 2.

TITULUS III.

De servitute legata.

SUMMARIA.

1. *Binis aedibus duobus separatim legatis, paries medius communis erit.*
2. *Jus personale transeundi per domum non facit servitutem nec transit ad haeredem, licet per uxorem marito communicetur.*

1. Si is qui duas aedes habebat, unas mihi, alteras tibi legavit; et medius paries, qui utrasque aedes distinguat, intervenit; eo jure eum communem nobis esse existimo. l. 4.

2. Pater filiae domum legavit, *eique per domos haereditarias jus transeundi praestari voluit.* Si filia domum suam habitet, viro quoque jus transeundi praestabitur(*d*): alioquin filiae praestari non videbitur. Quod si quis non usum transeundi personae datum (*e*), sed legatum servitutis esse plenum intelligat; tantumdem juris ad haeredem quoque transmittetur: quod hic nequaquam admittendum est: ne quod affectu filiae datum est, et hoc ad exteros ejus haeredes transire videatur. l. 6 (*f*).

(d) Ne ei matrimonio carendum foret. l. 4 §. 1 *de usu et usufructu (et reditu) et habitatione.*

(e) V. l. 8 §. 3 *de liberatione legati.*

(f) l. 34 §. 4 *de legatis* 1.

TITULUS IV.

De dote praelegata.

SUMMARIA.

1 *Legatum vice dotis valet, licet dos nulla fuerit.*

1. Ei, quae dotem nullam habebat, vir sic legaverat: *quanta pecunia dotis nomine, et reliqua, pro ea quinquaginta haeres dato* (g): deberi ei legatum Ofilius, Cascellius, item et Servii auditores retulerunt, perinde habendum esse, ac si servus alicui mortuus, aut pro eo centum legata essent: quod verum est, quia his verbis non dos ipsa, sed pro dote pecunia legata videtur. l. 6. §. 1.

TITULUS V.

De optione vel electione legata.

SUMMARIA.

1. *Quem velit optat cui legata est optio.*
2. *Exhibenda singula ex quibus eligendus.*
3 *Qui electionem habet, intra tempus a judice praefitum eligere debet.*
4. *Inutiliter fit optio ante aditam haereditatem.*
5. *Data Titio duorum electione, caeteris Maevio legatis, Titio non eligente, omnes habebit Maevius.*
6. *Legatarius decedens post diem cedentem, transmittit ad haeredem jus eligendi.*
7. *Qui semel elegit non potest variare.*

(g) Lex 75 §. 1 *de legatis* 1.

1. Quoties servi electio vel optio datur, legatarius optabit quem velit. Sed et homine generaliter legato, arbitrium eligendi quem acciperet, ad legatarium pertinet. l. 2. d. l. §. 1. V. l. 20. *de leg.* 1. l. 37. *eod.* d. l. 37. §. 1. l. 39. §. 6. *eod.* (1)

2. Scyphi electione data, si non omnibus scyphis exhibitis legatarius elegisset, integram ei optionem manere placet; nisi ex his duntaxat eligere voluisset, cum sciret et alios esse. Nec solum si fraude haeredis, sed etiam si alia qualibet causa id evenerit. l. 4. et 5.

3. Mancipiorum electio legata est: ne venditio quandoque eligente legatario interpelletur, decernere debet praetor, nisi intra tempus ab ipso praefinitum elegisset, actionem legatorum ei non competere. l. 6. et 8.

4. Optione legata, placet non posse ante aditam haereditatem optari, et nihil agi si optaretur. l. 16.

5. Cum optio duorum servorum Titio data sit, reliqui Maevio legati sint: cessante primo in electione, reliquorum appellatione omnes ad Maevium pertinent (*a*) l. 17.

6. *Illud aut illud*, *utrum elegerit legatarius*: nullo a legatario electo, decedente eo post diem legati cedentem, ad haeredem transmitti placuit. l. 19.

7. Apud Aufidium libro primo rescriptum est: cum ita legatum est, *vestimenta*, *quae volet*, *triclinaria sumito*, *sibique habeto*: si is dixisset, quae vellet (*b*),

---

(1) Concorda. (*Leggi civ. art.* 976).

(a) V. l. 160 *de verborum significatione*: nam tentat si non optet, omnes ad Maevium pertinere.

(b) V. l. 112 *de verborum obligationibus.*

deinde antequam ea sumeret, alia se velle dixisset; mutare voluntatem eum non posse, ut alia sumeret (c): quia omne jus legati prima testatione, qua sumere se dixisset, consumpsit: quoniam res continuo ejus fit, simul ac si dixerit eam sumere (d). l. 20. (e). (2)

TITULUS VI.

De tritico, vino, vel oleo legato.

SUMMARIA.

1. *Vinum legatum debetur, etsi non sit in haereditate.*
2. *Oleum legatum, cujus volet generis, praestabit haeres.*
3. *Legata certa quantitate ex fundo nascitura, id tantum debebitur quod natum erit.*
4. *Vino legato accedunt vasa quae non ad perpetuum usum pertinent.*
5. *Si non avehat legatarius vinum legatum, damnum haeredis praestabit, sed non debet haeres vinum effundere.*

1. Si cui vinum sit legatum (f) centum amphorarum, cum nullum vinum reliquisset; vinum haeredem empturum et praestaturum. l. 3.

(c) * *Lex* 8 de collatione, *habet.* Nonnunquam praetor variantem non repellit, et convenientiam mutantis non aspernatur.
(d) V. l. 84 §. 9 *de legatis* 1.
(e) V. l. 5 *de legatis* 1.
(2) » Quando il testatore abbia accordato la scelta al legatario, fatta la scelta non vi sarà luogo a pentimento. » (*Leggi civ. art.* 976).
(f) V. l. 71 *de legatis* 1.

2. Cum certum pondus olei, non adiecta qualitate, legatur; non solet quaeri, cujus generis oleo uti solitus fuerit testator; aut cujus generis oleum istius regionis homines in usu habeant. Et ideo liberum est haeredi, cujus velit generis oleum legatario solvere. l. 4.

3. Cum certus numerus (g) amphorarum vini legatus esset ex eo quod in fundo Semproniano natum esset, et minus natum esset, non amplius deberi placuit: et quasi taxationis vicem obtinere haec verba, *quod natum erit* (h). l. 5.

4. Cui vinum haeres dare damnatus est, quod in amphoris et cadis diffusum est, dari debet; etiamsi vasorum mentio facta non est (i). l. 6.

Vino legato, ea demum vasa sequuntur, quae ita diffusa sunt, ut non ad perpetuum usum (vasa) reservarentur, veluti amphorae et cadi. l. 14.

Nam quod liquidae materiae sit, quia per se esse non potest. l. 4. ff. *de pen. leg.*

Si tradat haeres vasa cum vino, nec expressim legata sint, sed tot vini mensurae, cur vino consumpto, non restituet vasa legatarius, si adhuc usi sint? V. l. 15.

5. Si haeres damnatus sit dare vinum quod in doliis esset, et per legatarium stetit quominus accipiat, periculose haeredem facturum, si id vinum effundat: sed legatarium petentem vinum ab haerede, doli mali exceptione placuit summoveri, si non praestet id quod propter moram ejus damnum passus sit haeres. l. 8.

(g) Taxatio.
(h) V. contra *de annuis legatis* supra n. 10.
(i) Contra de bibliothecis seu armariis librorum, quando libri sunt legati. l. *de legatis*.

TITULUS VII.

De instructo vel instrumento legato.

SUMMARIA.

1. *Quod accedit legato, si id revocetur, intercidit.*
2. *Dotes predii, cum non instructus legatur, ei non accedunt.*
3. *Instrumentum fundi est apparatus rerum quibus exercetur possessio.*
4. *Qui postquam plura generaliter legavit quaedam singulariter adjicit, legatum non minuit nisi contrarium appareat.*
5. *Si affinia affinibus conjungantur, proceditur in infinitum. Qui legato contineatur, a volontate testatoris maxime pendet, et praesumptione ex usu regionis.*
6. *Fundo legato accedunt quae adfixa sunt.*

1. Sive *cum instrumento* fundus legatus est, sive *instructus*, duo legata intelliguntur. Fundo *cum instrumento* legato (*a*) et alienato, instrumentum non vindicabitur ex sententia defuncti. l. 1. d. l. §. 1.

2. Dotes praediorum, quae graeco vocabulo ἐγκτήσεις appellatur, cum non instructa legantur, legatario non praestantur. l. 2. §. 1. (*b*).

3. Instrumentum est apparatus rerum diutius man-

(a) Lex 1, 2 *de peculio legato.*
(b) V. l. 93 §. 4. *de legatis* 3. V. l. ult. *de supellectile legata.*

surarum (c) sine quibus exerceri nequiret possessio. l. 11. Vid. l. 18. §. 12.

Praediis instructis legatis, quamvis ex fructibus vinum et oleum in eodem fundo habuit, tamen, si id venale fuit (d); item ea quae ad tempus propter incursionem latronum tutelae causa in praedium translata sunt (e); legato non cedere juris auctoribus placuit. Vinum vero quod in apothecis fuit, si ideo illic habuit, ut cum in praedium venisset materfamilias eo uteretur, legato cedere ignorare non debes. l. 1. C. *de verb. et rer. sign.* l. 2. *eod.*

4. Si quis *fundum ita ut instructus est*, legaverit, et adjecerit, *cum supellectili, vel mancipiis, vel una aliqua re*, quae nominatim expressa non erat, utrum minuit legatum adjiciendo speciem, an vero non, quaeritur? Et Papinianus respondit, non videri minutum, sed potius ex abundanti adjectum (f). l. 12. §. 46.

Cui fundum instructum legaverat, nominatim mancipia legavit: quaesitum est an reliqua mancipia quae non nominasset, instrumento cederent? Cassius ait, responsum esse, tametsi mancipia instructi fundi sint, tamen videri eos solos legatos esse qui nominati essent, quod appareret non intellexisse patremfamilias instrumento quoque servos adnumeratos esse. l. 18. §. 11.

Legata supellectili, cum species ex abundanti per imperitiam enumerentur, generali legato non deroga-

---

(c) V. hic l. 9 ex qua colligitur, gregem fundo addictum, esse quid immobile.

(d) V. l. 32 §. 2 *de usufructu leg.*

(e) V. supra *de legatis* 3 n. 15 l. 86.

(f) Et ita species hic non derogat generi. l. 99. §. ult. *de legatis* 3.

tur : si tamen species certi numeri demonstratae fuerint, modus generi datus in his speciebus intelligitur. l. 9. inf. *de supel. leg.*

5. In infinitum primis quibusque proxima copulata procedunt. Optimum ergo esse Pedius ait, non propriam verborum significationem scrutari, sed in primis, quid testator demonstrare voluerit; deinde in qua praesumptione sunt qui in quaque regione commorantur. l. 18. §. 3. in fin. (g).

6. Cum fundus sine instrumento legatus sit, dolia, molae olivariae, et praelum, et quaecumque infixa inaedificataque sunt, fundo legato continentur. l. 21 (h). (1)

(g) V. l. 3 §. 5 *de suppellectile legata.* l. 7 §. 2 *eod.*

(h) V. l. 13 §. ult. l. 14 15 *de actionibus empti et venditi.*

(1) » La cosa legata sarà rilasciata cogli accessorj necessarj. » (*Leg. civ. art.* 972).

TITULUS VIII.

De peculio legato.

SUMMARIA.

1. *Si res legata perierit, non debentur legatario quae accidebant.*
2. *Ordo scripturae significatorum ordinem non inducit nisi sit alia mens testatoris.*

1. Servo legato cum peculio, et alienato vel manumisso, vel mortuo, legatum etiam peculii extinguitur. Nam quae accessionum locum obtinent, extinguuntur, cum principales res peremptae fuerint (*a*). l. 1. et 2.

2. In conjunctionibus ordinem nullum esse, neque quicquam interesse, utrum eorum primum diceretur, aut scriberetur. l. 14. V. l. 34. ff. *de usuf. et quemadm.* (*b*).

(a) Lex 1 *de instructo, vel instrumento legato.*
(b) Lex 6 *de solutionibus.*

TITULUS IX.

De penu legata.

SUMMARIA.

1. *Urbis nomine aedificia continentia veniunt.*

1. Urbes fere omnes muro tenus finiri, Romam continentibus, et urbem Romam aeque continentibus. l. 4. §. 4. in fin. l. 87. ff. *de verb. sign.* (c).

TITULUS X.

De supellectile legata.

SUMMARIA.

1. *Verbis standum ubi nulla est ambiguitas.*
2. *Nec fundo instrumentum, nec domus supellex accedit, nisi id expressum a testatore fuerit.*

1. Servius fatetur, sententiam ejus qui legaverit, aspici oportere (d), in quam rationem ea solitus sit referre. Verum si ea, de quibus non ambigeretur, quin in alieno genere essent (ut puta escarium argentum, aut penulas et togas) supellectili quis adscribere solitus sit, non idcirco existimari oportere, suppellectili legata.

(c) Quae ait Romam non murotenus existimari. l. 2 *de verborum significatione*. * Lex 4 ait: Nam quod liquidae materiae sit quia per se esse non potest., rapit secum in accessionis locum, id sine quo esse non potest. l. 19 §. 13 et ult. *de auro, argento, mundo.*

(d) V. l. 91 §. 3 *de legatis*. 3.

ea quoque contineri : non enim ex opinionibus singulorum , sed ex communi usu nomina exaudiri debere. Id Tubero parum sibi liquere ait : nam quorsum nomina (inquit) nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis ? Equidem non arbitror quemquam dicere , quod non sentiret , ut maxime nomine usus sit , quo id appellari solet : nam vocis ministerio utimur (e). Caeterum nemo existimandus est dixisse , quod non mente agitaverit. Sed etsi magnopere me *Tuberonis* et ratio et auctoritas movet , non tamen a *Servio* dissentio , non videri quemquam dixisse , cujus non suo nomine usus sit : nam etsi *prior atque potentior est , quam vox , mens dicentis* (f) , *tamen nemo sine voce dixisse existimatur* (g). l. 7. §. 2.

2. Fundo legato , instrumentum ejus non aliter legato cedit , nisi specialiter id expressum sit. Nam et domo legata , neque instrumentum ejus , neque suppellex aliter legato cedit , quam si idipsum nominatim expressum a testatore fuerit. l. ult. (h).

(e) V. l. 4 *de legatis* 1.

(f) * *Lex* 3 §. 5 *habet* : Hodie propter usum imperitorum error jus facit. l. 18 §. 3 *de instructo vel instrumento legato*. V. Anton. Fabrum , de jurisprudentia Papiniani , tit. 1 principio 1 consultatione prima , ubi ait in h. leg. 3 §. 5 , errorem non facere jus , sed voluntatem testatoris , et consuetudinem loquendi. Et haec verba suspecta esse quasi addita. In l. Barbarius 3 *de officio praetoris*. Errorem non facere jus , sed publicam utilitatem. In l. 3. *de senatusconsulto Macedoniano*. Errorem non facere jus , sed bonam fidem creditoris qui communem caeterorum opinionem habebat.

(g) Neque quis dicit quod vult , quia id non loquitur. l. 3 *de rebus dubiis*.

(h) V. l. 93 §. 4 *de legatis* 3 ; l. 2 §. 1 *de instructo vel instrumento legato*. l. 18 §. 12. *eod.*

LIBER XXXIV.

TITULUS I.

De alimentis vel cibariis legatis.

SUMMARIA.

1. *Ad victum necessaria alimentis continentur, non quae ad disciplinam pertinent.*
2. *Alimenta praeteriti temporis praestat haeres.*
3. *Alimenta legata, in vitam debentur, nisi aliter sensisse testatorem appareat.*
4. *Alimenta usque ad pubertatem legata, usque ad plenam pubertatem debentur.*
5. *Si alimenta quae vivus praestabat legaverit testator, et varie praestitisset, novissimi temporis ratio habenda.*
6. *Exemplum societatis bonorum inter virum et uxorem.*
7. *Alimenta legata, pro facultatibus et affectu defuncti moderanda.*

1. Legatis alimentis, cibaria, et vestitus, et habitatio debebitur, quia sine his ali corpus non potest. Caetera quae ad disciplinam pertinent, legato non continentur; nisi aliud testatorem sensisse probetur. l. 6. et l. 7. l. ult. *eod.* (*a*).

(a) V. l. 43 44 45 *de verborum significatione.*

2. Verbis fideicommissi pure manumisso, praeteriti quoque temporis alimenta reddenda sunt (*b*), quamvis tardius libertatem recuperaverit, nec haeres moram libertati fecerit: tunc enim explorari moram oportet, cum de usuris fideicommissi quaeritur, non de ipsis fideicommissis (c). l. 10. §. 1. V. 18. §. 1.

3. Mela ait, si puero vel puellae alimenta relinquantur, usque ad pubertatem deberi; sed hoc verum non est. Tamdiu enim debebuntur, donec testator voluit: aut si non patet quid sentiat, per totum tempus vitae debebuntur. l. 14.

4. Certe si *usque ad pubertatem* alimenta relinquantur (*d*), si quis exemplum alimentorum quae dudum pueris et puellis dabantur, velit sequi, sciat Hadrianum constituisse, ut pueri usque ad decimum octavum, puellae usque ad quartum decimum annum alantur: et hanc formam ab Hadriano datam observandam esse imperator noster rescripsit. Sed etsi generaliter pubertas non sic definiatur, tamen pietatis intuitu in sola specie alimentorum hoc tempus aetatis esse observandum non est incivile. l. 14. §. 1.

5. Sed si alimenta *quae vivus praestabat*, reliquerit, ea demum praestabuntur, quae mortis tempore praestare solitus erat. Quare si forte varie praestiterit, ejus tamen temporis praestatio spectabitur, quod proximum mortis ejus fuit. Quid ergo si cum testaretur, minus

(b) Pensiones non persolutae legatorum de alimentis debentur a die obitus.

(c) L. 12. §. 3. *quando dies legatorum vel fideicommissorum cedat.* n. 12 l. 20 *eod.*

(d) Plena pubertas; id est, decem et octo anni. l. 40 §. 1. *de adoptionibus.*

praestabat, plus mortis tempore, vel contra? Adhuc erit dicendum, eam praestationem sequendam quae novissima fuit. l. 14. §. 2.

6. Qui societatem omnium bonorum suorum cum uxore sua per annos amplius quadraginta habuit, testamento eandem uxorem, et nepotem ex filio, aequis partibus haeredes reliquit, et ita cavit: *item libertis meis, quos vivus manumisi, ea quae praestabam*. Quaesitum est, an et qui eo tempore quo societas inter eos permansit, manumissi ab utrisque, et communes liberti facti sunt, ea quae a vivente percipiebant, solida ex fideicommisso petere possint (*e*)? Respondit, non amplius quam quod vir pro sua parte praestabant, deberi. l. 16. §. ult.

7. Cum alimenta per fideicommissum relicta sunt, non adjecta quantitate (*f*), ante omnia inspiciendum est, quae defunctus solitus fuerat ei praestare; deinde quid caeteris ejusdem ordinis reliquerit: si neutrum apparuerit, tum ex facultatibus defuncti, et caritate ejus cui fideicommissum datum erit (*g*) modus statui debebit. l. 21. (1)

(e) Solidum apud nos deberetur ab haeredibus mariti, quia maritus in communione solidum praestabat utpote dominus communionis.

(f) Legatum incertum. V. l. 14 *de annuis legatis*.

(g) Lex 5 §. 17 *de agnoscendis et alendis liberis*.

(1) » Gli alimenti si determinano a proporzione del bisogno di chi li domanda, e delle sostanze di chi li dee somministrare. » (*Leg. civ. art.* 198).

TITULUS II.

De auro, argento (*), mundo, ornamentis, unguentis, veste vel vestimentis, et statuis legatis.

S U M M A R I A.

1. *Haec verba (vestem meam) ad tempus testamenti referuntur, nisi aliud appareat.*
2. *Pro auri pondere pretium solvi potest.*
3. *Quod alterius rei ornandae causa adhibetur ei accedit, licet ea pretiosius.*

1. (a) Si ita esset legatum: *vestem meam* (b), *argentum meum damnas esto dare*; id legatum videtur quod testamenti tempore fuisset; quia praesens tempus semper intelligeretur, si aliud comprehensum non esset. Nam cum dicit, *vestem meam*, *argentum meum*, hac demonstratione, *meum*, praesens non futurum tempus ostendit. l. 7. (c).

2. Cum certum auri vel argenti pondus legatum est;

(*) Id est, argento escali, non vero pecunia numerata.

(a) Lex 7 §. 1 *de jure codicillorum.*

(b) * Lex 6 h. t. in fine *habet*: Lucius Titius testamento ita scripsit: Haeredem meum volo ut in patria mea faciat porticum publicam, in qua poni volo imagines, argentum, marmora. Quaero an legatum valeat? Marcellus respondit valere, et operis caeterorumque quae ibi testator poni voluerit, legatum ad patriam pertinere. Intelligi enim potuit aliquod civitati accedere ornamentum. V. l. 41 *de acquirendo rerum dominio.* l. 29 *de rebus auctoritate judicis.*

(c) V. c. l. 28 *de instructo vel instrumento legato.* l. 2 *de legatis* 2. Ratio discriminis quod in hac lege 7 *de auro* legatum non est capax incrementi vel decrementi, secus in aliis legibus.

si non species designata sit; non materia, sed pretium praesentis temporis praestari debet (d). l. 9.

3. Semper cum quaerimus quid, cui cedat; illud spectamus, quid cujus rei ornandae causa adhibetur, ut accessio cedat principali. Cedent igitur gemmae phialis vel lancibus inclusae auro argentove. l. 19. §. 13. V. l. 6. §. 1. *eod.* (e).

Quoniam hoc spectamus, quae res cujus rei ornandae causa fuerit adhibita, non quae sit pretiosior. d. l. 19. §. ult. in fin.

Utra autem utrius materiae sit accessio, visu atque usu rei (f), consuetudinis patrisfamilias aestimandum est. l. 29. §. 1.

(d) Testator legat 1000 aureos, singuli valent decem carolenos tempore testamenti, octo tempore mortis: *Quid juris?*

(e) Lex 4. *de penu legata.*

(f) V. l. 11. Ubi ususfructus legatus ei qui fideicommisso gravatus est rapit secum proprietatem.

TITULUS III.

De liberatione legata.

SUMMARIA.

1. *Debitum recte legatur.*
2. *Si decedens chirographum debitori restituendum post mortem suam Titio dederit, eo tradito, is liberabitur.*
3. *Conreo liberato non liberatur conreus, nisi socii sint, et utriusque contemplatione legatum sit.*
4. *Legatum debiti a legatario evanescit, si testator illud exegit.*
5. *Si ad certum tempus petere vetuerit testator, a debitore usurae non debebuntur.*
6. *Legatum personae legatarii cohaerens non transit ad ejus haeredem.*
7. *Si pupillo tutor legavit ne tutelae agat adversus haeredes, tutelae egenti legatum non debebitur.*
8. *Legatum patri largius interpretandum propter naturalem affectum.*

1. Omnibus debitoribus ea quae debent recte legantur: licet domini eorum sint. l. 1.

2. Si quis decedens, chirographum Seii Titio dederit, *ut post mortem suam Seio det, aut si convaluisset, sibi redderet*, deinde Titius, defuncto donatore, Seio dederit, et haeres ejus petat debitum; Seius doli exce-

ptionem habeat (*g*). l. 3. §. 2. V. l. 18. *de mortis causa donationibus*. l. 2. §. 6. *de donationibus*.

Advertendum ne id fiat in fraudem creditorum. V. l. 1. *quae in fraud. cred.* §. 2.

3. Si cum alio sim debitor, puta duo rei fuimus promittendi, et mihi soli testator consultum voluit; agendo consequar, non ut accepto liberer, nec etiam correns meus liberetur contra testatoris voluntatem, sed pacto liberabor. Sed quid, si socii fuimus (*a*)? Videamus, ne per acceptilationem debeam liberari: alioquin, dum a conreo meo petitur, ego inquietor. Et ita Julianus libro trigesimosecundo digestorum scripsit: si quidem socii non simus, pacto me debere liberari; si socii, per acceptilationem. Consequenter quaeritur (*b*), an et ille socius pro legatario habeatur, cujus nomen in testamento scriptum non est; licet commodum ex testamento ad utrumque pertineat, si socii sunt? Et est verum, non solum eum, cujus nomen in testamento scriptum est, legatarium habendum; verum eum quoque, qui non est scriptus, si et ejus contemplatione liberatio relicta esset (*c*) Utrique autem legatarii habentur, et in hoc casu. l. 3. §. 3. 4. et 5.

(g) Quid: si id esset chirographum constitutionis proprium creditoris, posset ne illud debitori donare ultra quatuor ex quinque partibus in ultimo suo morbo? Distinguendum ut lex 2 *de donationibus causa mortis*, utrum donator cautionem debitori reddiderit, ut statim fiat accipientis, vel ut non fiat accipientis nisi post mortem.

(a) V. l. 10 *de duobus reis*. l. 16 *de acceptilatione*.

(b) Nota. Legatum hocce est validum usque ad concurrentiam interesse, quod legatarius potest in eo habere. Sic legatum est pro toto bonum, si legatarius est solus debitor; neq. hilum valet, si legatarius est mera cautio; legatum tunc nil praestabit, nisi a cautione liberare.

(c) V. l. 17. C. *de collatione*. l. 71 §. 3: *de conditionibus et demonstrationibus*.

Titia, quae duos tutores habuerat, ita cavit: *Rationem tutelae meae, quam egit Publius Maevius cum Lucio Titio, reposci ab eo nolo* (*d*). Quaeritur, an si qua pecunia apud eum ex tutela remansit (*e*), peti ab eo possit? Respondit, nihil proponi, cur non (*f*) pecunia, quae pupillae esset, et apud tutorem remaneret, legata videretur. l. 31. §. 2.

Item (*g*), quaeritur, an contutor liberatus videretur? Respondit, contutorem non liberari. l. 31. §. 3.

4. Liberatio autem debitori legata ita demum effectum habet, si non fuerit exactum id a debitore, dum vivat testator. Caeterum, si exactum est, evanescit legatum. l. 7. §. 4.

5. Illud videndum est, an ejus temporis, intra quod petere haeres vetitus sit, vel usuras (*h*), vel poenas petere possit? Et priscus Neratius existimabat, committere eum adversus testamentum, si petiisset: quod verum est. l. 8. §. 2.

6. Quoties cohaeret personae id quod legatur, veluti personalis servitus, ad haeredem ejus non transit (*i*): si non cohaeret, transit. l. 8. §. 3. in f. (*k*).

(d) V. infra l. 28 §. 3.

(e) Valde differunt legatum rationum reddendarum et legatum reddendi superflui ex tutela.

(f) Cujacius expungit particulam *non*. Ratio quia legatum rationis non reddendae non exonerat a reliquo reddendo. V. l. 5 §. 7 *de administratione et periculo tutorum*. l. 119 *de legatis* 1.

(g) Hic versic. est paragraphus. Contutor tenetur et rationes reddere et reliquum solvere.

(h) Nota, non distinguit ista lex utrum usurae currerent vivo testatore.

(i) Lex 39 §. 4 *de legatis* 1.

(k) V. l. 6 *de servitute legata*.

7. Tutor decedens, aliis haeredibus scriptis, pupillo suo, cujus tutelam gessit, tertiam partem bonorum dari voluit, *si haeredibus suis tutelae causa controversiam non fecerit, sed eo nomine omnes liberaverit*; pupillus legatum protulit, et postea nihilominus petit quicquid ex distractione aliave causa ad tutorem suum, ex tutela pervenerit. Quaero, an verbis testamenti ab his exactionibus excludatur? Respondit, si, priusquam conditioni pareret, fideicommissum percepisset, et pergeret petere id, in quo contra conditionem faceret, doli mali exceptionem obstaturam: nisi paratus esset, quod ex causa fideicommissi percepisset, reddere; quod ei aetatis beneficio indulgendum est. l. 26.

8. Titius testamento facto, et filiis haeredibus institutis, de patre suo tutore quandam facto ita locutus est: *Seium patrem meum liberatum esse volo ab actione tutelae.* Quaero, haec verba quatenus accipi debent, id est, an pecunias quas vel ex venditionibus rerum factis, aut ex nominibus exactis in suos usus convertit, vel nomine suo foeneravit, filiis et haeredibus testatoris nepotibus suis debeat reddere? Respondit, eum cujus notio est, aestimaturum. *Praesumptio enim propter naturalem affectum facit, omnia patri videri concessa* (*a*): nisi aliud sensisse testatorem ab haeredibus ejus approbetur. l. 28. §. 3. (*b*).

(a) Nota, quia administratio patris debet esse penitus impunita. l. 6. §. 2. C. *de bonis quae liber.*
(b) V. l. ult. §. 2, 3 supra, n. 3.

TITULUS IV.

De adimendis, vel transferendis legatis vel fideicommissis (*).

SUMMARIA.

1. *Si non appareat cui duorum ejusdem nominis legatum sit, neutri legatum est. Idem in ademptione et neutri ademptum.*
2. *Inimicitiis ademptum videtur legatum nisi in amicitiam redierint: non levi offensa.*
3. *Translatione a primo ad secundum, legatum primo adimitur, licet secundus vivo testatore moriatur.*
4. *Si legatum purum, sub conditione adimatur, mortuo pendente conditione legatario, quamvis ea defecerit, legatum non transit ad haeredem legatarii. Conditionale legatum fit purum, si sub conditione adimatur.*
5. *Posterior scriptura priori derogat.*
6. *Donatio rei legatae, vel ejus partis etsi ad effectum non perducatur, legatum extinguit aut minuit.*
7. *Ut indigno aufertur legatum ei qui testatorem accusavit, quamvis non sit ademptum et inanis fuerit accusatio.*

1. Si duobus Titiis separatim legaverit, et uni ademerit, nec appareat cui ademptum sit, utrique legatum debetur: quemadmodum et in dando, si non ap-

(*) Vide idem dicendum in casu ademptionis, ac si uni duntaxat ab initio legatum esset. Arg. l. 10 infra eodem.

pareat, cui datum sit, dicemus neutri legatum (c). l. 3. §. 7. (d).

2. Non solum autem legata, sed et fideicommissa adimi possunt: et quidem nuda voluntate. Unde quaeritur, an etiam inimicitiis interpositis fideicommissum non debeatur? Et si quidem capitales, vel gravissimae (e) inimicitiae intercesserint, ademptum videri quod relictum est: sin autem levis offensa, manet fideicommissum. Secundum haec et in legato tractamus, doli exceptione opposita. Quod si iterum in amicitiam redierunt, et poenituit testatorem prioris offensae, legatum vel fideicommissum relictum redintegratur. Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitae supremum exitum (f). l. 3. §. ult. et l. 4. et 22. V. l. 9. ff. *de his quae ut indign.* auf. d. l. §. 1.

3. Si vivo testatore mortuus fuerit is in quem translatum legatum fuerit, nihilo magis ad eum, a quo translatum fuerit, pertinebit. l. 8. (g).

4. Si legatum pure datum Titio, adimatur sub conditione, et pendente conditione Titius decesserit;

(c) Contra puto si alterum legatum adimatur ex duobus legatis, unicum tantum deberi, quia haeres non debet onerari duobus legatis ultra voluntatem testatoris, sed scindi debet legatum inter duos Titios. Arg. l. 40 *de haeredibus instituendis*; et ita scinditur jus primogeniturae, ubi ignoratur quis prior editus sit. Contra, cum unum tantum legatum est, neuter probare debet se fuisse in intentione defuncti.

(d) V. l. 62 § 1 *de haeredibus instituendis.*

(e) Nota licet injuria ab ipso testatore veniat, et nihil imputandum sit legatario, tamen revocabitur legatum, quia legatarius voluntate deficitur, et ista revocatio est effectus legitimus causae illegitimae.

(f) V. n. 7.

(g) V. l. 24 §. 1 infr. l. 18.

quamvis conditio defecerit, ad haeredem Titii legatum non pertinebit: nam legatum cum sub conditione adimitur, perinde est, ac si sub contraria conditione datum fuisset. l. 10.

Quod pure datum est, si sub conditione adimatur, quasi sub conditione legatum habetur. l. 6. ff. *quand. dies legat ced.*

5. Nihil prohibet, priorem scripturam posteriore corrigere, commutare, rescindere (h). l. 17.

6. Rem legatam si testator vivus alii donaverit, omnimodo extinguitur legatum. Nec distinguimus utrum propter necessitatem rei familiaris, an mera voluntate donaverit: ut si necessitate donaverit, legatum debeatur; si nuda voluntate, non debeatur: haec enim distinctio in donantis munificentiam non cadit, cum nemo in necessitatibus liberalis existat (i). l. 18. V. s. *de legat.* 3. l. 11. §. 12.

Pater hortos instructos filiae legavit: postea quaedam ex mancipiis hortorum uxori donavit (a): sive donationes confirmavit, sive non confirmavit, posterior voluntas filiae legato potior erit. Sed etsi non valeat donatio, tamen minuisse filiae legatum pater intelligitur. l. 24. §. 1.

7. Seja testamento suo legavit auri pondo quinque: Titius accusavit eam quod patrem suum mandasset interficiendum: Seja post institutam accusationem codicillos confecit, nec ademit Titio privigno legatum; et

(h) Clausulae derogatoriae erant incognitae.
(i) Nemo liberalis, nisi liberatus. V. l. 8.
(a) V. l. 11. C. *de legatis.*

ante finem accusationis decessit (*b*). Acta causa, pronunciatum est, patrem Titii scelere Sejae non interceptum. Quaero, cum codicillis legatum quod testamentum Titio dederat, non ademerit, an ab haeredibus Sejae Titio debeatur? Respondit, secundum ea quae proponerentur (*c*), non deberi. l. 31. §. 2.

TITULUS V.

De rebus dubiis.

SUMMARIA.

1. *Civibus legatum, civitati relictum videtur.*
2. *Ambiguo sermone non utrumque, sed quod voluerit, qui loquitur, intelligendum est.*
3. *Exemplum legati incertae personae relicti.*
4. *Conjunctus posthumo, vel in haereditate vel in legato, eo non nato, totum habebit, cum nato dividet.*
5. *Rogatus restituere uni e pluribus arbitrium habet non restituendi, sed eligendi cui restituat.*
6. *Simul morientibus viro et uxore, quorum alter alteri donaverit, stat donatio; non enim supervixit qui donaverat.*
7. *Superstiti substitutus utrique succedit, si simul moriantur.*
8. *Supervixisse praesumitur filius patri, favore matris. Supervixisse praesumitur filio pater, favore patroni.*
9. *Simul mortuis viro et uxore, locum habebit stipu-*

(b) Atqui morte Seiae crimen extinctum erat et sopita accusatio.
(c) Vide n. 2.

latio de dote ex capitulo si in matrimonio mulier decesserit.

10. *Patre et filio simul morientibus, creditur filius supervixisse, nisi sit impubes: idem de matre.*

11. *In ambiguis quod humanius est sequimur.*

12. *Pluribus ususfructus omnium superstiti proprietas legari potest, quasi omnibus legata sit sub conditione supervivendi.*

13. *Ambigua oratio sic interpretanda, ut valeat quod agitur.*

14. *Potest inutile ab initio ex post facto convalescere.*

15. *Cum duo aut plures simul moriuntur, nec apparet quis prior, nullus supervixit.*

16. *Collegio cui coire non licet legatum non valet, nisi singulis relictum sit.*

17. *Ambigua testatoris oratio ex ejus mente interpretationem recipit.*

18. *Ambiguitas contra stipulatorem est.*

19. *In notioribus minus erratur.*

1. Civibus civitatis legatum vel fideicommissum datum, civitati relictum videtur. l. 2. V. infra l. 20.

2. In ambiguo sermone non utrumque dicimus, sed id duntaxat quod volumus. Itaque qui aliud dixit quam vult, neque id dicit quod vox significat, quia non vult; neque id quod vult (*d*), quia id non loquitur. l. 3.

3. Quidam relegatus, facto testamento post haeredis

(d) Et nemo sine voce dixisse existimandus est. l. 7 §. 2 *de supellectile legata.*

institutionem, et post legata quibusdam data, ita subjecit: *Si quis ex haeredibus (e), caeterisve amicis, quorum hoc testamento mentionem habui, sive quis alius restitutionem mihi impetraverit ab imperatore, et ante decessero, quam ei gratias agerem; volo dari ei qui id egerit a caeteris haeredibus aureos tot.* Unus ex his quos haeredes scripserat, impetravit ei restitutionem; et antequam sciret, decessit. Cum de fideicommisso quaereretur, an deberetur, consultus Julianus respondit, deberi. Sed etiam si non haeres vel legatarius, sed alius ex amicis curavit eum restitui, et ei fideicommissum praestari. l. 5. V. tit. C. *de incert. pers.*

4. Si tibi et posthumo suo vel alieno (*f*) haereditatem restituere quis rogaverit; vel ex parte (te, et ex parte) posthumum haeredem instituisset, legatumve similiter vel fideicommissum dedisset: utrum ita posthumus partem faciat, si natus sit, an et si natus non sit, quaeritur? Ego commodius dici puto, si quidem natus non est, minime eum partem facere, sed totum ad te pertinere, quasi ab initio tibi solido relicto. Sin autem natus fuerit, utrosque accipere quantum cuique relictum est: ut uno nato, pars tibi dimidia debeatur; duobus natis, tertia tibi debeatur; tribus natis (quia trigemini quoque nascuntur), quarta debeatur. l. 5. §. 1. l. 6. et 7.

5. Cum quidam, pluribus haeredibus institutis, unius

(e) V. l. 22 §. 5. *mandati vel contra.*

(f) Si quis Titio et posthumis legasset, Titius tantum ferret quantum posthumi; quia tantum habet unus nominatus quantum plures innominati. V. l. 7 *de usufructu accrescendo.* l. ult. C. *de impuberum et aliis substitutionibus.*

fidei commisisset, *ut cum moreretur, uni ex cohaeredibus suis cui ipse vellet, restitueret eam partem haereditatis, quae ad eum pervenisset;* verissimum est, utile esse fideicommissum: nec enim in arbitrio ejus, qui rogatus est, positum est, an omnino velit restituere, sed cui potius restituat. Plurimum enim interest, utrum in potestate ejus quem testator obligari cogitat, faciat (*g*), si velit dare, an post necessitatem dandi, solius distribuendi liberum arbitrium concedit. l. 7. §. 1. V. l. 67. ff. *de leg.* 2. d. l. §. 1.

6. Si inter virum et uxorem donatio facta fuerit, priore defuncto cui donatum est, ad eum res redit qui donaverit: quod si simul tam is, cui donatum est, quam is qui donaverit; quaestionis decidendae gratia, magis placuit valere donationem: eo maxime, quod donator non supervivat, qui rem condicere possit (*a*). l. 8.

7. Qui duos impuberes filios habebat, ei qui supremus moritur, Titium substituit: duo impuberes simul in nave perierunt. Quaesitum est, an substituto et cujus haereditas deferatur? Dixi, si ordine vita decessissent, priori mortuo frater ab intestato haeres erit, posteriori substitutus. In ea tamen haereditate etiam ante defuncti filii habebit haereditatem. In proposita autem quaestione, ubi simul perierunt; utrum, quia cum neutri frater superstes fuit, quasi utrique ultimi decessisse (sibi) videan-

(g) V. l. 67 §. 1 *de legatis* 2.

(a) Sufficit donatorem non supervixisse. l. 32 §. 14 *de donationibus inter virum et uxorem.* Quia benigne donatio ista tractanda est. V. l. 26 *de mortis causa donationibus.* Et donatio inter vivos donantis morte confirmatur. l. 32 in p. et §. 1 et 2 *de donationibus inter virum et uxorem.* V. l. 17 §. penult. *ad Trebell.*

tur: an vero neutri, quia comparatio posterioris decedentis ex facto prioris mortui sumatur, quaeritur? Sed superior sententia magis admittenda est, ut utrique haeres sit (*b*). Nam et qui unicum filium habet, si supremum morienti substituit, non videtur inutiliter substituisse, et proximus agnatus intelligitur etiam qui solus est, quique neminem antecedit: et hic utrique, quia neutri eorum alter superstes fuit (*c*), ultimi primique objerunt l. 9.

8. Cum bello pater cum filio periisset, materque filii, quasi postea mortui, bona vindicaret, adgnati vero patris, quasi filius ante periisset; divus Hadrianus credidit, patrem prius mortuum. l. 9. §. 1. V. *ad senat. Trebell.* l. 17. §. pen. et l. 34. (1)

Si cum filio suo libertus simul perierit, intestati patrono legitima defertur haereditas, si non probatur supervixisse patri filius: hoc enim reverentia patronatus suggerente dicimus. l. 9. §. 2.

9. Si maritus et uxor simul perieriut, stipulatio de dote ex capitulo, *si in matrimonio mulier decessisset*, habebit locum, si non probatur illa superstes viro fuisse. l. 9. §. 3. l. 16.

10. Si Lucius Titius cum filio pubere, quem solum testamento scriptum haeredem habebat, perierit; intelligitur supervixisse filius patri, et ex testamento hae-

---

(b) V. contra l. 34 *ad Trebell.* et ibi conciliationem.

(c) V. l. 3 et 35 *de vulgari et pupillari substitutione*, n. 16 eod. et l. 10. C. *de impuberum et aliis substitutionibus.*

(1) In questo caso ha luogo quel principio del nostro dritto, che la presunzione di sopravvivenza dee ammettersi secondo l'ordine naturale; e che quindi il più giovane si presume sopravvissuto al più vecchio (*Leggi civ. art.* 643).

res fuisse, et filii haereditas successoribus ejus defertur, nisi contrarium approbetur. Quod si impubes (*d*) cum patre filius perierit, creditur pater supervixisse, nisi et hic contrarium approbetur. l. 9. §. ult.

Cum pubere filio mater naufragio periit: cum explorari non possit, uter prior extinctus sit, humanius est credere filium diutius vixisse. Si mulier cum filio impubere naufragio periit, priorem filium necatum esse intelligitur. l. 22. et 23. (1)

11. Si ita libertatem acceperit ancilla, *si primum marem pepererit, libera esto*, et haec uno utero marem et foeminam peperisset: si quidem certum est, quid prius edidisset, non debet de ipsius statu ambigi, utrum libera esset, necne. Sed nec filiae: nam si postea edita est, erit ingenua. Sin autem hoc incertum est, nec potest, nec per subtilitatem judicialem manifestari, in ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet, ut tam ipsa libertatem consequatur, quam filia ejus ingenuitatem, quasi per praesumptionem priore masculo edito. l. 10. §. 1.

Finge legatam sub eadem conditione pecuniam, numquid similiter praesumetur pro legataria? Sed et si posterior mas natus fuerat (*a*). *Numquid sufficiet natum esse eodem partu, de quo nunc futuro testator senserat?*

(d) V. l. 17 §. penult. *ad Trebellianum.*

(1) In questo caso è applicabile quell' altro principio del nostro dritto, che la presunzione di sopravvivenza è determinata dal vigore della età: e quindi 1. che se coloro che perirono insieme avevano uno meno di anni 15, e l'altro non avea sorpassato i 60, si reputa premorto il primo; 2. che se uno aveva meno di 15 anni, e l'altro più di 60, si reputa premorto il secondo (*Leggi civ. art.* 642).

(a) Verum nonne secundo natus dici debet prior conceptus? Non.

12. Quoties libertis ususfructus legatur, et ei, qui novissimus supervixerit, proprietas; utile est legatum. Existimo enim omnibus libertis proprietatem sub hac conditione, *si novissimus supervixerit*, dari. l. 11.

13. Quoties in actionibus aut in exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum est, id accipi, quo res de qua agitur magis valeat quam pereat. l. 12. l. 80. *de verborum obligationibus*.

Ubi est verborum ambiguitas, valet quod acti est: veluti cum Stichum stipuler, et sint plures Stichi; vel hominem; vel Carthagini, cum sint duae Carthagines. Semper in dubiis id agendum est, ut quam tutissimo loco res sit bona fide contracta, nisi cum aperte contra leges scriptum est. l. 21.

14. Quaedam sunt in quibus res dubia est, sed ex post facto retroducitur (*b*), et apparet quid actum est. Ut ecce si res legata fuerit, et deliberante legatario eam rem haeres alii tradiderit: nam si quidem voluerit legatarius habere legatum, traditio nulla est; si vero repudiaverit, valet. Tantundem est, et si pecuniam haereditariam legatam crediderit haeres: nam si quidem non repudiaverit legatarius, alienam pecuniam credidit: si vero repudiaverit, suam pecuniam credidisse videtur. Quid ergo si consumpta fuerit pecunia? Utique idem erit ex eventu dicendum. l. 15.

15. Quod de pariter mortuis tractamus, et in aliis agitatum est. Ut ecce, si mater stipulata est dotem a marito, mortua filia in matrimonio, sibi reddi, et simul cum filia perit; an ad haeredem matris actio ex

---

(b) Propter l. 64 *de furtis*.

stipulatu competeret? Et divus Pius rescripsit, non esse commissam stipulationem: quia mater filiae non supervixit. l. 16.

Item quaeritur, si extraneus, qui dotem stipulatus est, simul cum marito decesserit, vel cum ea, propter quam stipulatus esset; an ad haeredem suum actionem transmittat? d. l. 16 §. 1.

Idem est, si dos uxori prelegata sit, et simul cum marito perierit. l. 17.

Sed et in illo quaeritur, si pariter pupillus, et qui ei substitutus erat frater necessarius, decesserit: an frater fratri existat haeres, an contra? Vel, si duo invicem necessarii substituti sunt, et una perierint; an haeredes extitisse videantur? vel alter alteri (hoc est), si invicem haereditatem rogati fuerint restituere? In quibus casibus si pariter decesserint, nec appareat quis ante spiritum emisit, non videtur alter alteri supervixisse. l. 18.

Sed et circa legem falcidiam, si dominus cum servis simul vita functus sit, servi, quasi in bonis ejus mortis tempore fuerint, non computantur. d. l. 18. §. 1. (3)

16. Cum senatus temporibus divi Marci permiserit collegiis legare, nulla dubitatio est, quod si corpori cui licet coire, legatum sit, debeatur: cui autem non licet, si legetur, non valebit, nisi singulis legetur: hi enim non quasi collegium, sed quasi certi homines admittentur ad legatum. l. 20. V. l. 2. supra.

17. Cum in testamento ambigue, aut etiam perperam (c) scriptum est; benigne interpretari, et secun-

---

(3) Ignorandosi la morte di più persone, si presume morta sempre la più avanzata in età. (*Leggi civ. art.* 649).

(c) Praeterito filiofamilias.

dum id quod credibile est cogitatum, credendum est. l. 24.

18. Cum quaeritur in stipulatione, quid acti sit, ambiguitas contra stipulatorem est. l. 26. V. l. 38. §. 18 ff. *de verb. oblig.* V. l. 33 ff. *de contrah. empt.* (*d*). l. 39 ff. *de act. empt. et vend.*

19. Qui habebat Flaccum fullonem, et Philonicum pistorem, uxori Flaccum pistorem legaverat. Quis eorum, et num uterque deberetur? Placuit primo eum legatum esse, quem testator legare sensisset: quod si non appareret, primum inspiciendum esse, an nomina servorum dominus nota habuisset: quod si habuisset, eum deberi qui nominatus esset, tametsi in artificio erratum esset; sin autem ignota nomina servorum essent, pistorem legatum videri, perinde ac (si) nomen ei adjectum non esset. l. 28.

(d) V. l. 39 *de pactis*. l. 99 *de verborum obligationibus*.

TITULUS VI.

De his quae poenae causa relinquuntur (*).

SUMMARIA.

1. *Aliud poena, aliud conditio. Poenae nomine legatum valet, nisi quid legibus aut bonis moribus adversetur.*

1. Poenam a conditione voluntas testatoris separat; et an poena, an conditio, an translatio sit, ex voluntate defuncti apparet. l. 2.

Supervacuam observationem veterum legum, per quam testatorum voluntates ad effectum duci impediebantur, amputamus; praecipientes nullum valere dicendo, poenae nomine quaedam esse relicta, vel adempta in supremis testantium voluntatibus, eas infirmare. Sed licere testanti pro implenda sua voluntate, vel pecunias dari praecipere, vel aliam pecuniariam poenam inferre quibus voluerit, tam in adimendis haereditatibus, vel legatis, vel fideicommissis, vel libertatibus, quam in praecipiendo ad alias personas eas transferri ab eo, cui relicta ab initio sunt, vel aliquid ab eo dari, si minus dispositonibus suis haeres, vel legatarius, vel libertate donatus paruerit. Quod si aliquid facere, vel legibus interdictum, vel alias probrosum (*a*), vel etiam impossibile jussus aliquis eorum fuerit, tunc sine ullo damno, etiam neglecto testatoris praecepto servabitur. l. unic. C. *eodem*.

(*) V. l. 27 *de conditionibus et demonstrationibus*, ubi valet legatum poenae nomine, sed in honorem defuncti.

(a) Quid nec facere nos posse credendum est. l. 15 *de conditionibus institutionum*.

TITULUS VII.

De regula Catoniana (*).

SUMMARIA.

1. *Saepe verum est, legatum ab initio inutile, tempore non convalescere.*
2. *Haec regula non pertinet ad haereditatem et legata conditionalia.*

1. Catoniana regula sic definit: *quod, si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret: id legatum, quandocumque decesserit, non valere.* Quae definitio in quibusdam falsa est. l. 1. n. 1. tit. *quando dies legat. ced.* l. 29. *de reg. jur.*

Si tibi legatus est fundus, qui scribendi testamenti tempore tuus est (*b*); si eum vivo testatore alienaveris; legatum tibi debetur, quod non deberetur, si testator statim decessisset. l. 1. §. 2.

Si quidem ab initio non constitit legatum, ex post facto non convalescet. Quemadmodum nec res mea legata mihi, si post testamentum factum fuerit alienata:

(*) *Ut cognoscas utrum Catoniana regula apud nos vim habeat, vide D. Domat.* Regula Catoniana locum habet etiam in institutionibus. l. 210 *de regulis juris.*

(b) Oportet dumtaxat hic virgulam ponere, scilicet post verbum *tuus est*, et rejicere duo puncta post verbum *alienaveris*, adeo ut legatum sit sub conditione si legatarius fundum suum alienaverit. V. D. Baudin ad hunc tit. idque propter §. 10 Instit. *de legatis*, ubi dicitur: Sed si rem legatarii quis ei legaverit, inutile est legatum, licet eam alienaverit. Idem Vesembec. Zoesius. V. l. 2. C. *de jure deliberandi.* l. 8. §. 1. C. *de inofficioso testamento.*

quia vires ab initio legatum non habuit. Sed si sub conditione legetur, poterit legatum valere, si existentis conditionis tempore, mea non sit. l. 41. §. 1. ff. *de leg.* 1.

2. Placet, Catonis regulam ad conditionales institutiones non pertinere. l. 4.

Purum legatum Catoniana regula impediet: conditionale non. Quia ad conditionalia Catoniana non pertinet. l. 41. §. 2. in f. ff. *de leg.* 1.

TITULUS VIII.

De his quae pro non scriptis habentur (*).

SUMMARIA.

1. *Quae non intelliguntur, habentur pro non scriptis, caeteris stantibus.*
2. *Valet alimentorum legatum damnato in metallum.*
3. *Pro non scripto est, quod eo pervenit unde incipere non potuit.*
4. *Inutiliter jam mortuo relinquitur.*

1. Quae in testamento scripta essent, neque intelligerentur quid significarent, ea perinde sunt, ac si scripta non essent: reliqua autem per se ipsa valent. l. 2.

2. Si in metallum damnato quid extra causam alimentorum relictum fuerit, pro non scripto est, nec ad fiscum pertinet: nam poenae servus est, non Caesaris (*a*). Et ita divus Pius rescripsit. l. 3. (*b*).

(*) V. 27 *de conditionibus et demonstrationibus.*

(*a*) Si esset servus Caesaris, acquirerentur alimenta Caesari.

3. Quae in eam causam pervenerunt, a qua incipere non poterant, pro non scriptis habentur (c). l. 3. §. 2.

4. Si eo tempore, quo alicui legatum adscribebatur, in rebus humanis non erat, pro non scripto hoc habebitur. l. 4.

TITULUS IX.

De his quae ut indignis auferuntur (*).

SUMMARIA.

1. *Indignus est cujus culpa vel negligentia testatur.*
2. *Falsi testamenti accusatio, legato percepto non excluditur: inofficiosi excluditur: injusti, causa cognita, vel admittitur, vel rejicitur.*
3. *Si is qui testamentum falsi accusavit, vel inofficiosi, haeredi succedat, vel legatario, nihil ei nocebit.*
4. *Indignum faciunt inimicitiae, convitia, status controversia.*
5. *Contra legem facit qui fidem prohibito fideicommisso accomodat.*

Quaero utrum actionem habeat: nam actio est juris civilis a quo summotus est, et praeterea malus egestate laborare debet. l. ult. *depositi vel contra.*

(b) L. 11 *de alimentis.*

(c) Veluti si legatarius, servus poenae factus sit vivo testatore; id est, si deportatus sit aut in metallum damnatus; nam si post mortem testatoris servus poenae fieret, per leg. Papiam cadocum fiebat legatum.

(*) Nota casum in l. 29 §. 2, et l. 30 *de donationibus.* Ubi quis indignus fit haereditate quam donavit ante mortem alterius, quia bonos mores et jus gentium festinavit. Idem in l. 2 §. 3 hic.

6. *Indignus est, et fructus restituit haeres major 25 annis qui defuncti vindictam insuper habuit.*

7. *Qui ex tacito fideicommisso accepit, rem restituit cum fructibus, etiam ante litem motam perceptis.*

8. *Quod ex officio gerit tutor, ei nocere non debet.*

9. *Non sola affectionis rationa praesumitur tacitum fideicommissum.*

10. *Legato cadit qui testamentum celavit, et qui indictam pro legato tutelam non subierit.*

1. Indignum esse D. Pius illum decrevit (ut et Marcellus refert), *qui manifestissime comprobatus est id egisse, ut per negligentiam et culpam suam mulier, a qua haeres institutus erat, moreretur* (*d*). l. 3.

2. Post legatum acceptum, non tantum licebit falsum arguere testamentum, sed et non jure factum contendere (*e*); inofficiosum autem dicere non permittitur. Ille qui non jure factum contendit, nec obtinuit, non repellitur ab eo quod meruit. Ergo, qui legatum secutus, postea falsum dixit, amittere debebit quod consecutus est (*f*). De eo vero qui legatum accepit, si neget jure factum esse testamentum, divus Pius ita

(d) Ex l. 1 h. colligitur poenam et praemiom posse concurrere ex eodem facto.

(e) Apud nos, 1. Si falsum notum fuisset cum legatarius accepit legatum, non amplius audiretur legatarius, quia de falso videtur transegisse: 2. Si non jure factum esset testamentum, non audiretur adhuc legatarius qui accepisset legatum, quia functus intelligeretur pleniore officio fidei erga defunctum. l. 3 *de lege Cornelia de falsis*. l. 3 C. eod. l. 4 C. *de jure et facti ignorantia*. l. 3 et 6 Digest. *de transactionibus*.

(f) Scilicet, si ille haeredem accusavit de falsitate. Domat, *de legatis*, *s*. 2. *n*. 5.

rescripsit: *Cognati Sophronis, licet ab haerede instituto acceperant legata, tamen si is ejus conditionis fuerit visus, ut obtinere haereditatem non possit, et jure intestati ad eos cognatos pertinet, petere haereditatem ipso jure poterunt. Prohibendi autem sint, an non: ex cujusque persona, conditione, aetate, cognita causa a judice, constituendum erit.* l. 5. d. l. §. 1. V. d. l. 1. §. 9. (*g*).

3. Qui accusavit falsum, haeres legatario extitit, vel haeredi scripto; nihil huic nocere dicendum est. Similis est ei et qui inofficiosum dicit (*h*). l. 5. §. 7. et 8.

Qui Titii testamentum falsum dixit, nec obtinuit, haeredi ejus haeres existere prohibendus non est: quia non principaliter in Titii haereditatem succedit. l. 7.

4. Si inimicitiae capitales intervenerunt inter legatarium et testatorem; et verisimile esse coeperit (*a*), testatorem noluisse legatum sive fideicommissum praestari ei cui adscriptum relictum est; magis est, ut legatum ab eo peti non possit. Sed et si palam et aperte testatori maledixerit, et infaustas voces (*b*) adversus eum jactaverit, idem erit dicendum. Si autem status ejus controversiam movit (*c*), denegatur ejus quod testamento accepit, persecutio. l. 9. d. l. §. 1. et 2.

5. In fraudem juris fidem accomodat qui vel id quod relinquitur, vel aliud tacite promittit (*d*), restituturum

(g) V. contra l. ult. §. 1 *de inofficioso testamento*, n. 8.

(h) V. l. 6 C. *de lege Cornelia de falsis.*

(a) V. l. 3 §. ult. *de adimendis vel transferendis legatis.*

(b) Nota non inveniri in jure per inimicitias capitales revocari institutionem haeredis, sed legata dumtaxat. Cujac. revera everterentur legata per revocationem institutionis haeredis.

(c) V. Domat, *de haeredibus in genere.*

(d) V. l. 46 *de haereditatis petitione*; l. 103 *de legatis* 1.

se personae, quae legibus ex testamento capere prohibetur, sive chirographum eo nomine dederit, sive nuda pollicitatione repromiserit. l. 10. (e).

In ea parte qua heres fraudem adhibuit, falcidia non utitur: et ita senatus censuit. Sed si major modus institutionis quam fraudis fuerit, quod ad falcidiam attinet, de superfluo quarta retinebitur. l. 11.

6. Haeredem qui sciens defuncti vindictam insuper habuit, fructus omnes restituere cogendum existimavi. l. 17.

Haeredes quos necem testatoris inultam omisisse constiterit, fructus integros cogantur reddere. Neque enim bonae fidei possessores ante controversiam illatam videntur fuisse, qui debitum officium pietatis scientes omiserunt. (f). l. 1. C. *de his quib. ut indign.* h. auf.

Minoribus viginti quinque annis haeredibus non obesse crimen inultae mortis placuit. l. 6. C. *eod.*

7. Eum qui tacitum fideicommissum in fraudem legis suscepit, eos quoque fructus quos ante litem motam percepit, restituere cogendum respondi: quod bonae fidei possessor fuisse non videtur. l. 18.

8. Tutorem qui pupilli sui nomine, falsum vel inofficiosum testamentum dixit, non perdere sua legata: si non obtinuerit, optima ratione defenditur. l. 22.

Quia officii necessitas, et tutoris fides excusata esse debet. d. l. V. s. *de inoff. testam.* n. 27. (g).

(e) V. l. 18 h. l. 46 *de haeredibus instituendis.*

(f) Vindictam leges humanae praecipiunt, vetant divinae.

(g) V. §. 4 et 5. Inst. *de inofficioso testamento.* l. 30 §. 1 ff. eod.

9. Taciti fideicommissi suspicionem sola ratio paternae affectionis non admittit (h). l. 25.

10. Si legatarius (vel fideicommissarius celaverit) testamentum, et postea hoc in lucem emerserit, an posset legatum sibi relictum is qui celaverit, ex (eo) testamento vindicare, dubitabatur: quod omnimodo inhibendum esse censemus, ut non accipiat fructum suae calliditatis, qui voluit haeredem haereditate sua defraudare. Sed hujusmodi legatum illi quidem auferatur, maneat autem quasi pro non scripto apud haeredem, ut qui alii nocendum esse existimavit (i), ipse suam sentiat jacturam. Quemadmodum si legatarius, cui propter tutelam gerendam aliquid relictum sit, non subierit tutelam, ei quidem legatum aufertur: pupillo autem adsignatur, cui ille utilis esse noluit. l. 25. C. *de leg.* (k).

(h) Ratio in l. 3 §. 4 *de jure fisci*. Quia id cadit in fiscum; secus quando apud haeredem remanet. V. Domat. Pariter indignus est falcidia qui id egerit ut fideicommissum intercidat. l. 59 *ad legem falcidiam*. Nota, fraudis praesumptio excluditur meliori praesumptione. l. 67 §. 1 *de ritu nuptiarum*.

(i) Nota. Quae ut indignis auferuntur, non semper cadunt in fiscum. Tertium casum adducit Cujacius ad rubricam hujus tituli. Quando haeres institutus gravatus adire non vult, cogitur omnia fideicommissario restituere propter indignitatem suam. Unde distinguit ereptitium et caducum. V. l. 32 *de excusationibus*.

(k) * *Lex* 5 § 2 *habet*: Hoc legatum quod tutori denegatur non ad fiscum transfertur, sed filio relinquitur cujus utilitates desertae sunt.

LIBER XXXV.

TITULUS I.

De conditionibus, et demonstrationibus, et causis, et modis (*) eorum, quae in testamento scribuntur.

SUMMARIA.

1. *Legatis adscribi potest, aut conditio aut dies incertus. Interdum inest tacita conditio legato.*
2. *Dies incertus est qui ignoratur, licet certo sit eventurus. Et tunc tantum cedit dies legati cum is evenerit.*
3. *Quaedam conditionis vivo testatore impleri possunt: quaedam nonnisi eo mortuo.*
4. *Non paret conditioni, qui eam ignorans fortuito id fecit quod est in conditione.*
5. *Impossibilis conditio pro non scripta habetur.*
6. *Si conditione dies accedat, ea impleta dies expectandus.*
7. *Conditioni non faciendi quid paretur per cautionem Mutianam iis quorum interest: vel ipso jure sine cautione, si ea opus non sit.*
8. *Quae in conditione ponuntur, si jam evenerint, inscio testatore, eam implent: secus si scierit.*
9. *Causa praeteriti est: poena futuri.*

(*) Modus obligationis est cum stipulamur decem aut hominem: nam alterius solutio totam obligationem interimit, nec alterum peti potest; utique quam diu utrumque est. l. 3 §. 3 *de obligationibus et actionibus*. De modo legati. V. l. 17 §. ult. hic.

10. *Pro impleta habetur conditio, si per eum non stet qui debuit implere.*

11. *Nuptias facit consensus.*

12. *Quae a voluntate testatoris pendent, juris ratione, quae extra testamentum incurrunt, ex bono et aequo interpretanda.*

13. *Falsa demonstratio non vitiat legatum.*

14. *Error in designanda persona legatarii non nocet si de ea constet.*

15. *Falsa causa non vitiat legatum: aliud si alias legaturus non fuisset.*

16. *Si causa in conditionem vertatur ab eo pendebit legatum quod in vero erit.*

17. *Modus est cum ut quid fiat legatur, et pro conditione habetur.*

18. *Conditionum ratio pendet a testatoris voluntate.*

19. *Turpis conditio semper, et jusjurandum plerumque remittitur.*

20. *Si conditio ex facto pendeat, facto impletur: si ex jure personae, veluti si paterfamilias sit, ipso jure impletur.*

21. *Non potest legatarius sciendere conditionem, ut partem habeat legati.*

22. *In ultimis voluntatibus et contractibus pro impleta habetur conditio, si per eum fit ut non impleatur, cujus interest impleri.*

23. *Si testator opus extruendum jusserit ad exemplum alterius quod non extet, pro ejus dignitate facultatibus extruetur.*

24. *Conditio a legatario pendens, ab eo impleri debet cum primum possit.*

25. *Aliud si conditio deficiat, aliud si ei non pareatur, aliud si per quem non stet.*

26. *Demonstratio saepe nominis vice fungitur.*

27. *Demonstratio factam rem, conditio futuram plerumque ostendit.*

28. *Omni testatoris voluntati parendum, quae legibus non adversetur.*

29. *Legati conditionalis dies a conditionis eventu cedit. Mortuo prius legatario legatum intercidit.*

30. *Inutiliter Titio ita legatur*, si Maevius voluerit: *aliud dum ita Titio legatur*, si Maevius quid egerit. *Inde dictum*: expressa nocent, non expressa non nocent.

31. *Scinditur conditio dando inter collegatarios: unus non scindit quod dare jussus est.*

32. *Conditionum tres figurae, ut quid detur, ut quid fiat, ut quid eveniat: vel contra.*

33. *Fiscus in conditiones et in onera succedit.*

34. *Utilitatis publicae ratio habenda in legum interpretationem.*

35. *Libertas domicilii, legati conditione laedi non debet.*

36. *Dies incertus conditionem facit.*

37. *Impleta censetur conditio si per eum stet, cujus interest non impleri.*

38. *Rationes sic reddendae ut explorari possit probe an improbe accepta et expensa referantur.*

39. *Legatum conditionale ad alium translatum, cum conditione transit, nisi personae cohaereat conditio.*

40. *Conditio quae tacite inest non facit legatum conditionale.*

41. *Si parentes liberis substituerint, evanescit substitutio, cum oneratus liberos susceperit.*

42. *Si duobus imposita sit conditio, altero cessante, potest alter implere conditionem.*

1. Legatis quae relinquuntur, aut dies incertus, aut conditio adscribitur; aut si nihil horum factum sit, praesentia sunt: nisi si vi ipsa conditio insit. l. 1.

Inest conditio legati, veluti cum ita legamus, *fructus qui ex (eo) fundo percepti fuerint, haeres dato.* l. 1. §. ult.

2. Dies autem incertus est, cum ita scribitur: *Haeres meus cum morietur, decem dato* (a). Nam diem incertum mors habet ejus: et ideo, si legatarius ante decesserit, ad haeredem ejus legatum non transit: quia non cessit dies vivo eo, quamvis certum fuerit moriturum haeredem. l. 1. §. 2. V. inf. l. 75 et inf. *quando dies leg. vel fideicom. ced.* l. 4. ibid. n. 6. ex l. un. C. *de cad. toll.*

3. Conditionum quaedam sunt, quae quandoque impleri possunt, etiam vivo testatore; ut puta, *si navis ex Asia venerit* (b): nam quandocumque venerit navis, conditioni paritum videtur. Quaedam quae nonnisi post mortem testatoris: *si decem dederit; si Capitolium ascenderit.* l. 2. V. l. 11.

4. Ut paruisse quis conditioni videatur, etiam scire debet hanc conditionem insertam: nam, si fato fecerit, non videtur obtemperasse voluntati. l. 2. in fin. V. infr. l. 11.

(a) Legatum conditionale non transmittitur ante conditionis eventum. V. l. 59, l. 97 §. 1.

(b) Distingue inter conditiones casuales et potestativas. Hae non adimplentur vivo testatore, si quidem legatarius non praesumitur causa obtemperandi testatori fecisse.

5. Obtinuit, impossibiles conditiones testamento adscriptas pro nullis habendas (c). l. 3. (1)

6. Si ita scriptum sit: *Si in quinquennio proximo Titio filius natus non erit, tum decem Sejae haeres dato*: si Titius ante mortuus sit, non statim Sejae decem deberi: quia hic articulus *tum*, extremi quinquennii tempus significat. l. 4. §. 1.

7. Mutianae cautionis utilitas consistit in conditionibus, quae in non faciendo sunt conceptae: ut puta *si in Capitolium non ascenderit*, *si Stichum non manumiserit*, et in similibus. Et ita Aristoni et Neratio et Juliano visum est. Quae sententia et constitutione divi Pii comprobata est. Nec solum in legatis placuit, verum in haereditatibus quoque idem medium admissum est. Unde, si uxor maritum suum, cui dotem promiserat, ita haeredem scripserit ex parte, *si dotem quam ei promisi neque petierit, neque exegerit*; denuntiare eum posse coheredi, paratum se accepto facere dotem, vel cavere; et ita adire posse haereditatem. Sed si ex asse sit institutus maritus sub ea conditone, quoniam non est cui caveat, non impediri eum quominus adeat haereditatem: nam jure ipso videtur impleta conditio, eo quod non est quem possit de dote convenire ipse adeundo haereditatem. l. 7. d. l. §. 1.

Is, cui sub conditione non faciendi aliquid relictum est, ei scilicet cavere debet Muciana cautione, ad quem jure civili, deficiente conditione, hoc legatum, eave

---

(c) * Lex 1 §. 11 l. 31 *de obligationibus et actionibus*. l. 38 *de condictione indebiti*.

(1) » In qualunque disposizione di ultima volontà, si avranno per non iscritte le condizioni impossibili. » (*Leg. civ. art.* 816).

haereditas pertinere potest. l. 18. V. Nov. 22. c. 44.

8. Si jam facta sint quae conditionis loco ponuntur, et sciat testator, quia iterum fieri possunt, expectentur, ut fiant; si vero nesciat, praesenti debeantur (*a*). l. 11. (*b*). (2)

9. Causa in praeteritum (*c*), poena in futurum confertur. l. 12. in f. V. l. 43. §. 1.

10. *Titius, si statuas in municipio posuerit, haeres esto*: si paratus est ponere, sed locus a municipibus ei non datur, Sabinus Proculus haeredem eum fore: et in legato idem juris esse dicunt. l. 14. (*d*).

11. Nuptias non concubitus, sed consensus facit. l. 15.

12. In his quae extra testamentum incurrerent (*e*), possunt res ex bono et aequo interpretationem capere; ea vero quae ex ipso testamento orirentur (*f*), necesse est secundum scripti juris rationem expediri. l. 16.

13. Demonstratio falsa est, veluti si ita scriptum sit, *servum Stichum, quem de Titio emi*: *fundum Tusculanum qui mihi a Sejo donatus est*. Nam si constat de quo homine, de quo fundo senserit testator, ad rem non pertinet, si is, quem emisse significavit, donatus esset: aut quem donatum sibi esse significaverat, emerit. l. 17, 33 et 34 C. l. 2. *de fals. caus. adj. legat.*

(a) Lex illa intelligitur tantum de conditione casuali: nam conditio potestativa semper est reiteranda.

(b) V. supra l. 2.

(2) » L' obbligazione che dipende da un avvenimento succeduto attualmente, ma non peranche noto alle parti, ha il suo effetto dal giorno in cui è stata contratta. » (*Leg. civ. art.* 1134).

(c) V. discrimen causae et conditionis in l. 2 §. ult. et l. 3 *de donationibus*.

(d) V. l. 3 *de conditionibus institutionum*.

(e) Id est, quae scripta non sunt, sed supplentur.

(f) Id est, quae scripta sunt.

14. Si in persona legatarii designanda, aliquid erratum fuerit, constat autem cui legare voluerit; perinde valet legatum, ac si nullus error intervenerit. l. 17 §. 1. in f. l. 4. C. *de testam.* l. 4. *de legat.* 1.

15. Quod juris est in falsa demonstratione, hoc vel magis est in falsa causa. Veluti ita, *Titio fundum do, quia negotia mea curavit.* Item, *fundum Titius filius meus percipito, quia frater ejus (ipse) ex arca tot aureos sumpsit*: licet enim frater hujus pecuniam ex arca non sumpsit, utile legatum est. l. 17. §. 2.

Falsam causam legato non obesse, verius est; quia ratio legandi legato non cohaeret (*g*): sed plerumque doli exceptio locum habebit, si probetur alias legaturus non fuisse. l. 72. §. 6.

16. At si conditionaliter concepta sit causa, veluti hoc modo, *Titio, si negotia mea curavit, fundum do*: *Titius filius meus, si frater ejus centum ex arca sumpsit, fundum percipito*: ita utile erit legatum, si et ille negotia curavit, et hujus frater centum ex arca sumpsit. l. 17. §. 3.

17. Quod si cui in hoc legatum sit (*h*), ut ex eo aliquid faceret, veluti monumentum testatori, vel opus aut epulum municipibus faceret, vel ex eo ut partem alii restitueret, sub modo legatum videtur. l. 17 §. ult.

In legatis et fideicommissis etiam modus adscriptus pro conditione observatur. l. 1. C. *de his quae sub modo*.

(g) Legatum est donatio. l. 36 *de legatis* 2. Donatio autem propter nullam aliam causam fit, quam ut quis munificentiam exerceat. l. 1 *de donationibus*.

(h) Lex 15 *de obligationibus et actionibus*.

18. In conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones: denique et in ea conditione, *si filia mea cum Titio nupta erit*, placuit non semper mortis tempus observari, sed voluntate patrocinante tardius produci. l. 19. V. l. 11. §. 19. *de legatis* 3.

In conditionibus testamentorum voluntatem potius quam verba considerari oportet. l. 101. (3)

19. Non dubitamus quin turpes conditiones remittendae sunt (*a*). Quo in numero plerumque sunt etiam jurisjurandi. l. 20. (*b*). (4)

20. Multum interest, conditio facti an juris esset. Nam hujusmodi conditiones: *si navis ex Asia venerit*, *si Titius consul factus erit*, quamvis impletae essent, impedient haeredem circa adeundam hereditatem, quamdiu ignoraret eas impletas esse. Quae vero ex jure venient, in his nihil amplius exigendum, quam ut impletae sint: veluti, si quis se filiumfamilias existimat, cum sit paterfamilias, poterit adquirere haereditatem. l. 21. (c).

21. *Qui duobus heredibus decem dare jussus est, et fundum sibi habere*; verius est ut conditionem scin-

---

(3) » Qualunque condizione debb' essere adempita nella maniera che le parti hanno verisimilmente voluto ed inteso che lo fosse. » (*Leg. civ. art.* 1128).

(a) Quia quae contra bonos mores sunt, nec nos ea facere posse credendum est. l. 15 in fine. *de conditionibus institutionum*.

(b) L. 8. *de conditionibus institutionum. l.* 37 *hic*.

(4) » In qualunque disposizione di ultima volontà, si avranno per non iscritte le condizioni che sono contrarie al buon costume' (*Leg. civ. art.* 816).

(c) V. l. 21 §. 3 *de acquirenda vel omittenda haereditate*, ubi legendum est, non posse.

dere non possit: ne etiam legatum scindatur (*d*). Igitur quamvis alteri quinque dederit, nullam partem fundi vindicabit, nisi alteri quoque adeunti haereditatem reliqua quinque numeravit, aut illo omittente haereditatem, qui solus adierit hereditatem, tota decem dederit. l. 23. V. in f. l. 56. (*e*).

22. Jure civili receptum est, quoties per eum cujus interest conditionem impleri, fit quo minus impleatur; ut perinde habeatur ac si impleta conditio fuisset. Quod plerique et ad legata, et ad haeredum institutiones perduxerunt. Quibus exemplis stipulationes quoque committi quidam recte putaverunt, cum per promissorem factum esset, quominus stipulator conditioni pareret. l. 24. V. inf. l. 81. §. 1. et inf. *quand. dies legat. vel fid. ced.* l. 5. §. 5. l. 161. *de reg. jur.* (5)

23. In testamento quidam scripserat, *ut sibi monumentum ad exemplum ejus quod in via Salaria esset Publii Septimii Demetrii, fieret: nisi factum esset, haeredes magna pecunia multare* (*f*). Et cum id monumentum Publii Septimii Demetrii nullum reperiebatur, sed Publii Septimii Damae erat, ad quod exemplum suspicabatur eum qui testamentum fecerat, monumentum sibi fieri voluisse; quaerebant haeredes, cujusmodi monumentum se facere oporteret: et si ob

---

(d) L. 5 *de legatis* 2.

(e) L. 112 §. 2.

(5) » La condizione si ha per adempita, quando il debitore obbligato sotto la stessa sia quegli che ne abbia impedito l'adempimento. » (*Leg. civ. art.* 1131).

(f) Valet hic legatum poenae nomine, qua relictum in honorem defuncti, et indignus est haeres, quia voluntati defuncti non obtemperat.

eam rem nullum monumentum fecissent, quia non reperirent ad quod exemplum facerent, num poena tenerentur? Respondit, si intelligeretur, quod monumentum demonstrare voluisset is qui testamentum fecisset, fieri debere. Sin autem voluntas ejus ignoraretur, poenam quidem nullam vim habere; quoniam ad quod exemplum fieri jussisset, id nusquam extaret (*g*): monumentum tamen omnimodo secundum substantiam et dignitatem defuncti extruere debere. l. 27.

24. Haec conditio: *si in Capitolium ascenderit*, sic recipienda est, (si) cum primum potuerit Capitolium ascendere. l. 29. (*h*).

25. In testamento ita erat scriptum, *Sthicus et Phamphila liberi sunto*; *et si in matrimonium coirent*, *haeres meus bis centum dare damnas esto*: Stichus ante apertas tabulas decessit. Respondit, partem Stichi defectam esse; sed et Pamphilam defectam (*a*) conditione vide-

(g) Ineptas enim voluntates defunctorum circa sepulturam non valere. l. 113 §. ult. *de legatis* 1. l. 1. §. ult. *ad legem falcidiam.* l. 14 §. 6 *de religiosis et sumptibus funerum.*

(h) Cujacius ait, hanc sententiam falsam esse, conditionem trahi posse in longum tempus, cum pendeat ex arbitrio legatarii.

(a) V. l. 23 *de constitutionibus institutionum.* Conditio quae fit impossibilis post mortem testatoris vitiat legatum. Secus ea quae duntaxat non impletur ex facto tertii. Quid si Sthicus mortuus esset ante testatorem, et id testator ignorasset? deficeret conditio et legatum. Quid si testator scivisset mortem Stichi? intelligeretur lusisse in conditione: unde conditio rejiceretur et legatum valeret. Gotofr. ad legem 58 *de condictione indebiti*, ait: Conditio quae possibilis visa est testatori, impossibilis tamen erat, pro possibili habetur et vitiat dispositionem seu legatum. Secus si putaret testator impossibilem cum possibilis esset; hoc enim casu vitiatur dispositio legati, non legatum. l. 3. *de conditionibus et demonstrationibus*: Tiraquel. *de privilegiis piae causae*, privil. 75 excipit legatum pium.

ri, ideoque partem ejus apud heredem remansuram. Sed etsi uterque viveret, et Stichus nollet eam uxorem ducere, cum mulier parata esset nubere, illi quidem legatum deberetur; Sthichi autem portio inutilis fiebat. Nam cum uni ita legatum sit, *Titio*, *si Seiam uxorem duxerit*, *haeres meus centum dato*: si quidem Seia moriatur, defectus conditione intelligitur: at si ipse decedat, nihil ad haeredem suum eum trasmittere, quia morte ejus conditio defecisse intelligitur. Utroque autem vivente, si quidem ipse nolit uxorem ducere, quia ipsius facto conditio defecit, nihil ex legato consequitur: muliere autem nolente nubere, cum ipse paratus esset, legatum ei debetur. l. 31; l. 4. C. *de cond. infert. tam leg. quam fid.*

36. *Demonstratio plerumque vice nominis fungitur*: nec interest falsa an vera sit, si certum sit quem testator demonstraverit. l. 34.

27. Inter demonstrationem et conditionem hoc interest, quod demonstratio plerumque factam rem ostendit, conditio futuram. l. 35. §. 1.

28. Toties secundum voluntatem testatoris facere compellitur *haeres vel legatarius*, quoties contra legem nihil sit futurum. l. 37. l. 20.

29. Legata sub conditione relicta non statim, sed cum conditio extiterit, deberi incipiunt: ideoque interim delegari non potuerunt. l. 41.

Intercidit legatum, si ea persona decesserit, cui legatum est sub conditione. l. 59. l. 1. §. 2. supra.

30. Nonnunquam contigit (*b*), ut quaedam nomi-

(b) V. Contra l. 46 §. 2 et 3. l 41 §. 4 *de fideicommissariis libertatibus*, et l. 1 *de legatis* 2.

natim expressa officiant, quamvis omissa tacite intelligi potuissent, nec essent obfutura. Quod evenit, si alicui ita legatur: *Titio decem do, lego, si Maevius Capitolium ascenderit.* Nam quamvis in arbitrio Maevii sit, an Capitolium ascendat, et velit efficere ut Titio legatum debeatur; non tamen poterit aliis verbis utiliter legari, *si Maevius voluerit, Titio decem do*: nam in alienam voluntatem conferri legatum non potest. Inde dictum est, expressa nocent, non expressa non nocent. l. 52.

31. Cui fundus legatus est, *si decem dederit*, partem fundi consequi non potest, nisi totam pecuniam numerasset. Difficilis est causa, cum duobus eamdem res sub conditione legata est. In hac enim quaestione statim a testamento, quo pluribus conditio apposita est, divisa quoque in singulas personas videri potest: et ideo singuli cum sua parte et conditioni parere, et legatum capere possunt (c). Nam quamvis summa universae conditionis sit adscripta, enumeratione personarum potest videri esse divisa; in eo vero, quod uni sub conditione legatum est, scindi ex accidenti conditio non debet; et omnis numerus eorum qui in locum ejus substituuntur, pro singulari persona est habendus (a). l. 56. V. s. l. 23. (b).

32. In facto consistentes conditiones varietatem ha-

(c) V. l. 24 *ad Trebellian.*

(a) Scilicet si plures substituti fuerint legatario, tunc non potest dividi legatum nec conditio, quia testator plures substitutos intuitus est tanquam unum duntaxat legatarium. Illud etiam intelligi potest de pluribus haeredibus legatarii, qui non possunt ex accidenti conditionem dividere.

(b) V. infra l. 142 §. 2.

bent et quasi tripartitam recipiunt divisionem: *ut quid detur*, *ut quid fiat*, *ut quid obtingat*; vel retro, *ne detur*; *fiat*, *ne obtingat*. Ex his dandi faciendique conditiones in personas collocantur, aut ipsorum, quibus quid relinquitur, aut aliorum: tertia species in eventu ponetur. l. 60.

33. Fiscus iisdem conditionibus parere debet, quibus persona a qua ad ipsum, quod relictum est, pervenit: sicut etiam cum suo onere hoc ipsum vindicat. l. 60. §. 1.

34. Lex utilis reipublicae interpretatione adjuvanda est (c). l. 64. in f. (d).

Ea quae communiter omnibus prosunt, iis quae specialiter quibusdam utilia sunt, praeponimus. Nov. 39. c. 1.

35. Titio centum relicta sunt ita *ut a monumento meo non recedat*, vel *in illa civitate domicilium habeat*: potest dici, non esse locum cautioni, per quam jus libertatis infringitur. (e). l. 71. §. 2.

36. Dies incertus conditionem in testamento facit. l. 75.

Haeres meus cum ipse morietur, centum Titio dato: Legatum sub conditione relictum est. Quamvis enim haeredem moriturum certum sit, tamen incertum est,

---

(c) Si ita scriptum esset: Si Arciae non nupserit, interesse an fraus legi facta esset, nam si ea esset quae alicubi nuptias facile invenire non posset, interpretandum ipso jure rescindi quod fraudandae legis gratia esset adscriptum: legem enim utilem reipublicae, sobolis scilicet procreandae caussa latam, adjuvandam interpretatione. Partus enim reipublicae nascitur. l. 1. §. 15 in fine, *de ventre in possess. mit.*

(d) L. 1 §. 15 *de ventre in possess. mit.*

(e) * *Lex* 72 §. 6 *habet*: Falsam causam legato non obesse verius est, quia ratio legandi legato non cohaeret.

an legatario vivo dies legati non cedat, et non est certum ad eum legatum perventurum. l. 79. §. 1. V. s. l. 1. §. 2. l. un. §. 7. C. *de cad. toll.*

37. Tunc demun pro impleta habetur conditio, cum per eum stat, qui si impleta esset, debiturus erat. l. 81. §. 1. V. inf. *quando dies leg. vel fid. ced.* l. 5. §. 5. V. l. 24. (6)

38. Rationes reddere, id est, legandas offerre rationes primum, deinde computandas, ut explorari possit imputationes probe, an improbe referantur; accepta recte relata, an non recte. Ita enim incipit res a facto, pervenit autem ad pecuniam. l. 82.

39. Legatum sub conditione relictum, et ad alium translatum, si non conditio personae cohaereat, sub eadem conditione translatum videtur. l. 95.

40. Conditiones extrinsecus non ex testamento venientes, id est, quae tacite inesse videantur, non faciunt legata conditionalia. l. 99. V. f. l. 1. §. ult. (*f*).

41. Cum avus filium, ac nepotem ex altero filio haeredes instituisset (*g*), a nepote petiit, ut *si intra annum trigesimum moreretur, haereditatem patruo suo restitueret.* Nepos liberis relictis, intra aetatem suprascriptam vita decessit: fideicommissi conditionem, conjectura pietatis, respondi defecisse (*h*), quod minus scriptum quam dictum fuerat, invenitur. l. 102.

Cum acutissimi ingenii vir, et merito ante alios ex-

(6) Vedi la nota precedente.

(f) V. l. 6 §. 1 *quando dies.*

(g) Secus si fideicommissum sit in favorem piae causae. Tiraquel. *de privileg. piae causae*, privil. 17.

(h) L. 40 §. ult. *de pactis.*

cellens Papinianus in suis statuerit responsis, si quis filium suum haeredem instituit, et restitutionis post mortem oneri subegit, non aliter hoc videri disposuisse, nisi cum filius ejus sine sobole vitam suam reliquerit: nos hujus sensum merito mirati plenissimum ei donamus eventum: ut si quis haec disposuerit, non tantum filium haeredem instituens, sed etiam filiam, vel ab initio nepotem vel neptem, pronepotem vel proneptem, vel aliam deinceps posteritatem, et eam restitutionis post obitum gravamini subjugaverit; non aliter hoc sensisse videatur, nisi ii qui restitutione onerati sunt, sine filiis vel filiabus, nepotibus, vel neptibus, pronepotibus vel proneptibus fuerint defuncti: ne videatur testator alienas successiones propriis anteponere. l. 30. C. *de fideic.*

42. De illo quoque quaeritur: fundus quibusdam legatus est, si pecuniam certam in funus impensamque perferendi corporis in aliam regionem dedissent: nam, nisi uterque dederit, neutri sit legatum; quoniam conditio nisi per utrumque expleri non potest. Sed haec humanius interpretari solemus (*a*): ut cum duobus fundus legatus sit, si decem dedissent, et alteri dando partem, legatum quoque debeatur. l. 112. §. 2. l. 6. C. *de eod. insert. tam. leg. q. fid.*

(a) V. supra l. 55 et l. 23.

TITULUS II.

Ad legem falcidiam.

SUMMARIA.

1. *Non ultra dodrantem legare potest, sive testatus, sive intestatus.*
2. *Ad omnia legata, etiam ad pias causas, falcidia pertinet.*
3. *Ex omnibus legatis falcidia retinetur, etiam ex usufructu et nominibus.*
4. *Etiam commodi falcidia retinetur, veluti in legato repraesentationis ejus quod sub die debebat testator.*
5. *Interdum solidum solvendum est cum cautione reddendi quod supra falcidium solutum erit.*
6. *Quod haeredi a cohaerede substituto accidit, minuit falcidiam.*
7. *Singuli haeredes habent falcidiam.*
8. *In aere alieno necessaria in funus impensa computantur, non superflua.*
9. *Si haereditas solvendo non sit, nihil debetur legatariis, quamvis ea haereditas emptorem invenerit.*
10. *Si haeres ex parte debiti deciderit cum creditoribus, non ideo legatariis obligabitur.*
11. *Si quid ex haereditate ad haeredem alio jure pervenit, non pertinet ad falcidiam.*
12. *Vir haeres uxoris eum funerat tum ex haereditate, tum ex lucro dotis.*
13. *In servitutis legato falcidia locum habet pro modo aestimationis.*

14. *Fructus pendentes augent haereditatem.*
15. *Retentiones in quadrantem imputantur : et legata quae non praestantur.*
16. *Debitor creditorem instituens potest proibere ne crediti ratio habeatur in falcidia : videtur enim hac conditione instituere.*
17. *Hodie falcidiam non retinet haeres , si testator expressim retentionem prohibuerit.*

Prohibita rei immobilis alienatione , in ea cessat falcidia.

Falcidia non utitur nisi qui inventarium fecerit.

18. *Quadruntem habet haeres cum fructibus ex die mortis.*
19. *In falcidia aestimationis quam fecerit testator ratio non habetur , sed verae.*
20. *Pluribus uni legatis , omissam in quibusdam falcidiam , ex caeteris haeres retinebit.*
21. *Falcidiam minuit quod haeres percipit jure haereditario , non quod alio nomine , veluti si a cohaerede legati nomine accipit.*
22. *Legata liberatio debitori non solvendo , haeredi computatur : aliud si id debitum alteri legetur.*
23. *Quae haereditati deducunt , vel accedunt , ad falcidiam non pertinent , sed haeredis lucro sunt , vel periculo.*
24. *In pendenti an locum habitura sit falcidia , legatarius debet satisdare.*
25. *Onus quod ad haeredem non transit non minuit legata.*
26. *Legatarius oneratus falcidiam retinet , qua ratione eam ipse patitur.*
27. *Legati in diem fructus medii falcidiam minuunt.*
28. *Pro legati conditionalis falcidia cavendum.*

29. *Falcidia locum habet in annuis legatis.*

30. *Nec legatarius nec fideicommissarius ex sua persona falcidiam retinet.*

31. *Pendente causa falcidiae, legata non tota praestabuntur.*

32. *Deducitur ab haerede, quasi aes alienum, quod ex causa fideicommissi habet restituendum.*

33. *Falcidiae ratio mortis tempore ponenda.*

34. *Longo tempore falcidiam haeres non amittit.*

35. *Indignus falcidia qui id egit ut intercidat legatum.*

36. *Pretia rerum ex veritate et communi aestimatione statuenda.*

37. *Nemo locuples ex futuro.*

38. *Pro locis et temporibus, varia rerum pretia.*

39. *Æs alienum ante legata.*

40. *Si quid haereditati sub conditione debeatur in pendenti res cautionibus explicanda est.*

41. *Propter legata conditionalia, cautionibus utendum.*

42. *In individuo legato falcidia per aestimationem deducitur.*

43. *Falcidia locum habet in legatis ad alimenta.*

44. *Haeres qui falsa falcidiae pretextu cunctatur, usuras debet.*

45. *In fideicommissariae haereditatis restitutione quartam minuunt quaecumque judicio defuncti accipit haeres.*

46. *Qui non retenta falcidia solvit vel promisit, ea non utitur.*

47. *In ratione falcidiae omne aes alienum deducitur, etiam quod haeredi debetur.*

1. *Quicumque civis Romanus post hanc legem rogatam testamentum faciet, is quantam cuique civi Romano pecuniam jure publico dare, legare volet, jus potestasque esto. Dum ita detur legatum, ne minus quam partem quartam haereditatis eo testamento haeredes capiant.* l. 1.

Lex falcidia inducta est a divo Pio etiam in intestatorum successionibus (*b*), propter fideicommissa. l. 18. (1)

2. Ad municipium quoque legata, vel (*c*) etiam ea quae Deo relinquuntur, lex falcidia pertinet. l. 1. §. 5.

Ex novella 131, *c.* 12, *plures arbitrantur cessare falcidiam in legatis ad pias causas: sed alius videtur sensus hujus novellae, ut scilicet falcidia ex legatis ad pias causas privetur haeres cunctator. Et ita sentiunt eruditiores* (*d*).

3. Omne quod ex bonis defuncti erogatur, refertur ad hanc legem: sive in corpore constet certo, incertove; sive pondere, numero, mensura valeat; aut etiam si jus legatum sit, ut ususfructus, aut quod in nominibus est. l. 1. §. 7.

Si ususfructus legatus sit, qui et dividi potest, non sicut caeterae servitutes individuae sunt: veteres quidem

---

(1) » Le liberalità, tanto per atto tra vivi quanto per testamento, non potranno oltrepassare la metà de' beni del disponente, quando questi morendo lasci figli. L'altra metà sarà riservata a vantaggio de' figli. » (*Leg. civ. art.* 819).

(b) Quia testator intelligitur relinquere velle haereditatem suam haeredi legitimo, dum eam ipsi non adimit. l. 8 §. 1 *de jure codicillorum.* l. 1 §. 6 *de legatis* 3.

(c) Cujacius putat ponendum *non* loco *vel.*

(d) T. Tiraquell. *de privileg. piae causae*, privil. 26 et 37, ubi excludit falcidiam et Trebellianicam.

aestimandum totum usumfructum putabant, et ita constituendum, quantum sit in legato. Sed Aristo a veterum opinione recessit: ait enim posse quartam partem ex eo, sicut ex corporibus retineri. Idque Julianus recte probat. Sed operis servi legatis, cum neque usus, neque ususfructus in eo legato esse videtur, necessaria est veterum sententia, ut sciamus quantum est in legato: quia necessario ex omnibus quae sunt facti, pars decedere debet, nec pars operae intelligi potest. Imo et in usufructu, si quaeratur quantum hic capiat, cui ususfructus datus est; quantum ad caeterorum legatorum aestimationem, aut etiam hujus ipsius, ne dodrantem excedat legatum, necessario ad veterum sententiam revertendum est. d. l. §. 9. l. 45. §. 1.

Si *in annos singulos* legatum sit Titio, quia multa legata et conditionalia sunt (e), cautioni locus est, quae in edicto proponitur, *quanto amplius accipit*, *reddi*. d. l. §. 16.

Lex falcidia, si interveniat, in omnibus pensionibus locum habet. Sed hoc ex postfacto apparebit. Ut puta in annos singulos legatum relictum est. Quamdiu falcidia nondum locum habet, integrae pensiones annuae dabuntur; sed enim si annus venerit, quo fit, ut contra legem falcidiam ultra dodrantem aliquid debeatur, eveniet ut retro omnia legata singulorum annorum imminuantur. l. 47.

Cum Titio in annos singulos dena legata sunt, et judex legis falcidiae rationem inter haeredem et alios legatarios habeat; vivo quidem Titio, tanti litem ae-

---

(e) Species. Annuum legatum relictum est, et plura alia legata relicta sunt sub conditione. Annuum legatum praestatur ab initio integrum, sed sub conditione restituendi, si forte conditio aliorum legatorum eveniat, quae legata haereditatem exhauriant.

stimare debeat, quanti venire id legatum potest, in incerto posito quamdium victurus sit Titius (a): mortuo autem Titio, non aliud spectari debet, quam quid haeres ex ea causa debuerit. l. 55.

Computationi in alimentis faciendae hanc formam esse Ulpianus scribit (b): ut *a prima aetate* usque ad annum vicesimum quantitas alimentorum triginta annorum computetur, ejusque quantitatis falcidia praestetur: *ab annis vero viginti* usque ad annum vicesimumquintum, annorum viginti octo: *ab annis vigintiquinque* usque ad annos triginta, annorum vigintiquinque: *ab annis triginta* usque ad annos trigintaquinque, annorum viginti duo: *ab annis trigintaquinque* usque ad annos quadraginta, annorum viginti: *ab annis quadraginta* usque ad annos quinquaginta, tot annorum computatio fit, quot aetati ejus ad annum sexagesimum deerit, remisso uno anno: *ab anno vero quinquagesimo* usque ad annum quinquagesimum quintum, annorum novem: *ab annis quinquagintaquinque* usque ad annum sexagesimum, annorum septem: *ab annis sexaginta*, cujuscumque aetatis sit, annorum quinque (c): eoque nos jure uti Ulpianus ait, et circa computationem ususfructus faciendam. Solitum est tamen *a prima*

(a) Idem de aestimatione dotalis debiti viduae testatoris inter haeredem et legatarium.

(b) Nota l. 68 *ad legem falcidiam* male applicatam esse a Triboniano ad falcidiam; utpote quae scripta fuerat tantum ad legem vigesimam; et ita in favorem fisci, jus valde auctum fuerat. Cujac. 9. obs 24. Vide Leges civiles super falcidiam.

(c) Per istam legem annuus reditus et temporalis aestimatur usque ad rationem triginta annorum; verum apud nos hodie annui reditus perpetui aestimantur, tantum ad rationem vigesimae: unde non observatur lex ista apud nos.

aetate usque ad annum trigesimum, computationem annorum triginta fieri : *ab annis vero triginta*, tot annorum computationem inire, quot ad annum sexagesimum deesse videntur. Numquam ergo amplius quam triginta annorum computatio initur. l. 68.

4. Si quis creditori suo, quod debet legaverit; aut inutile legatum erit, si nullum commodum in eo versabitur, aut si propter repraesentationis (*d*) (puta) commodum utile erit, lex quoque falcidia in eo commodo locum habebit. l. 1. §. 10.

5. Interdum omnimodo necessarium est solidum solvi legatario, interposita stipulatione, *quanto amplius quam per legem falcidiam ceperit, reddi* : veluti, si .... testamento quaedam sub conditione legata sunt, quae an debeantur, incertum est : et ideo si haeres sine judice solvere paratus sit, prospiciet sibi per hanc stipulationem (*e*). l. 1. §. 12.

6. Id quod ex substitutione cohaeredis ad cohaeredem pervenit, proficit legatariis. Is enim similis est haeres, ex parte pure, ex parte sub conditione haeredi institutio. l. 1. §. 13.

7. Si cohaeredis mei portio exhausta sit, mea integra, et illam vindicavero (*f*); Cassius confundendas

(d) V. l. 10. §. 12 l. 18 §. 2 *quae in fraudem creditorum.*

(e) Ad sciendum num legatario an haeredi competat provisio, distinguendum : si haeres falcidiae valorem penes se habet, is vero passiva solum debita habeat aut legata conditionalia provisio datur legato puro et simplici cum onere pro legatario dandi cautionem : at si solvendo integre legata non remanet haeredi falcidia, et spes ei sola sit recuperandi debita activa conditionalia, provisio danda haeredi; ita ut legatum ipse non solvat purum et simplex in integrum, at falcidiam retinebit per provisionem, et cautionem dabit legatario. *V. n.* 24. 31. et 41.

(f) Quid haeres non oneratus qui repudiantis; partem oneratam

esse partes existimat, Proculus contra: in qua specie et Julianus Proculo adsensit; quam sententiam probabiliorem esse puto. Sed et Divus Antoninus judicasse dicitur commiscendas esse utrasque partes in computatione legis falcidiae. l. 1. §. 14.

In legem falcidiam aeris alieni rationem in haereditate relicti, quod unus ex haeredibus solvere damnatus sit, ipse solus habebit. l. 8.

In singulis haeredibus rationem legis falcidiae componendam esse non dubitatur: et ideo si Titio et Seio haeredibus institutis, semis haereditatis Titii exhaustus est, Seio autem quadrans totorum bonorum relictus sit, competit Titio beneficium legis falcidiae. l. 77.

Quod si alterutro eorum deficiente, alter haeres solus extiterit, utrum perinde ratio legis falcidiae habenda sit, ac si statim ab initio is solus haeres institutus esset, an singularum portionum separatim causae spectandae sunt? Et placet, si ejus pars legatis exhausta sit, qui haeres extiterit, adjuvari legatarios per deficientem partem; quia ea non est legatis onerata; quia et legata quae apud haeredem remanent, efficiunt ut caeteris legatariis aut nihil aut minus detrahatur. Si vero defecta pars fuerit exhausta, perinde in ea ponendam rationem legis falcidiae, atque si ad eum ipsum pertineret a quo defecta fieret. l. 78.

8. Marcellus consultus, an funeris monumentique

---

capit, jure accrescendi, potest ne falcidiam deducere ex parte accrescente? Respondeo affirmative per l. 78 *hic.* Ratio quia onus quod accrescit, accrescere debet cum beneficio, praeterea melior esse non debet conditio legatariorum cum haeres oneratus repudiat, quam si adiret.

impensa, quantum testator fieri jussit, in aere alieno deduci debeat? Respondit, non amplius eo nomine quam quod funeris causa (*a*) consumptum est, deducendum. l. 1. §. ult.

9. Si haeres institutus eam haereditatem quae solvendo non est, vendiderit, vix quidem poterit persuaderi non fuisse eam haereditatem solvendo (*b*), quae emptorem invenerit: vera autem ratione nihil legatariis debebitur; quia magis ex stultitia emptoris (*c*) habere videtur haeres institutus, quam ex bonis defuncti. Nam et e contrario, si male vendiderit res haereditarias, non erit hoc legatariorum detrimentum: ita ergo commodum debet esse haeredis, si bene res administraverit. l. 3.

10. Sed et si is qui solvendo non est, legaverit, et haeres cum creditoribus deciderit, ne solidum solveret, et ob eam decisionem factum sit ut aliquid retineret, nihil tamen legatariis debiturum: quia eam pecuniam non ex haereditate, sed ex decisione habet (*d*). l. 3. §. 1. (*e*).

(a) Ineptas defunctorum voluntates circa sepulturam non valere Papinianus scripsit. l. 113 §. ult. *de legatis* 1, l. 17 *de conditionibus et demonstrationibus*. l. 14 §. 6 *de religiosis et sumptibus funerum*. At distinguendum inter creditores et legatarios. Creditores possunt impugnare voluntatem defuncti circa impensas sepulturae debitoris, si forte majores fieri jusserit debitor. Legatarii contra audiri non debent si voluntatem defuncti aggrediantur, quia haec voluntas preferri debet caeteris legatis. Ratio quia testator in funere et monumento legasse dicitur in favorem suum.

(b) Gotof. aut compendium negotiationis extra rem esse.

(c) Id quidem subtilius est, sed non est verum. Dici debet id quod haeres optime gesserit prodesse legatariis: secus vice versa, pretium enim succedit loco rei, pretium venditionis habet haeres tanquam haeres.

(d) Idem dicendum ac in lege superiori.

(e) V. contra l. 89 §. 4, *de legatis* 2.

11. Fundo legato mihi sub conditione, pendente legati conditione. haeres me haeredem instituit, ac postea legati conditio extitit. In falcidiae ratione fundus non jure haereditario, sed legati, meus esse intelligitur (*f*). l. 4.

12. Si vir uxori haeres extiterit, et in funus ejus impenderit, non videtur totum (*g*) quasi haeres impendere, sed deducto eo quod quasi dotis nomine, quem lucrifacit, conferre debuerit. l. 6.

13. Lege falcidia interveniente legata servitus, quoniam dividi non potest, non aliter in solidum restituetur, nisi partis offeratur aestimatio. l. 7.

14. In falcidia placuit, ut fructus postea percepti, qui maturi mortis tempore fuerunt, augeant haereditatis aestimationem fundi nomine, qui videtur illo in tempore fuisse pretiosior. l. 9.

15. In ratione legis falcidiae retentiones omnis temporis haeredi in quadrantem imputantur. l. 11.

Incrementum pleniorem faciet haereditatem. l. 56 §. 1 in f. *eod.*

Non est dubium quin ea legata a quibus haeres summovere exceptione petitorem potest, in quartam ei imputentur, nec caeterorum legata minuant. Nec interest, utrum ab initio quasi inutile fuerit, an ex accidenti postea in eum casum pervenisset legatum, ut actio ejus denegaretur. l. 50 et 51.

Quacumque ex causa legata non praestantur, impu-

(*f*) Quia primus haeres in aere alieno habebat fundum quem restituere tenebatur. l. 54.

(*g*) Ergo uxor sepelitur ex dote et ex paraphernis pro rata. l. 16 *de religiosis et sumptibus funerum.* l. 22 ibid.

tantur haeredi in quartam partem, quae propter legem falcidiam remanere apud eum debet. l. 52 §. 1.

16. Si debitor, creditore haerede instituto (*a*), petiisset, *ne in ratione legis falcidiae ponenda creditum suum legatariis reputaret*: sine dubio ratione doli mali exceptionis apud arbitrum falcidiae, defuncti voluntas servatur. l. 12.

17. Frater, cum haeredem sororem scriberet (*b*), alium ab ea cui donatum volebat, stipulari curavit, *ne falcidia uteretur, et ut certam pecuniam, si contra fecisset, praestaret*. Privatorum cautione legibus non esse refragandum constitit (*c*): et ideo sororem jure publico retentionem habituram et actionem ex stipulatu denegandam (*d*). l. 15 §. 1.

Si expressim designaverit (testator) *non velle haeredem retinere falcidiam*, necessarium est testatoris valere sententiam: et aut volentem eum parere testatori, forsan etiam quaedam juste et pie relinquenti; lucrum non in percipiendo, sed solummodo pie agendo habentem (*e*), et non videri sine lucro hujusmodi esse hereditatem. Aut si parere noluerit, eum quidem rece-

---

(a) Idem in l. 66, ubi prohiberi potest falcidia: secus in l. 27 cod. et in l. 15. §. 1.

(b) Haec stipulatio valet post mortem testatoris, et sic intelligenda est lex 20 §. 1 *de donationibus*.

(c) Sic si testator non potest cavere cum haerede ne utatur beneficio inventarii; nec potest cavere ne leges civiles locum habeant. l. 55 *de legatis* 1: verum hodie potest prohibere falcidiam.

(d) Jus enim nondum acquisitum repudiari non potest.

(e) Gotofr. ad hanc Nov. ait, testamentum non infirmari si haeres repudiet propter prohibitionem falcidiae, sed legata valere, quia ex Nov. datur haereditas post haeredem iis omnibus qui scripti sunt in testamento.

dere ab hujusmodi institutione. Locum vero fieri (sicut dudum praediximus) substitutis, et cohaeredibus, et fideicommissariis, et legatariis, et servis, et iis qui ab intestato sunt, et aliis secundum prius a nobis inventam in talibus viam. N. 1. c. 2. in f. V. l. 73. h.

Cessat etiam falcidia in iis quorum alienationem testator prohibuerit (*f*). Nov. 119. cap. ult.

Fiat inventarium ab haerede metuente ne forte non habeat, post debita et legata, falcidiam. Nov. 1. c. 2. §. 1.

Si vero non fecerit inventarium, non retinebit falcidiam, sed complebit legatarios et fideicommissarios, licet purae substantiae morientis transcendat mensuram legatorum datio (*g*). d. c. 2. §. 2.

18. Ex die mortis fructus quadrantis apud haeredem relinqui necesse est. l. 15. §. 6. in fin.

19. Quarta, quae per legem falcidiam retinetur, aestimatione, quam testator fecit, non magis minui potest, quam auferri (*a*). l. 15. §. ult.

In falcidia aestimatio pretii rerum, ex veritate facienda est. (*b*). Vide infra l. 62. §. 1.

(f) Quia voluit testator eas res perpetuo remanere in familia legatarii: unde minui et scindi non debent per falcidiam. Item ergo dicendum et si legatum obnoxium sit fideicommisso et restitutioni; et tamen cum secundum legatum relictum est a primo, primus legatarius, qui falcidiam patitur etiam imputat secundo pro rata: unde Nov. 119, c. ult. restringi debet ad casum suum ubi alienatio expresse prohibita est.

(g) Quid de Trebelliana? Haeres privaturne Trebellianica, si inventarium non fecerit? Poenae extendi non debent. V. Leges civ. tit. *de Trebellianica*.

(a) Idem dicendum in collationibus faciendis.

(b) Neque enim in affectione et utilitate singulorum res aestimandas, sed communiter et quanti omnibus valerent. l. 33 *ad legem Aquiliam*.

20. Si ex pluribus rebus legatis haeres quasdam solverit, ex reliquis falcidiam plenam per doli exceptionem retinere potest, etiam pro his, quae jam data sunt. Sed et si una res sit legata, cujus pars soluta sit, ex reliquo potest plena falcidia retineri (*c*). l. 16. d. l. §. 1.

21. Quod a cohaerede legatorum nomine percipitur, non solet legatariis proficere, quominus falcidiam patiantur: sed cum is qui legatum praestiturus est, ab eodem aliquid ex testamento petit, non est audiendus, desiderans uti adversus eum falcidiae beneficio, si id, quod percepturus est ex voluntate testatoris, suppleat, quod deducere desiderat. l. 22. (*d*).

Quod autem dicitur: *Si ex judicio defuncti quartam habeat haeres, solida praestanda esse legata*, ita accipere debemus, si hereditario jure habeat. Itaque quod quis legatorum nomine a coherede accepit, in quadrantem ei non imputatur. l. 74.

In quartam haereditatis, quam per legem falcidiam haeres habere debet, imputantur res quas jure haereditario capit, non quas jure legati, vel fideicommissi, vel implendae conditionis causa accipit; nam haec in quartam non imputantur. l. 91.

Fundo legato mihi sub conditione, pendente legati conditione, haeres me haeredem instituit, ac postea legati conditio extitit: in falcidiae ratione fundus non jure haereditario, sed legati, meus esse intelligitur. l. 4.

(c) Secus si quibusdam legatariis haeres solverit absque retentione falcidiae, tenetur caeteris solidum praestare, quia judicium defuncti agnovit.

(d) Infra n. 45 et quae ibi dixi, et l. 22. §. 2. *ad Trebell.*

22. Si debitori liberatio legata sit (e), quamvis solvendo non sit, totum legatum computetur; licet nomen hoc non augeat haereditatem, nisi ex eventu. Igitur, si falcidia locum habeat, hoc plus videbitur legatum, quod huic legatum esset: caetera quoque minuentur legata per hoc, et ipsum hoc per alia: capere enim videtur, eo quod liberatur. Sed si alii hoc nomen legetur, nullum legatum erit, nec caeteris contribuetur. l. 22. §. 3 et 4.

23. In ratione legis falcidiae mortes servorum (f), ceterorumque animalium, furta, rapinae, incendia, ruinae, naufragia, vis hostium, praedonum, latronum, debitorum facta pejora nomina, in summa quodcumque damnum, si modo culpa legatarii careant, haeredi pereunt. Quemadmodum ad haeredis lucrum pertinent fructus, partus ancillarum, et quae per servos acquisita sunt, item servitutes quibus liberata praedia pretiosiora fierent, actionesque adquisitae, ut furti, damni, injuriae, similesque; quorum nihil in rationem legis falcidiae cadit. l. 30. V. l. 56 et 75.

24. Is cui fideicommissum solvitur, sicut is cui legatum est, satisdare debet quod amplius ceperit, quam per legem falcidiam ei licuerit, reddi: veluti cum propter conditionem aliorum fideicommissorum vel legatorum, legis falcidiae causa pendebit. l. 31. V. num. 5. num. 31 et 41.

25. Ea demum obligatio rei bonis diminutionem praestat, quae in haeredem transit. l. 32.

(e) Unusquisque sibi ipsi est solvendo. V. l. 26 §. 2. *mandati*, *vel contra*.

(f) Res suo domino perit.

26. Si Titio viginti legatis, portio per legem falcidiam detracta esset, cum ipse quoque quinque Sejo rogatus esset restituere. Vindius noster tantum Sejo pro portione ex quinque detrahendum ait, quantum Titio ex viginti detractum esset; quae sententia et aequitatem et rationem magis habet; quia exemplo haeredis legatarius ad fideicommissa praestanda obligabitur: nec, quia ex sua persona legatarius inducere legem falcidiam non possit (a), idcirco, quod passus esset, non imputaturum; nisi forte testator ita fidei ejus commisisset, ut totum quidquid ex testamento cepisset, restitueret. l. 32. §. 4. V. l. 47. §. 1. et infra n. 43.

27. In lege falcidia non habetur pro puro quod in diem relictum est: medii enim temporis commodum computatur. l. 45.

Tanto minus erogari ex bonis intelligendum est (b), quantum interea, donec dies obtingit, haeres lucratus est ex fructibus vel usuris. l. 73. §. 4. (c).

28. In his legatis, quae sub conditione relicta sunt, Proculus putabat, cum quaeritur de lege falcidia, tantum esse in legato, quanti venire possunt: quod si est, et deductio sic potest fieri, ut tantum videatur vi deberi, quanti nomen venire potest: sed haec sententia non probatur. Cautionibus ergo melius res temperabitur. l. 45. §. 1. V. l. 53. et 73. §. 1. et 2. l. 1. §. 9.

(g) l. 20 *de donationibus causa mortis*. V. supra l. 77. §. 1. *de legatis* 2. in fine quae continet exceptionem.

(b) V. l. 22 §. 2 *ad Trebell.*

(c) Quia haeres fruitur tunc ex judicio defuncti non testamento per negligentiam legatarii.

29. Lex falcidia, si interveniat, in omnibus pensionibus locum habet. l. 47. V. l. 68.

30. Nunquam legatarius, vel fideicommissarius (*d*), licet ex Trebelliano senatusconsulto restituitur ei haereditas, utitur legis falcidiae beneficio. l. 47. §. 1. V. s. l. 32. §. 4.

31. Si propter ea, quae sub conditione legata sunt, pendet legis falcidiae ratio, praesenti die data, non tota vindicabuntur. l. 53. V. s. 45 §. 1 n. 5 24 et 41.

32. Pater filium, ex quo tres habebat nepotes, haeredem instituit, fideique ejus commisit, *ne fundum alienaret, et ut in familia eum relinqueret*: filius decedens tres filios scripsit haeredes. Quaerendum est, an omnino quasi creditores unusquisque in ratione legis falcidiae aliquid possit deducere (*e*); quia in potestate sua habuit pater cui ex his potius relinquere? Sed hac ratione nemo in falcidiae ratione quicquam deducet: quod videndum, ne dure constituatur: utique enim in alieno aere habuit fundum: necessitate quippe obstrictus fuisset filiis eum relinquendi. l. 54. V. l. 4. supra n. 11.

33. Mortis tempus in ratione legis falcidiae ineunda placuit observari. l. 56. V. l. 30. supra.

In quantitate patrimonii exquirenda visum est, mortis tempus spectari. Qua de causa, si quis centum in bonis habuerit, tota ea legaverit, nihil legatariis prodest, si ante aditam haereditatem per servos haereditarios, aut ex faetu pecorum tantum accesserit haereditati, ut centum legatorum nomine erogatis, habiturus sit haeres

---

(d) Quia semel adita fuit haereditas.

(e) Quid si pater elegit unum e tribus, potestne eum fideicom, misso gravare?

quartam partem; sed necesse est ut nihilominus quarta pars legatis detrahatur. Et ex diverso, si ex centum, septuaginta quinque legaverit, et ante aditam haereditatem in tantum decreverint bona (incendiis forte, aut naufragiis, aut morte servorum), ut non plus quam septuagintaquinque, vel etiam minus relinquatur; solida legata debentur. Nec ea res damnosa est haeredi, cui liberum est non adire haereditatem. Quae res efficit, ut necesse sit legatariis, ne destituto testamento nihil consequantur, cum haerede in portionem legatorum pacisci. l. 73. secus post Nov. 1. V. supra n. 17.

34. Legis falcidiae beneficium haeres etiam post longum tempus mortis testatoris implorare non prohibetur (*a*). l. 58.

35. Beneficio legis falcidiae indignus esse videtur qui id egerit, ut fideicommissum intercidat (*b*). l. 59.

36. Corpora, si qua sunt in bonis defuncti, secundum rei veritatem aestimanda erunt, hoc est, secundum praesens pretium: nec quicquam eorum formali (*c*) pretio aestimandum esse sciendum est. l. 62. §. 1.

Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur (*d*). l. 63. V. s. l. 15. §. ult. (*e*).

37. Praeposterum *est* ante nos locupletes dici, quam adquisierimus. l. 63.

(a) Idem de herede quatuor e quinque partibus. Exceptio perpetua est.

(b) Pariter indignus est legato qui testamentum celavit. l. 2. C. *de legatis*. V. supra *de his quae ut indignis*. n. ult.

(c) Formale pretium regulariter significat commune pretium, sed hic significat particulare, et ex affectu singulari, *ιδιον συμβολικον*. Gotofr. hic.

(d) Ad l. 63. Vide Domat, *de Falcidia* 8.

(e) L. 33. *ad legem Aquiliam*.

38. Non nullam pretio varietatem loca temporaque adferunt: nec enim tantidem Romae, et in Hispania oleum aestimabitur; nec continuis sterilitatibus tantidem, quanti secundis fructibus: dum hic quoque non ex momentis temporum, nec ex ea quae raro accidat caritate, pretia constituantur. l. 63. §. 2.

39. Sicuti legata non debentur, nisi deducto aere alieno aliquid supersit, nec mortis causa donationes debebuntur, sed infirmantur per aes alienum. l. 66. §. 1.

40. Magna dubitatio fuit de his, quorum conditio mortis tempore pendet, id est, an quod sub conditione debetur, in stipulatoris bonis adnumeretur, et promissoris bonis detrahatur? Sed hoc jure utimur, ut quanti ea spes obligationis venire possit (*f*), tantum stipulatoris quidem bonis accedere videatur; promissoris vero decedere; aut cautionibus res explicari potest, ut duorum alterum fiat; aut ita ratio habeatur tanquam pure debeatur; aut ita tanquam nihil debeatur: deinde haeredes et legatarii inter se caveant, ut, existente conditione, aut haeres reddat quanto minus solverit, aut legatarii restituant quanto plus consecuti sint. l. 73. §. 1.

41. Sed etsi legata quaedam pure, quaedam sub conditione relicta efficiant ut, existente conditione, lex falcidia locum habeat, pure legata cum cautione redduntur. Quo casu magis in usu est (*g*), solvi quidem pure legata, perinde ac si nulla alia sub conditione legata fuissent: cavere autem legatarios debere, ex

(f) Cautionibus autem melius res temperabitur. l. 45 §. 1 sup.

(g) Et ita favetur legatariis in dubio. V. supra n. 5. et l. 1. §. 12.

eventu conditionis, quod amplius accipissent, redditum iri. l. 73. §. 2. V. s. l. 45. §. 1.

42. Quaedam legata divisionem non recipiunt, ut ecce legatum viae, itineris, actusve: ad nullum enim ea res pro parte potest pertinere. Sed et si opus municipibus haeres facere jussus est, individuum videtur legatum: neque enim ullum balneum, aut (ullum) theatrum, aut stadium fecisse intelligitur, qui ei propriam formam, quae ex consummatione contingit, non dederit. Quorum omnium legatorum nomine, etsi plures haeredes sint, singuli in solidum tenentur. Haec itaque legata quae dividuitatem non recipiunt, tota ad legatarium pertinent. Sed potest haeredi hoc remedio succurri, ut aestimatione facta legati, denuntiet legatario ut partem aestimationis inferat: si non inferat, utatur adversus eum exceptione doli mali. l. 80. §. 1.

43. Divi Severus et Antoninus rescripserunt, pecuniam relictam ad alimenta puerorum falcidiae subjectam esse: et, ut idoneis nominibus colloretur pecunia, ad curam suam revocaturum praesidem provinciae (*a*). l. 89.

44. Divi Severus et Antoninus generaliter rescripserunt Bononio Maximo, usuras praestaturum eum „qui frustationis causa beneficium legis falcidiae implora- vit (*b*). l. 89. §. 1. (*c*).

45. In fideicommissaria haereditate restituenda (*d*),

(a) Contra si prius legatum oneratum alimentis passum fuerit falcidiam. l. 77 §. 1. *de legatis* 2. V. supra n. 26.

(b) Mala fides parit usuras ipso jure.

(c) V. l. penul. de usuris.

(d) * Lex eadem 91 in principio ait: In quartam haereditatis quam per legem falcidiam haeres habere debet, imputantur res quas

sive legatum vel fideicommissum datum sit haeredi, sive praecipere, vel deducere, vel retinere jussus est, in quartam id ei imputatur. l. 91. §. 1.

Filium quem habentem fundum, portionem haereditatis fratribus et quibusdam aliis sub conditione verbis precariis restituere sanxit testator (*e*): post ejus eventum hereditariâ parte praedii in quartae ratione retenta, compensato praeterea quod a cohaeredibus vice mutua percepit, et, si quid deest, in supplementum deducto, quod a caeteris in eo fundo solvitur, supra quartam habens, reddere compellitur. l. 24. C. *fam. ercisc.*

Aliud in legatis et fideicommissis particularibus. V. s. n. 21.

46. Scire debes, omissa falcidia, quo pleniorem

---

jure haereditario capit, non quas jure legati vel fideicommissi, vel conditionis implendae causa accipit; nam haec in quartam non imputantur. Unde principium legis pugnat cum §. 1. Varii autem varia ad conciliationem excogitaverunt; Cujacius, Govea, Anton. Fab., Gotofr. Ego puto discrimen hic statui inter falcidiam et Trebellianicam. In falcidiam non imputantur nisi quae jure haereditario percepta sunt: secus in Trebellianicam. Revera principium legis loquitur de legatis, paragraphus autem primus de integra haereditate restituenda et fideicommisso. V. s. n. 21.

(e) In restitutione universali portionis suae filius legitimam nondum deducebat tempore hujus legis 24, sed tantum Trebellianicam. Imputat autem in Trebellianicam quae ut haeres capit; id est, a seipso in legato sibi relicto. Item imputat quae capit tanquam legatarius a cohaeredibus suis in eodem legato, ad discrimen falcidiae. Porro fundus filio praelegatus vel excedit ejus Trebellianicam, vel est infra. Si excedit, filius reddere compellitur quod supra quartam habet. Si fundus non attingit totam Trebellianicam, cohaeredes quibus fit restitutio portionis a filio tenentur ipsi supplere quod deest: quando filius tenetur restituere portionem haereditatis, computari debet in ea pars fundi legati quam a seipso capit, quia capit eam ut haeres

fidem restituendae portionis exhiberet, non videri plus debito solutum esse (*f*). l. 1. C. *eod.*

Error facti quartae ex causa fideicommissi non retentae, repetitionem non impedit (*g*). Is autem qui sciens se posse retinere, universum restituit, condictionem non habet: quin etiamsi jus ignoraverit, cessat repetitio. l. 9. Cod. *eod.*

Sive solverit, sive super hôc cautionem fecerit, aequitatis ratio similia suadere videtur. l. ult. in f. C. *eod.*

47. In imponenda ratione legis falcidiae, omne aes alienum deducitur: etiam quod ipsi haeredi mortis tempore debitum fuerit, quamvis aditione haereditatis confuse sint actiones. l. 6. C. *eod.*

(f) V. l. 5 §. 13 14 *de donationibus inter virum et uxorem:*
(g) V. l. 68 §. 1 *ad Trebellianum*, n. 86.

TITULUS III.

Si cui plus quam per legem falcidiam licuerit, legatum esse dicetur.

SUMMARIA.

1. *Propter falcidiam et aes alienum aestimanda bona, advocatis legatariis et creditoribus.*

1. Cum dicitur lex falcidia locum habere, arbiter dari solet, *ad ineundam quantitatem bonorum*; tametsi unus aliquid modicum fideicommissum persequatur. Quae computatio praejudicare non debet caeteris qui ad arbitrum missi non sunt (a). Solet tamen ab haerede etiam caeteris denuntiari fideicommissariis, *ut veniant ad arbitrum, ibique causam suam agant*: plerumque et creditoribus, *ut de aere alieno probent*. l. 1 §. 6.

(a) Res inter alios aestimata aliis non nocet, et maxime si non respondente haerede et per contumaciam ejus aestimatio facta sit, tunc enim non creditur jus ex sententia judicis fieri. l. 17 §. 1 *de inofficioso testamento*.

LIBER XXXVI.

TITULUS I.

Ad senatusconsultum Trebellianum.

SUMMARIA.

1. *Totum jus haereditatis ab haerede restituente transit ad fideicommissarium, retenta quarta, si ipse velit.*
2. *Si plures sint gradus fideicommissi, solus unus quartam retinet.*
3. *Fideicommisso rogatus ut quem haeredem instituat, non de sua, sed de testatoris haereditate rogatus videtur.*
4. *Sine liberis decessit, qui quos susceperat vivus amisit.*
5. *Patre et filio simul morientibus, extitit conditio,* si sine liberis pater decederet.
6. *Haec verba*, si alieno haerede moriaris, *solos liberos excipiunt.*
7. *Fructus non veniunt in fideicommisso, nisi ex mora, aut si id testator voluerit.*
8. *Fructus quartam minuunt extraneis haeredibus, non liberis.*
9. *Decedens uxore praegnante transmittit legatum quod ad tempus liberorum collatum erat.*
10. *Fructus quos haeres post diem fideicommissi ex negligentia fideicommissarii percipit, quartam non minuunt.*
   Ante diem percepti fructus quartam minuunt.

11. *Haeres in fideicommisso culpam praestat dolo proximam.*

12. *Ex sumptus detrahit.*

13. *Rogata a patre filia haereditatem restituere, dos ejus fideicommisso decedit.*

14. *Cohaeredibus restituenda haereditas pro eorum portionibus distribuitur, nisi aliud testatorem voluisse appareat.*

15. *Haeres qui portionem haereditatis habet pro falcidia onera patitur : non is qui pecuniam retinet vel rem certam.*

16. *Substitutum novissime morituro ex filiis, si simul moriantur, excludit eorum mater.*

17. *Fraudator fideicommissi pater restituere cogitur filio ante conditionis eventum : sed egenti patri subveniendum.*

18. *Fideicommissarius qui et ipse rogatus est alteri restituere non retinet quartam. Adita haereditate, firmatur tota causa testamenti.*

19. *His verbis*, quidquid ex haereditate, vel bonis, *non continentur fructus quos haeres perceperit pendente restitutione : sed legata sibi, et praeceptiones continentur.*

20. *Ex fideicommisso nepti ab avo*, si uterque filiorum sine liberis decesserit, *primo relictis liberis, mortuo secundo sine liberis, neptis secundo succedit.*

21. *Haec verba*, filiis meis, vel uni eorum, vel nepotibus, vel cui volueris, *substitutionem faciunt inter filios, inter nepotes dant jus eligendi.*

22. *Ad haeredem non pertinet periculum nominum, etsi a quibusdam pecuniam exegerit.*

23. *Quamvis haeres distrahere peritura non cogatur,*

eorum pretia, si pereant, aut minuantur, quartam minuunt.

24. *Publice interest etiam perperam judicato pareri.*

25. *Qui per errorem facti quartam non retinuit, eam petere potest.*

26. *Nocet fideicommissario praescriptio contra haeredem.*

27. *Si quis inveniatur in haereditate quam restituerat haeres, is tenebitur, nisi sine ejus dolo transactum sit.*

1. *Cum esset aequissimum, in omnibus fideicommissariis haereditatibus, si qua de his bonis judicia penderent, ex his eos subire, in quos jus fructusque transfertur, potius quam cuique periculosam esse fidem suam: placet ut actiones, quae in haeredem haeredibusque dari solent, eas neque in eos, neque iis dari qui fidei suae commissum, sicut rogati essent, restituissent; sed his, et in eos, quibus ex testamento fideicommissum restitutum fuisset: quo magis in reliquum confirmentur supremae defunctorum voluntates.* l. 1. §. 2.

Sed quia haeredes scripti, cum aut totam haereditatem aut pene totam plerumque restituere rogabantur, adire haereditatem ob nullum vel minimum lucrum recusabant, atque ob id extinguebantur fideicommissa: postea Vespasiani Augusti temporibus, Pegaso et Pusione consulibus, senatus censuit, ut ei, qui rogatus esset haereditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege falcidia ex legatis retinere conceditur. Ex singulis quoque rebus (*b*), quae

(b) * *Lex* 1 §. 16 *habet*: Si haeres percepto fundo rogatus sit haereditatem restituere, restituet, nec multum facit si fundus pignori

fideicommissum relinquitur, eadem retentio permissa est. §. 5. Inst. *de fideicomm. haered.*

2. Inde Neratius scribit: si haeres rogatus restituere *totam haereditatem, non deducta falcidia, rogato et ipsi,* (*ut*) *aliis restituat* (c): non utique debere eum detrahere fideicommissario secundo quartam; nisi liberalitatem tantum ad priorem fideicommissarium haeres voluit pertinere. l. 1. §. 19. V. l. 55. §. 2. V. s. *ad leg. falc.* l. 47. §. 1.

Quod ad jus publicum attinet (filius familias) (d) non sequitur jus potestatis. l. 14. V. l. 77 *de judiciis.*

3. Ex facto tractatum est, an per fideicommissum rogari quis possit, ut aliquem haeredem faciat? Et senatus censuit rogari quidem quem, ut aliquem haeredem faciat, non posse: verum videri per hoc rogasse, ut haereditatem suam ei restituat: id est, quidquid ex haereditate sua consecutus est, ut ei restitueret (a). l. 17.

4. Si quis (rogatus, *ut, si sine liberis decessisset, restitueret haereditatem*) susceperit quidem filium, verum vivus omiserit, videbitur sine liberis decessisse. l. 17. §. 7. d. l. §. 5.

---

datus est, neque enim aeris alieni personalis actio fundum sequitur, sed eum cui haereditas restituta est. V. l. 50 §. 1 *de judiciis.* l. ult. C. *de haereditariis actionibus.* l. 15 C. *donationibus.*

(c) Cambolas 5. 27.

(d) Si quis filiusfamilias sit, et magistratum gerat; patrem suum, in cujus est potestate, cogere poterit suspectam dicentem haereditatem, adire et restituere. l. 13 §. ult.

(a) Ratio hujus legis, quod testator non potest praeripere haeredi suo facultatem sibi alterum haeredem instituendi, quia testamentum est voluntatis nostrae sententia, non alienae. Imo et haeres non potest sibi hanc facultatem praeripere: preterea testator non potest haeredem suum onerare ultra valorem haereditatis suae.

5. Sed si naufragio, vel ruina, vel adgressu, vel quo alio modo (*filius*) simul cum patre perierit, an conditio (*si sine liberis pater decederet*) defecerit, videamus? Et magis non defecisse arbitror, quia non est verum filium ejus supervixisse. Aut igitur filius supervixit patri et extinxit conditionem fideicommissi; aut non supervixit, et extitit conditio (*b*). Cum autem quis ante, et quis postea decesserit, non apparet, extitisse conditionem fideicommissi magis dicendum est. l. 17. §. penul.

Cur non hic praesumitur supervixisse filius patri (*c*), ut in l. 9. §. 1. ff. *de rebus dubiis*. V. infra h. t. l. 34.

6. Si quis ita fideicommissum reliquerit, *fidei tuae, fili, committo, ut si alieno haerede moriaris, restituas Sejo haereditatem*, videri eum de liberis sensisse Divus *Pius* rescripsit: et ideo, cum quidam sine liberis decederet, avunculum ab intestato bonorum possessorem habens, extitisse conditionem fideicommissi rescripsit. l. 17. §. ult. *Paris*. 325.

7. In fideicommissaria haereditatis restitutione constat non venire fructus, nisi mora facta est; aut cum quis specialiter fuerit rogatus et fructibus restituere. l. 18. l. 57.

Quoties quia rogatur haereditatem restituere, id vi-

(b) Ratio quia testator praetulit fideicommissarium cuilibet, excepto filio haeredis: cum ergo filius non potest haereditate frui, fideicommissarius admitti debet ex praesumpta voluntate. Nec distinguendum utrum filius pubes vel impubes sit, ut in tit. *de rebus dubiis*. Praesumptio enim quae ex aetate sumitur est subsidiaria cuilibet alteri juris rationi. V. n. 6 7 8 9 *de rebus dubiis*.

(c) Scilicet in favorem fideicommissi et ut valet.

detur rogatus reddere (d) quod fuit haereditatis. Fructus autem non haereditati, sed ipsis rebus accepto feruntur. d. l. §. 2.

8 Sed fructus in quartam imputantur. l. 18. §. 1. Ante diem fideicommissi cedentem fructus et usurae, quas debitores haereditarii, cum postea cessisset dies, solverunt, item mercedes praediorum ab haerede perceptae, portioni quadrantis imputabuntur. l. 58. §. 5. Jubemus quoties pater vel mater, filio seu filia, filiis vel filiabus, ex aequis vel inaequis partibus haeredibus institutis, invicem seu simpliciter quosdam ex his, aut quemdam rogaverit, *qui prior sine liberis decesserit, portionem haereditatis suae superstitibus restituere*: ut omnibus modis retenta quarta pro auctoritate Trebelliani senatusconsulti, non per imputationem redituum, licet hoc testator rogaverit vel jusserit, sed de ipsis rebus haereditariis, dodrans restituatur (e). Idemque in retinenda legis falcidiae portione obtinere jubemus: et si pater vel mater, filio seu filia institutis (sicut supra scriptum est) haeredibus, rogaverit eos easve *nepotibus vel neptibus, pronepotibus vel proneptibus suis, ad deinceps restituere haereditatem*. l. 6. C. *eod.* V. §. ult.

9. Si ad tempus liberorum fuerit legatum relictum,

(d) Item restituuntur ipso jure post plures annos alimenta legata, pensiones annuae legatae. l. 10. §. 1. *de alimentis legatis.*

(e) *Ratio ob quam* fructus non imputantur filio in quartam Trebellianicam, est quia tempore Justiniani filius non deducebat duas quartas; sed ista jurisprudentia postea tantum introducta est. Porro licet filius oneratus fideicommisso deducat legitimam et Trebellianicam, tamen oneratus legatis non potest legitimam et falcidiam simul deducere, nec jus quod in Trebellianica obtinuit tractum est ad similem causam falcidiae.

et is uxore praegnante decesserit, ad haeredem suum transferat legatum. l. 20.

Is, qui ita legatum est, *quandoque, liberos habuerit*, si praegnante uxore relicta decesserit, intelligitur expleta conditione decessisse (*a*), et legatum valere; si tamen posthumus natus fuerit. l. 18. ff. *quando dies leg. ced.*

10. Si haeres post multum temporis restituat, cum praesente die fideicommissum sit, deducta quarta restituet: fructus enim qui percepti sunt, negligentia petentis, non judicio defuncti percepti videntur. Alia causa est, si sub conditione vel in diem rogatus fuerit: tunc enim quod percipitur, summovet falcidiam, si tantum fuerit quantum quartam facit, et quartae fructus. Nam fructus qui medio tempore percepti sunt, ex judicio testantis percepti videntur. l. 22. §. 2. V. s. *ad leg. falcid.* n. 21. et n. 27.

11. Si quis rogetur restituere haereditatem, et vel servi decesserint, vel aliae res perierint; placet non cogi eum reddere, quod non habet. Culpae plane reddere rationem, sed ejus quae dolo proxima est. l. 22. §. 3.

12. Si quem sumptum fecit *haeres* in res haereditarias, detrahet (*b*). l. 22. §. 3. (*c*)

13. Cum proponeretur quemdam filiam suam haere-

(a) Ergo qui in utero est prodest aliis antequam natus sit; contra l. 7. *de statu hominum.*

(b) Quid de reparationibus quae faciendae inveniuntur, in bonis substitutis die aperitionis substitutionis: haeres gravatus tenetur ne super fructus quos in posterum percepit? V. l. 48. *de rei vindicatione.*

(c) De sumptibus litium vide l. 1. C. *de bonis maternis.*

dem instituisse, et rogasse eam, *ut si sine liberis decessisset, haereditatem Titio restitueret*, eaque dotem marito dedisse certae quantitatis, mox decedens sine liberis, haeredem instituisse maritum suum, et quaereretur an dos detrahi possit? Dixi, *non posse dici in eversionem fideicommissi factum quod et mulieris pudicitiae et patris voto congruebat*. Quare dicendum est, dotem decedere, ac si, quod superfuisset, rogata esset restituere. l. 22. §. 4. V. Novel. 39. c. 1. V. s. *de leg.* 3. n. 29. l. ult. §. 5. *de legatis* 2.

14. Quoties paterfamilias unum vel duos haeredes cohaeredibus suis restituere haereditatem jubet, intelligitur easdem partes in fideicommissis facere, quas in haereditate distribuenda fecerit. l. 23. V. l. 78. §. 4. et 5.

Nonnunquam autem ex voluntate varie rescriptum et judicatum est: videlicet si non sub appellatione haeredum, sed propriis nominibus expressis (*d*), fideicommissum relinquatur. l. 24. V. s. l. 54. §. ult. *de leg.* 1.

15. Multum interest, utrum quarta pars jure haereditario retineatur, an vero in re, vel pecunia. Nam superiore casu actiones dividuntur inter haeredem et fideicommissarium: posteriore vero apud fideicommissarium sunt actiones. l. 30. §. 3.

Ad eum, cui ex Trebelliano senatusconsulto pars hereditatis restituitur, successionis onera, seu legatorum praestationem pro competenti portione spectare, indubitati juris est. l. 2. C. *eod.*

(d) Expressio nominum partes aequales facit. V. l. 55. *de conditionibus et demonstrationibus.*

16. Si ejus qui novissimus ex filiis mortuus est, partem (e) haereditatis propinquo voluit pater restitui, et simul fratres diem suum obiissent; propinquum, si non ostenderit quis novissimus obiisset, ad partem haereditatis non admitti: sed matrem ex Tertulliano senatusconsulto ad utriusque haereditatem admitti constat. l. 34. V. s. l. 17. §. pen. et l. 9. §. 1 *de reb. dub.* (a)

17. Imperator Hadrianus, cum Vivius Cerealis filio suo Vivio Simonidi, *si in potestate sua esse desiisset, haereditatem restituere rogatus esset*; ac multa in fraudem (fideicommissi) fieri probaretur (b): restitui haereditatem filio jussit, ita ne quid in ea pecunia, quamdiu filius ejus viveret, juris haberet: nam quia cautiones non poterant interponi conservata patria potestate, damnum conditionis propter fraudem inflexit (c). Post decreti autem auctoritatem in ea haereditate filio militi comparari debuit, si res a possessoribus peti, vel etiam cum debitoribus agi oporteret: sed paternae reverentiae congruum est, egenti forte patri, officio judicis, ex accessionibus haereditariis emolumentum praestari. l. 50.

18. Qui fideicommissam haereditatem ex Trebelliano;

(e) Ratio, quia substitutus probare debet, utpote actor, quis novissimus decesserit, si quidem in ejus dumtaxat partem vocatus est, non in omnem haereditatem.

(a) L. 11. *de bonorum possessione secundum tabulas*. V. contra l. 24. *de vulgari substitutione*.

(b) Si certa portio haereditatis alicui relicta proponitur, et is res haereditarias quasdam furatus sit, in his rebus quas substraxit denegari ei petitionem oportere, recte respondetur. l. 48. hic. V. l. 71. §. ult. *de acquirenda vel omittendu haereditate*.

(c) Fraus pro conditionis eventu est.

cum suspecta diceretur (*d*), totum recipit, si ipse quoque rogatus sit alii restituere, totam restituere cogetur (*e*). Et erit in hac quoque restitutione Trebelliano locus: quartam enim falcidiae jure fideicommissarius retinere non potuit. Nec ad rem pertinet, quod nisi prior, ut adiretur haereditas, desiderasset, fideicommissum secundo loco datum intercidisset. *Cum enim semel adita est haereditas, omnis defuncti voluntas rata constituitur*. Non est contrarium, quod legata cetera non ultra dodrantem praestat: aliud est enim ex persona haeredis conveniri; aliud proprio nomine defuncti precibus adstringi. l. 55. §. 2. l. 1. §. 19.

19. *Haeredes mei quidquid ad eos ex hareditate bonisve meis pervenerit, id omne post mortem suam restituant patriae meae coloniae Beneventanorum*: nihil de fructibus pendente conditione perceptis petitum videri, constitit. l. 57. V. l. 18.

Cum virum prudentissimum Papinianum respondisse non ignoremus, etiam legata hujusmodi fideicommisso contineri, id est, ubi haeres rogatus fuerit, *quidquid ex haereditate ad eum pervenerit post mortem restituere*; animadvertimus etiam praeceptionis compendium testatoris verbis comprehensum esse. Sane, quoniam in fideicommissis voluntas magis quam verba plerumque intuenda est: si quas pro rei veritate praeterea proba-

---

(d) Lex 54. ait: Titius rogatus est quod ex haereditate superfuisset Maevio restituere. Quod medio tempore alienatum vel diminutum est peti non poterit, si non intervertendi fideicommissi gratia tale aliquid factum probetur. V. n. 168. C. 1. l. 70. infra l. 71. *de legatis* 2. l. 16. C. *de fideicommisso infra n.* 20.

(e) Qui defuncto immediate non succedit, non retinet quartam. l. 1. §. 19. supra.

tiones habes, ad commendandam hanc patris voluntatem quam fuisse adseveras, apud praesidem (provinciae), experiri non vetaris: l. 16. C. *de fideic.*

20. Cum ita fuerat scriptum : *Fidei filiorum meorum committo, ut si quis eorum sine liberis prior diem suum obierit, partem suum superstiti fratri restituat. Quod si uterque sine liberis diem suum obierit, omnem haereditatem ad neptem meam Claudiam pervenire volo*: defuncto altero superstite filio, novissimo autem sine liberis, neptis prima quidem facie, propter conditionis verba, non admitti videbatur; sed cum in fideicommissis voluntatem spectari conveniat, absurdum esse respondi, cessante prima substitutione, partis nepti petitionem denegari, quam totam habere voluit avus, si novissimus fratris quoque portionem suscepisset. l. 57. §. 1.

21. *Peto de te, uxor carissima, uti cum morieris haereditatem meam restituas filiis meis*, vel uni eorum (*a*), *vel nepotibus meis, vel cui volueris, vel cognatis meis, si cui voles ex tota cognatione mea*: inter filios respondi substitutionem fideicommissi factam videri; circa nepotes autem (et) caeteros cognatos, facultatem eligendi datam: ex caeteris autem cognatis, si nepotes superessent, non recte mulierem electuram propter gradus fideicommissi praescriptos; deficiente vero gradu nepotum, ex cognatis quam velit personam eligi posse. l. 57. §. 2. (*b*).

(a) Datur matri electio inter nepotes, non autem inter liberos quia haec verba *uni eorum*, non hoc significant *cui volueris*, sed hoc *uni filiorum* si forte unus superstes fuerit cum morieris.

(b) V. l. 77. §. penult. *de legatis* 2.

22. Cum haereditas ex causa fideicommissi in tempus restituenda est (c); non idcirco nominum periculum ad haeredem pertinebit, quod haeres a quibusdam pecuniam exegerit. l. 58. §. 1. (d).

23. Cum autem post mortem suam rogatus haereditatem restituere, res haereditarias distrahere non cogatur haeres (e), sortium, quae de praetiis earum redigi potuerunt, usurae propter usum medii temporis perceptae non videbuntur. Denique nec periculum mancipiorum, aut urbanorum praediorum praestare cogitur; sed nihilominus usus et casus eorum quadrantem quoque deminuit. l. 58. §. 6. (f).

24. Cum praetor, cognita causa, per errorem, vel etiam ambitiose juberet haereditatem, ut ex fideicommisso, restitui; etiam publice interest restitui, propter rerum judicatarum auctoritatem. l. 65. §. 2. V. l. 11. ff. *de justitia et jure* (g).

25. Si totam haereditatem rogatus restituere tu sponte adieris, et sine deductione quartae partis, restitueris, difficile quidem credideris per ignorantiam magis (h),

---

(c) * *Lex* 35, de rebus creditis, *habet*: Periculum novum ad eum cujus culpa deterius factum probatur, pertinet.

(d) V. l. 17. §. 17. *de legatis* 2. V. h. l. 70. §. ult. n. 27.

(e) Idem de mutuo donatario et usufructuario, qui jus habent fruendi in natura rebus, *quae usu deteruntur*, ut de mobilibus seu supellectili, et de domibus: at qui solum usumfructum habent, jus non habent fruendi mobilibus in specie. Secus de gravato, *quia ante tempus restitutionis* ipse est proprietarius. Fructuarius frui debet salva rei substantia.

(f) V. l. 13 §. 1. l. 14 *de verborum significatione*, l. 9. §. 3. *usufructuarius quemadmodum caveat.*

(g) Praetor quoque jus reddere dicitur etiam cum inique decernit, relatione scilicet habita non ad id quod ita praetor fecit, sed ad illud quod praetorem convenit.

(h) Nota. Error judicis vocatur stultitia in jure. l. 51. *de evictionibus*. l. 3. §. 5. *de Carboniano edicto*.

non explendi fideicommissi causa, hoc fecisse: sed si probaveris per errorem te quartam non retinuisse, recuperare eam poteris. l. 68. §. 1. V. s. *ad leg. falc.* n. 46. ex leg. 9. et l. ult. C. *ad leg. falc.*

26. Si temporalis (i) actio in haereditate relicta fuerit, tempus quo haeres experiri ante restitutam haereditatem potuit, imputabitur ei cui restituta fuerit. l. 70. §. ult. (k).

27. Haeres ejus qui post mortem suam rogatus erat *universam haereditatem restituere*, minimam quantitatem quam solam in bonis fuisse dicebat, his quibus fideicommissum debebatur, restituit: postea repertis instrumentis, apparuit quadruplo amplius in haereditate fuisse. Quaesitum est, an in reliquum fideicommissi nomine conveniri possit? Respondit, secundum ea quae proponerentur, si non transactum esset, posse. l. 78. §. ult. (a).

(i) Quid est *temporalis* actio? Nam jure digestorum actiones principales erant perpetuae. V. l. 18. §. 1. h. l. 18. §. 1. *quemadmodum servitutes amittuntur.*

(k) V. legem ult. *de legatis* 2. l. 3. §. 3. C. *communia de legatis.* et l. 3. *de usufruct. leg.* Distinguo: Si agitur de acquirendis bonis substitutionis per praescriptionem, haec locum habere nequit cum substitutio est publicata: at cum agitur ut quis se liberaret per praescriptionem, potest id obtineri si publicatio sit facta, 1. quia gravatus potest debitorem liberare ei apocham solutionis dando: atqui praescriptio est loco solutionis, nam ipsa praesumitur solutio. 2. Debitor non debet esse deterioris conditionis quod suus creditor substitutionem fecerit. De obligationibus et actionibus. Nota. Substitutus posset hanc praescriptionem interrumpere agendo contra debitorem *ad declarationem juris*, et occupando rem in ejus manibus impedire potest quin solutio fiat sine ipso; ut advigilet in pecuniae collocatione. l. ult. in fine. De transactionibus. l. 44. *de re judicata.*

(a) V. l. 9. §. *de transactionibus.* l. 3. §. 1. l. 6. *eod.*

TITULUS II.

Quando dies legatorum vel fideicommissorum cedat.

SUMMARIA.

1. *A morte testatoris cedit dies legati a substituto.*
2. *Legati quod non transit ad haeredem legatarii dies non cedit ante aditum haereditatem.*
3. *Legatum cum morietur haeres legatario ante mortuo non transmittitur.*
4. *Legatum cum moritur legatarius transmittitur.*
5. *Legatarius decedens, postquam dies cessit, transfert legatum ad haeredem suum, etsi illud ignoraverit.*
6. *Legatum purum, aut post diem, cedit a morte testatoris.*
7. *Legatum sub conditione, vel sub die incerta, cedit ejus adventu: perit non adveniente, vel si legatarius antea decesserit.*
8. *Legatum sub impossibili vel inhonesta conditione statim cedit.*
9. *Pro impleta habetur conditio, cum per eum stat cujus interest non impleri, aut a quo pendet ut impleatur.*
10. *Si extrinsecus suspenso legato decesserit legatarius transmittit.*
11. *Etsi haeres tardius adeat, vel nondum natus sit, vel sub conditione sit institutus, nihil nocet legatario, sed ei dies cessit.*
12. *Annui legati dies quoque anno incoepto cedit etiam ante aditam haereditatem.*

13. *Si non alimentorum causa in annos legatum sit, sed unum sit legatum in pensiones divisum, totius legati dies cedit a morte, et transmittetur.*
14. *Cessit dies cum incipit deberi: venit dies cum peti potest.*
15. *Legati sub eadem conditione qua haeres institutus est, dies perinde cedit si pure legatum esset.*

1. Mortuo patre, licet vivo pupillo, dies legatorum a substituto datorum cedit (*b*). l. 1. l. 7. §. 3. et 4.

2. Si pure sit ususfructus legatus, vel usus, vel habitatio, neque eorum dies ante aditam haereditatem cedit, neque petitio ad haeredem transit. Item et si ex die sit ususfructus relictus. Nam cum ad haeredem non transferatur, frustra est (*c*), si ante quis diem ejus cedere dixerit. l. 2. et 3.

Ususfructus sui natura ad haeredes legatarii transmitti non patitur: quia neque a morte testatoris neque ab adita haereditate, quantum ad transmissionem, dies ejus cedit. l. un. §. 6. C. *de caduc. toll.* v. inf. l. 12 §. 3. n. 12.

3. *Si cum haeres morietur*, legetur (*d*), conditionale

(b) Illud falsissimum est in substitutione pupillari: si quidem substitutio pupillaris non retrotrahitur ad initium, nec substitutus pupillariter capit fructus qui a pupillo percepti sunt et consumpti. Unde legatarius qui legatum petere potest a substituto pupillariter dumtaxat, illud non transmittit; et ut lex ista primum locum inveniat, debet intelligi de substitutione vulgari tantum.

(c) Licet ususfructus ad haeredem non transmittatur, tamen multum interest fructuarii usumfructum non retardari per moram haeredis, ut fructus perceptos post mortem testatoris fructuarius possit ad haeredes transmittere.

(d) Si legetur legatario cum ipse morietur, pro legato puro habetur et transmittitur ad haeredem, licet legatum sit in diem, quia dies certus est.

legatum est : denique vivo haerede defunctus legatarius ad haeredem non transfert. l. 4.

Tale legatum *cum morietur haeres dato*, certum est debitum (iri). Et tamen ad haeredem legatarii non transit, si vivo haerede decedat. l. 13. in fine. V. s. *de condit. et demon.* l. 1. §. 2 et l. 75. V. inf. n. 6 ex l. un. C. *de cad. toll.*

4. Si vero, *cum ipse legatarius morietur* (c), legetur ei, certum est, legatum ad haeredem transmitti. l. 4. §. 1.

5. Si post diem legati cedentem legatarius decesserit, ad haeredem suum transfert legatum. l. 4.

Cedere diem significat incipere deberi. l. 213 ff. *de verb. sign.*

Si Pontionilla ad eam aetatem pervenit, cui legatum vel fideicommissum relictum erat, petitionem ad haeredes transmisit, licet ante decesserit quam consequeretur legatum vel fideicommissum. l. 3. C. *eod.*

Si fideicommissum ab intestato fuerit sorori tuae relictum codicillis, et posteaquam dies fideicommissi cessit (rebus humanis licet), ignorans fideicommissum excesserit; actionem hujusmodi acquiri potuisse, dissimulare non poteris : salva scilicet ab intestato succedenti quarta portione. l. ult. C. *eod.*

6. Si purum legatum est, ex die mortis dies ejus cedit. Si vero post diem sint legata relicta, simili modo, atque in puris dies cedit. l. 5. §. 1.

Sancimus omnes habere licentiam a morte testatoris adire haereditatem : similique modo legatorum vel fidei-

---

(c) Primum mortis tempus vitae annumerantur.

commissorum pure vel in diem certum relictorum diem a morte testatoris cedere. l. unic. §. 1. inf. Cod. *de caduc. toll* V. s. l. 21. (1)

7. Si sub conditione sit legatum relictum, non prius dies legati cedit, quam conditio fuerit impleta: nequidem si ea sit conditio, quae in potestate sit legatarii. l. 5. §. 2.

Sin autem aliquid sub conditione relinquatur vel casuali, vel potestativa, vel mixta, quarum eventus ex fortuna, vel ex honoratae personae voluntate, vel ex utroque pendeat, vel sub incerto die; expectari oportet conditionis eventus, sub qua fuerit derelictum, vel diem: ut tunc cedat cum vel conditio impleatur, vel dies incertus extiterit (*a*). Quod si in medio is qui ex testamento lucrum sortitus est, decedat, vel eo superstite conditio defecerit, hoc quod ideo non praevaluit, manere disponimus apud eos a quibus relictum est. l. un. §. 7. C. *de cad. toll.* V. inf. l. 21.

8. Si ea conditio fuit quam praetor remittit, statim dies cedit. Idemque et in impossibili conditione, quia pro puro hoc legatum habetur (*b*). l. 5. §. 3 et 4. (2)

9. Si qua conditio sit, quae per legatarium non stat

---

(1) » Qualunque legato puro e semplice darà al legatario, dal giorno della morte del testatore, un dritto sulla cosa legata. » (*Leg. civ. art.* 968).

(a) Onus impositum alicui, in ejus commodum vertitur cui impositum erat. V. l. 17. *de legatis* 2. *et de annuis legatis.* n. 3.

(b) V. l. 15. *de conditionibus institutionum.* n. 5. l. 58. *de condictione indebiti*, et ibi Gotofr.

(2) » In qualunque disposizione tra vivi o di ultima volontà, si avranno per non iscritte le condizioni impossibili, e quelle che sono contrarie alle leggi o al buon costume. » (*Leg. civ. art.* 816).

quominus impleatur, sed aut per haeredem, aut per ejus personam, in cujus persona jussus est parere conditioni, dies legati cedit, quoniam pro impleta habetur: ut puta si jussus sim *haeredi decem dare*, et ille accipere nolit. l. 5 §. 5. V. s. *de condit. et demonstr.* l. 24. l. 161. *de re judicata*. (3)

10. Si extrinsecus suspendatur legatum (c), non ex ipso testamento, licet aute decedat legatarius: ad haeredem transmisisse legatum dicimus: veluti si rem dotalem maritus legaverit extero, et uxori aliquam pro dotali re pecuniam: deinde, deliberante uxore de electione dotis, decesserit legatarius, atque legatum elegerit mulier, ad haeredem transire legatum, dictum est: idque et Julianus respondit. Magis enim mora, quam conditio legato injecta videtur (d). l. 6. §. 1.

11. Haeredis aditio moram legati quidem petitioni facit, cessioni diei non facit. Proinde sive pure institutus, tardius adeat, sive sub conditione per conditionem impediatur; legatarius securus est: sed et si nondum natus sit haeres institutus (e), similiter legatario non nocebit, eo quod dies legati cessit. l. 7. n. l. §. 1. et 2.

---

(3) » Concorda. (*Leg. civ. art.* 1127, 1131).

(c) * *Lex* 99, de conditionibus et demonstrationibus, *habet*: Conditiones extrinsecus non ex testamento venientes, id est, quae tacite inesse videantur, non faciunt legata conditionalia.

(d) Nec justum foret moram et deliberationem unius alteri nocere. Injustum foret moram haeredis in adeunda haereditate nocere legatario: verbi gratia, si fundus maturis et pendentibus fructibus legatus esset, haeres posset simulare se deliberare. Unde puto legatarium posse legatum petere ante aditionem haereditatis; et fructus percipiet postea a die petitionis

(e) Modo conceptus sit, alias inutilis esset institutio et inutile testamentum.

12. Cum *in annos singulos* legatur, non unum legatum esse, sed plura constat (*f*). l. 10.

Nec semel diem ejus cedere, sed per singulos annos. Sed utrum initio cujusque anni, an vero finito anno cedat, quaestionis fuit (*g*). Et *Labeo*, *Sabinus*, *et Cassius*, *et Justinianus*, *in omnibus quae in annos singulos relinquuntur*, *hoc probaverunt*; *ut initio cujusque anni hujus legati dies cederet*. l. 12. d. l. 5. §. 1. l. 1. C. *eod.*

Idem Celsus scribit, quod et Julianus probat, hujus legati diem ex die mortis cedere, non ex quo adita est haereditas. Et si forte post multos annos adeatur haereditas omnium annorum legatario deberi. d. l. 12. §. 3.

13. Si cum prefinitione annorum legatum fuerit, veluti *Titio dena usque ad annos decem*: Julianus scribit interesse. Et si quidem alimentorum nomine legatum fuerit, plura esse legata, et futurorum annorum legatum legatarium mortuum ad haeredem non trasmittere: si vero non pro alimentis legavit, sed in plures pensiones divisit exonerandi haeredis gratia, hoc casu ait omnium annorum unum esse legatum, et intra decennium decedentem legatarium, etiam futurorum annorum legatum ad haeredem suum transmittere. Quae sententia vero est. l. 20.

Caeterum si pecuniam annuam pater alimentis filii destinasset, non dubie persona deficiente, causa praestandi videtur extincta. l. 26. in f. *eod.*

(f) V. l. 6 §. 2. v. Sin autem, C. *de bonis quae liberis*. V. l. 4 *de annuis legatis*.
(g) V. legem 5 8 22. *de annuis legatis*. l. 20 h.

14. Si dies adposita legato non est (*a*), praesens debetur, aut confestim ad eum pertinet, cui datum est. Adjecta, quamvis longa sit, si certa est, *veluti kal. januariis centesimis*, dies quidem legati statim cedit, sed ante diem peti non potest. At si incerta, (quasi *cum pubes erit*, *cum in familiam nupserit*, *cum magistratum inierit*, *cum aliquid demum*, quod scribendo comprehendere sit commodum, *fecerit*), nisi tempus, conditiove obtigit, neque res pertinere, neque dies legati cedere potest. l. 21. V. l. 212. ff. *de verb. sign.*

15. Si sub conditione (*b*), qua te haeredem institui, sub ea conditione Titio legatum sit; Pomponius putat perinde hujus legati diem cedere, atque si pure relictum esset: quoniam certum esset haerede existente debitum iri. Neque enim per conditionem haeredum fieri incerta legata: nec multum interesse tale legatum ab hoc, *si haeres erit*, *dato*. l. 21. §. 1. l. 22. §. 1.

Id demum legatum ad haeredem legatarii transit, quod certum sit debitum iri, si adeatur haereditas (*c*). d. l. 22. §. 1. in fin.

(a) Sed modicum tempus haeredi statuendum est ad solvendum. l. 105. *de solutionibus*. l. 71. §. 2. *de legatis* 1.

(b) Nota magnum discrimen. Si conditio adjecta institutioni expresse adjecta fuerit legato, illud conditionale efficit; ideo legatarius, si ante diem decedat, nec transmittit, quia testator voluit liberalitatem suam pendere expresse ab eventu conditionis: secus si legatum pure relictum sit et transmittitur, quia quae ipso jure insunt, si adjecta fuerint, pro conditione non habentur. l. 109. *de conditionibus et demonstrationibus*.

(c) Ratio est, quia aditio haereditatis ex post facto retrotrahitur ad initium. l. 138 et 193. *de re judicata*.

TITULUS III.

Ut legatorum seu fideicommissorum servandorum causa caveatur (*).

SUMMARIA.

1. *Aut satisdet haeres legatariis, aut ipsi mittantur in possessionem.*
2. *Non satisdant parentes liberis ex causa fideicommissi, nisi a testatore ita cautum sit, aut ad secunda vota transeant.*
3. *Deberi dicitur etsi dies nondum venerit.*

1. Legatorum nomine satisdare oportere praetor putavit, ut, quibus testator dari fierive voluit, his diebus detur vel fiat. l. 1.

Nec sine ratione hoc praetori visum est (*d*), sicuti haeres incumbit possessioni bonorum, ita legatarios quoque carere non debere bonis defuncti. Sed aut satisdabitur eis, aut si satis non datur, in possessionem bonorum venire praetor voluit. d. l. §. 2.

Idemque in fideicommissis quoque probandum est. d. l. §. 10.

2. Jubemus, quoties pater vel mater filio seu filia;

(*) Hic titulus non est in usu, sed servatur apud nos l. 8. *de stipulationibus praetoriis*, in regione scilicet juris scripti et erga haeredem institutum. Haeres legitimus non satisdat legatariis sub conditione. Similiter haeres gravatus fideicommisso apud nos non satisdat propter legem 12. §. 2. *familiae erciscundae*; et l. 42. *de acquirendo rerum dominio*.

(d) V. infra l. 8. *de stipulationibus praetoriis*.

filiis vel filiabus, ex aequis vel inaequis partibus haeredibus institutis, invicem seu simpliciter quosdam ex his, aut quemdam rogaverit, *qui prior sine liberis decesserit, portionem haereditatis suae superstiti seu superstitibus restituere* . . . . in supradictis casibus fideicommissorum servandorum satisdationem testator exigi disposuerit, et cum pater vel mater secundis existimant nuptiis non abstinendum. In his etiam duobus casibus, id est, cum testator specialiter satisdari voluerit, vel cum secundis se pater, vel mater matrimoniis junxerit, necesse est, ut eadem satisdatio pro legum ordine praebeatur. l. 6. C. *ad senatuscons. Trebell.* d. l. §. 1.

Quae hic omissa sunt ex hoc tit. habes. s. ad l. 18. §. 1. *ad senat. Trebell.*

3. Deberi dicimus, et quod die certa praestari oportet, licet dies nondum venerit. l. 9.

TITULUS IV.

Ut in possessionem, legatorum vel fideicommissorum servandorum causa, esse liceat.

SUMMARIA.

1. *Qui satisdedit non rursus cavet, nisi ex causa nova.*
2. *Prius in usuras, deinde in sortem fructus imputantur.*

1. Si semel fuerit satisdatum, quaesitum est an etiam rursus cavendum sit, si forte dicatur egenos fidejussores esse datos? Et magis est, ut caveri non debeat. Hoc enim D. Pius rescripsit Pacuviae Licianae: ipsam enim facilitati suae expensum ferre debere, quae minus fidejussores idoneos accepit (*a*). Neque enim oportet per singula momenta onerari eum a quo satis petitur. Plane, si nova causa allegetur, veluti quod fidejussor decederit, aut etiam rem familiarem inopinato fortunae impetu amiserit, aequum erit praestari cautionem (*b*). l. 3. §. ult. et l. 4.

2. Illud quod ex fructibus percipitur primum in usuras, mox si qui superfluum est, in sortem debet imputari (*c*). l. 5. §. 21. (*d*). (1)

(a) Quoad cautiones judiciarias, obligatio instat removandi cautionem cum ipsa definit, nam judex partem obligat ad eam suscipiendam. Contra in cautionibus voluntariis, et pactitiis. V. leg. 6. *qui satisdare cogantur*. l. 3. in fine *de fidejussor.*

(b) Si medio tempore calamitas fidejussoribus insignis vel magna inopia accidit; causa cognita, ex integro satisdandum erit. l. 10. *qui satisdare cogantur.* Vide l. 3. in fine *de fidejuss.*

(c) Ad exemplum pignorum.

(d) V. l. 5. §. 2. *de solution.* l. 101 §. 1. *eod.*

(1) Concorda. (*Leg. civ. art. 1297*).

LIBER XXXVII.

TITULUS I.

De bonorum possessionibus.

SUMMARIA.

1. *Bonorum nomine omnia commoda et incommoda, lucra et damna intelliguntur.*
2. *Bonorum possessio est successio in universum jus defuncti.*
3. *Rei capitalis damnati non succedunt.*

1. Bona hic (ut plerumque solemus dicere) ita accipienda sunt, universitatis cujusque successionem, qua succeditur in jus demortui, suscipiturque ejus rei commodum et incommodum: nam sive solvendo sunt bona, sive non sunt, sive damnum habent, sive lucrum, sive in corporibus sunt, sive in actionibus; in hoc loco proprie bona appellabuntur. l. 3.

2. Bonorum possessionem ita recte definiemus, jus persequendi retinendique patrimonii, sive rei, quae cujusque, cum moritur, fuit. l. 3. §. 2.

3. Edicto praetoris bonorum possessio his denegatur, qui rei capitalis damnati sunt, neque in integrum restituti sunt. l. 13.

TITULUS II. *Si tabulae testamenti extabunt.*

TITULUS III. *De bonorum possessione furioso, infanti, muto, surdo, caeco competente.*

TITULUS IV. *De bonorum possessione contra tabulas. Unde vide l. 3. §. 1.*

TITULUS V.

De legatis praestandis, contra tabulas bonorum possessione petita.

SUMMARIA.

1. *Rescisso propter exhaeredationem aut praeteritionem testamento, legata stant.*
2. *Posthumo praeterito et agnato nec legata debentur.*

1. Hic titulus aequitatem quandam habet naturalem et ad aliquid novam: ut, qui judicia patris rescindunt per contra tabulas bonorum possessionem: ex judicio ejus quibusdam personis legata et fideicommissa praestarent, hoc est, liberis et parentibus, uxori nuruique dotis nomine legatum. l. 1.

Rescisso ex causa exhaeredationis, vel praeteritionis liberorum vel parentum testamento; et fideicommissa praestantur. Nov. 115. C. 3. in f. et C. 4. in fin.

2. Si post testamentum factum, quo posthumorum suorum nullam mentionem testator fecit, filium filiamve suscepit, intestato vita functus est (*a*) cum agnatione posthumi vel posthumae, cujus non meminit, testamentum ruptum sit. Ex rupto autem testamento nihil deberi, neque peti posse, explorati juris est. l. 1. C. *de posthum. haerd. inst.*

(a) * *Authenitca* ex causa. C. de liberis praeteritis, *habet*: Ex causa exhaeredationis vel praeteritionis institutio corruit; caetera firma manent. At Irnerius addit Iy *praeteritionis*, quod in novella deest.

TITULUS VI.

De collatione

SUMMARIA.

1. *Collationis aequitas ad servandam aequitatem.*
Conferuntur omnia data a parentibus, nisi ipsi prohibuerint.
2. *Aut nisi res perierint sine culpa donatarii.*
3. *Qui remittit quod erat accepturus, confert.*
4. *Non confertur quod sibi quaesierit filius.*
5. *Ea conferuntur quae in haereditate fuissent, si data non essent: et quae in legitimam erant imputanda etiam militiae.*
6. *Dos ab avo profecta, eo mortuo ad patrem, etiam non haeredem avi, revertitur.*
7. *Quod a patre debitum fuit., non confertur, licet prius solutum sit, quam deberetur.*

1. Hic titulus manifestam habet aequitatam. Cum enim praetor ad bonorum possessionem contra tabulas emancipatos admittat, participesque faciat cum his qui sunt in potestate, bonorum paternorum; consequens esse credit, ut sua quoque bona in medium conferant, qui appetunt paterna (*b*). l. 1.

A parentibus data conferuntur, sive testati decedant,

(*b*) Olim conferebant emancipati et quae a patre acceperant et quae ipsi acquisierant. Hodie confertur dumtaxat quod a patre acceptum, nam quod quisque adquirit, sive suus, sive emancipatus sibi proprium habet. V. l. ult. C. h. t.

sive intestati : nisi prohibuerint collationem. Nov. 18. cap. 6. V. l. 20. §. 1. C. *de collat.* (1)

2. De illis, quae sine culpa filii emancipati post mortem patris perierunt, quaeritur ad cujus detrimentum ea pertinere debeant? Et plerique putant ea quae sine dolo et culpa perierint, ad collationis onus non pertinere: et hoc ex illis verbis intelligendum est, quibus praetor viri boni arbitratu jubet conferri bona. Vir autem bonus non sit arbitraturus conferendum id, quod nec habet, nec dolo, culpa desiit habere. l. 2. §. 2. (2)

3. Sed etsi tantum forte in bonis paternis emancipatus remittat, quantum ex collatione suus habere debet, dicendum est, emancipatum satis contulisse videri (c). l. 1. §. 12.

Eo minus auferre. l. 5. Cod. *eod.* est conferre, aut minus tanto accipere. Nov. 97. c. 6. (3)

4. Nec castrense, nec quasi castrense peculium fratribus confertur : hoc enim praecipuum esse oportere, multis constitutionibus continetur. l. 1. §. 15. l. ult. C. *eod.*

---

(1) » Qualunque erede, ancorchè beneficiato, concorrendo ad una eredità, dee conferire a' suoi coeredi tutto ciò che ha ricevuto dal defunto per donazione tra vivi, sì direttamente, che indirettamente. Egli non può ritenere le cose donate, fuori del caso in cui le donazioni gli sieno state fatte espressamente a titolo di precapienza ed oltre la sua parte, o colla dispensa della collezione » (*Leggi civ. art.* 762).

(2) » L'immobile ch'è perito per caso fortuito e senza colpa del donatario, non è soggetto a collazione » (*Leggi civ. art.* 774).

(c) Si autem cohaeredes velint, cohaeres debet omnino res in specie conferre, quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest. Zoef. *art.* 306. *de Paris.*

(3) » La collazione si fa o col presentare la cosa nella sua specie, o con prendere tanto di meno » (*Leggi civ. art.* 777).

5. Si ab ipso patre haerede instituto, filio ejus fideicommissum fuerit relictum (*d*), *cum morietur*: an id conferendum est, quoniam utile est hoc fideicommissum? Et eveniet ut pro eo habeatur, atque si post mortem patris relictum fuisset: nec cogetur hic conferre; quia moriente eo (ejus) non fuisset. l. 1. §. 19. V. inf. l. 11.

Omnia quae in quartam portionem ab intestato successionis computantur his qui ad actionem de inofficioso testamento vocantur, etiamsi intestatus is decesserit, ad cujus haereditatem veniunt omnimodo cohaeredibus suis conferant. Quod tam in aliis, quam in his quae occasione militiae uni haeredum ex defuncti pecuniis acquisitiae lucratur, is qui militiam meruit, locum habebit (*a*): ut lucrum quod tempere mortis defuncti ad eum pervenire poterat, non solum testamento condito quartae parti ad intestato successionis computetur, sed etiam ab intestato conferatur. l. 20. C. *eod.* (4)

6. Dotem (quam) dedit avus paternus, an post mortem avi mortua in matrimonio filia, patri reddi oporteat, quaeritur? Occurrit aequitas rei, ut, quod pater meus propter me filiae meae nomine dedit, proinde sit, atque ipse dederim: quippe officium avi circa neptem ex officio (*b*) patris erga filium peudet. Et

---

(*d*) Substitutus a gravante non a gravato. V. n. 7.

(*a*) Haec autem regula ut omnia quae portioni quartae computantur, etiam ab intestato conferantur, minime e contrario tenebit. Dicta l. 20. *de collatione*.

(4) Circa le cose che sono soggette a collazione, e quelle che ne sono esenti, *ved. Leggi civ. art.* 766 *a* 773.

(*b*) Quidam ex hac lege inferunt, nepotem debere in haereditate patris conferre quod ipse nepos accipit ab avo, quia contemplatione

quia pater filiae, ideo avus propter filium nepti dotem dare debet. Quid si filius a patre exhaeredatus est? Existimo non absurde etiam in exhaeredato filio idem posse defendi; nec infavorabilis sententia est (c), ut hoc saltem habeat ex paternis, quod propter illum datum est. l. 6. l. 79. *de jur. dot.* (*d*).

7. Paulus respondit, ea quae post mortem patris filio reddi debuerunt, emancipatum filium, quamvis prius consecutus sit, quam deberentur fratri, qui in potestate patris relictus est, conferre non debere: cum post mortem patris non tam ex donatione, quam ex causa debiti, ea possidere videatur (*e*). l. 11. V. f. l. v. §. 29. (*f*)(5).

---

patria nepos accipit. Verum distinguitur utrum pater ipse id contulerit necne. Sed ista distinctio nulla juris ratione fulcitur, licet, usu Parisiensi probari dicatur. Sed distinguitur utrum pater ipse contulerit necne in haereditate avi.

(c) Lex 8. ait: Non numquam praetor variantem non repellit et consilium mutantis non aspernatur. V. infra l. 20. *de optione legata*.

(*d*) Quae est contra ex rigore juris.

(*e*) Ergo repraesentatio debiti non est donatio, et tamen repraesentatio debiti legata patitur falcidiam. l. 1. §. 10. *ad legem falcidiam*

(*f*) V. l. 6. §. 2. V. sin autem C. *de bonis quae lib.* ubi ususfructus a patre filio remissus non est obnoxius collationi post obitum patris.

(5) » Non si debbono conferire gli utili che l'erede ha potuto conseguire da convenzioni fatte col defunto. — Nè per le società contratte tra il defunto ed uno de' suoi eredi » (*Leggi civ. art.* 772, 773).

TITULUS VII.

De dotis collatione.

SUMMARIA.

1. *Dos conferenda, nisi sine culpa mulieris perierit apud maritum, qui non sit solvendo.*
2. *Collationem minuunt impensae necessariae.*
3. *Fructus et usurae conferantur.*
4. *Non confert dotem quae abstinet se ab haereditate*

1. Quamquam ita demum ad collationem dotis praetor cogat filiam, si petat bonorum possessionem; attamen et si non petat, conferre debebit, si modo se bonis paternis misceat. l. 1. l. 29. C. *eod.*

Dos a muliere confertur, nisi, cum vir non sit solvendo (*g*), imputari possit mulieri quod salvam non fecerit causam dotis. Nov. 97. cap. 6. (1)

2. Cum dos confertur; impensarum necessariarum fit detractio; caeterarum non (*h*) l. 1. §. 5.

3. Filia quae soluto matrimonio dotem conferre debuit, moram collationi fecit (*i*), viri boni arbitratu

(*g*) Apud nos omni casu dos confertur. *Louet.* l. R.

(1) » Se il marito era già solvibile, e non aveva nè arte nè professione allorchè il padre costituì la dote a sua figlia, costei non sarà tenuta a conferire nell' eredità paterna altro che l' azione a lei spettante contra l' eredità di suo marito per ottenerne il rimborso. Ma se il marito è divenuto insolvibile dopo il matrimonio, o se aveva un mestiere o una professione che gli tenca luogo di beni, la perdita della dote cade unicamente a danno della moglie » (*Leggi civ. art.* 1386).

(*h*) *Paris.* 305. *habet; utiles et necessarias.*

(*i*) Ipso jure et absque mora currunt usurae in collatione a momento. *Domat, de relationibus t.* 3. *Paris.* 309.

cogetur usuras quoque dotis conferre; cum emancipatus frater etiam fructus conferat, et filia patris suae fructus percipiat. l. 5. §. 1.

4. Fuit quaestionis, an si sua haeres filia patri cum fratribus, contenta dote abstineat se bonis, compellatur eam conferre? Et divus Marcus rescripsit, non compelli abstinentem se ab haereditate patris (k): ergo non tantum data apud maritum remanebit, sed et promissa exigetur etiam a fratribus: et est aeris alieni loco; abscessit enim a bonis patris. l. ult. (2)

TITULUS VIII. *De conjungendis cum emancipato liberis ejus.*

TITULUS IX.

De ventre in possessionem mittendo, et curatore ejus.

SUMMARIA.

1. *Pro nato habetur qui in utero est; ut ei servetur haereditas.*
2. *Favorabilior causa partus in utero, quam jam nati. Reipublicae nascimur.*
3. *Curator dandus et ventri et bonis: et ad utramque curam sufficit unus.*
4. *Alimenta ex bonis haereditariis viduae praegnanti.*

(k) *Paris*, 307.

(2) » L'erede che rinunzia all'eredità, può ciò non ostante ritenere le donazioni tra vivi sino alla concorrenza della porzione disponibile » (*Leggi civ. art.* 764).

1. Sicuti liberorum eorum, quia jam in rebus humanis sunt, curam praetor habuit; ita etiam eos qui nondum nati sint, propter spem nascendi, non neglexit. Nam et hac parte edicti eos tuitus est, dum ventrem mittit in possessionem. l. 1.

2. Ventri subvenire praetorem debere non dubitamus: eo facilius quod favorabilior est causa partus, quam pueri. Partui enim in hoc favetur, ut in lucem producatur; puero, ut in familiam inducatur: partus enim iste alendus est, qui (et si) non tantum parenti, cujus esse dicitur, verum etiam reipubblicae nascitur (*a*) l. 1. §. 15. (*b*).

3. Quoties autem venter in possessionem mittitur, solet mulier curatorem ventri petere (1): solet et bonis. Sed si quidem tantum ventri curator datus sit, creditoribus permittendum, in custodia bonorum esse: si vero non tantum ventri, sed etiam bonis curator datus est, possunt esse securi creditores; cum periculum ad curatorem pertineat. Idcirco curatorem bonis ex inquisitione dandum, idoneum scilicet, oportet creditores curare: vel si quis alius est, qui non edito partu successionem speret. Hoc autem jure utimur, ut idem curator et bonis et ventri detur. l. 1. §. 17. et 18.

4. Mulier autem in possessionem missa, ea sola sine

(*a*) Legem utilem reipublicae sobolis procreandae causa adjuvandam esse interpretatione. l. 64. *infra de conditionibus et demonstrationibus.*

(*b*) V. l. 122. *de legatis* 1.

(1) » Se alla morte del marito la moglie trovasi incinta, verrà nominato un curatore al ventre dal consiglió di famiglia » (*Leggi civ. art.* 315).

quibus foetus sustineri, et ad partum usque produci non possit, sumere ex bonis debet. Et in hanc rem curator constituendus est, qui cibum, potum, vestitum, tectum mulieri praestet, pro facultatibus defuncti, et pro dignitate ejus atque mulieris. Deminutio autem ad hos sumptus fieri debet, primum ex pecunia numerata: si ea non fuerit, ex his rebus quae patrimonia onerare magis impendio, quam augere fructibus consueverunt l. 1. §. 19. et 20.

Et si sciensque prudensque se praegnantem non esse, consumpserit; de suo consumpsisse Labeo ait. l. 1. §. ult.

Curator ventris alimenta mulieri statuere debet: nec ad rem pertinet, an dotem habeat unde sustentare se possit; quia videntur quae ita praestantur, ipsi praestari, qui in utero est (c). l. 5. (d).

TITULUS X.

De Carboniano edicto.

SUMMARIA.

1. *Non differenda causa infantis an filius sit, si periculum sit ne pereant probationes. Quod alicujus favore introductum est, non debet adversum eum observari.*
2. *Alimenta impuberi praestantur ex haereditate, pendente causa an sit filius.*
3. *Favor idem studiorum qui alimentorum.*

(c) Quid si mulier bona fide fuerit, sed non praegnans? Puto eam fructus restituturam. Quid de sumptibus parturitionis? Imputabuntur partui

(d) V. l. 5. §. 3. *de Carboniano edicto.*

1. Hoc diligentissime praetori examinandum est, an expediat pupillo repraesentari (e) cognitionem, an potius differri in tempus pubertatis: et maxime inquirere hoc a cognatis, matre, tutoribusque pupilli debet. Finge esse testes quosdam, qui dilata controversia aut mutabunt consilium, aut decedent, aut propter temporis intervallum non eandem fidem habebunt: vel finge esse anum obstetricem, vel ancillas, quae veritatem pro partu possunt insinuare; vel instrumenta satis idonea ad victoriam, vel quaedam alia argumenta; ut magis damnum patiatur pupillus, quod differtur cognitio, quam compendium, quod non raepraesentatur. Finge, pupillus satisdare non posse, et admissos in possessionam, qui de haereditate controversiam faciunt, multa posse subtrahere, novare, moliri: aut stulti, aut iniqui praetoris (f) erit, rem in tempus pubertatis differre cum summo ejus incommodo cui consultum velit. Divus etiam Hadrianus ita rescripsit: *Quod in tempus pubertatis res differri solet, pupillorum causa fit, ne de statu periclitentur, antequam se tueri possint. Caeterum si idoneos habeant, a quibus defendantur, et tam expeditam causam, ut ipsorum intersit, mature de ea judicari et tutores eorum judicio experiri volunt, non debet adversus pupillos observari, quod pro ipsis excogitatum est* (a): *et pendere status eorum, cum jam possit indubitatus esse.* l. 3. §. 5.

(e) Uno casu denegantur alimenta impuberi cujus status controvertitur, scilicet si exhaeredatus sit a testatore, qui eum negavit filium suum esse. l. *de inofficioso testamento.*

(f) Lex 51 *de evictionibus*, loquitur de stultitia judicis.

(a) L. 25. *de legibus.*

2. An autem vescendi causa deminuere possit is, qui ex Carboniano missus est, videamus? et si quidem satis impubes dedit, sive decrevit praeses, sive non, deminuet vescendi causa; et hoc minus restituet haereditatis petitori. Quod si satisdare non potuit, et aliter alere se videtur non posse, deminuendi causa usque ad id quod alimentis ejus necessarium est, mittendus est. Nec mirum debet videri, haereditatem propter alimenta minui ejus, quem fortasse judicabitur filium non esse; cum omnium edictis venter in possessionem mittatur, et alimenta mulieri praestentur, propter eum qui potest non nasci (*b*): majorque cura debeat adhiberi ne fame pereat filius, quam ne minor haereditas ad petitorem perveniat, si apparuit filium non esse l. 5. §. 3. Causae cognitio in eo vertitur, ut si manifesta calumnia appareret eorum, qui infatibus bonorum possessionem peterent, non daretur bonorum possessio. Summatim ergo, cum petitur ex Carboniano bonorum possessio; debet praetor cognoscere. Et si quidem absolutam causam invenerit, evidenterque probatur filium non esse, negare debet ei bonorum possessionem Carbonianam. Si vero ambiguam causam, hoc est, vel modicum pro puero facientem, ut non videatur evidenter filius non esse, dabit ei Carbonianam bonorum possessionem (*c*) l. 3. §. 4.

3. Non solum alimenta pupillo praestari debent: sed et in studia, et in caeteras necessarias impensas debet impendi pro modo facultatum. l. 6. §. 5.

(*b*) V. t. 1. §. 19. l. 5. *de ventre in pos. mit.* l. 10. *Qui sui vel alieni juris sunt.* Satius est eum ali qui forte filius non erit, quam eum fame negari, qui forte filius erit.

(*c*) Dubietas ipsa sufficit ut causa alimentorum.

TITULUS XI

De bonorum possessionibus secundum tabulas

SUMMARIA.

1. *Jus testandi inspiciendum tempore testamenti, et tempore mortis.*
   Nec furiosi, nec interdicti tempore mortis, irritum sit testamentum quod prius jure fecerat.
2. *Substitutus uni haeredum, eo deficiente, praefertur cohaeredi. Praelato scilicet jure substitutionis juri accrescendi.*
3. *Si plures septem testibus adhibiti sint, sufficit si extent septem testium signa.*
4. *Supremo morienti substitutus, si ignoretur quis prior decesserit, utrique succedet.*

1. Exigit praetor, ut is, cujus bonorum possessio datur, utroque tempore jus testamenti faciendi habuerit, et cum facit testamentum, et cum moritur. l. 1. §. 8.

Si quis testamentum fecerit, deinde amiserit testamenti factionem, vel furore, vel quod ei bonis interdictum est, potest ejus peti bonorum possessio; quia jure testamentum ejus valet: et hoc generaliter de omnibus hujusmodi dicitur qui amittant mortis tempore testamenti factionem; sed ante factum eorum testamentum valet. l. 1. §. 9. V. s. T. *qui test. fac. poss.* l. 8. §. 1. l. 18. *eod.*

2. Si duo sint haeredes instituti, Primus et Secundus, Secundo Tertius substitutus (*d*); omittente Secun-

(*d*) Substitutio excludit jus accrescendi.

do bonorum possessionem, Tertius succedit. Quod si Tertius noluerit haereditatem adire, vel bonorum possessionem accipere, recidit bonorum possessio ad Primum: nec erit ei necesse petere bonorum possessionem, sed ipso jure, ei accrescet. Haeredi enim scripto, sicut portio haereditatis, ita et bonorum possessio accrescit. l. 2. §. 8.

3. Cum tabulae testamenti plurium signis signatae essent, et quaedam ex his non parent, septem tamen signa maneant; sufficit ad bonorum possessionem dandam, septem testium signa comparere; licet non omnium, qui signaverint, maneant signa. l. 7.

4. *Qui ex liberis meis impubes supremus morietur, ei Titius haeres esto.* Duobus peregre defunctis, si substitutus ignoret uter novissimus decesserit, admittenda est Juliani sententia (*a*), qui propter incertum conditionis, etiam prioris, posse peti possessionem bonorum, respondit. l. 11. V. s. *de vulg. et pup.* l. 34.

TITULUS XII. *Si a parente quis manumissus sit.*

TITULUS XIII. *De bonorum possessione ex testamento militis.*

(*a*) Contra, si substitutus quis esset in partem ultimi morientis, nihil haberet si probare non posset quis novissimus decesserit. l. 34. *ad Trebellianum.*

TITULUS XIV.

De jure patronatus.

SUMMARIA.

1. *Jus patronatus transit ad filium non haeredem.*
2. *Paena capitis mors aut exilium.*
3. *Non valet quod sit in in fraudem legis.*

1. Filii haereditate paterna se abstinentes, jus quod in libertis habent paternis, non amittunt (*b*) l. 9. V. l. 47. §. 4. ff. *de bon libert.*

2. Capitis accusatio ea est, cujus poena mors aut exilium. l. 10. V. l. 103. *de verborum significatione.*

2. Quoties in fraudem legit fit alienatio, non valet quod actum est. l. 16.

TITULUS XV.

De obsequiis parentibus et patronis praestandis.

SUMMARIA.

1. *Coercendi qui parentes contumeliis afficiunt.*
2. *Parentes in id damnandi quod facere possunt.*
3. *Sancta liberis persona parentum.*
4. *Obsequia et alimenta parentibus praestanda.*

1. Si filius matrem aut patrem, quos venerari oportet, contumeliis adficit, vel impias manus eis infert,

(*b*) Liberis jus sepulchri competit; licet haeredes non sint. l. 8. *de religiosis.*

praefectus urbi delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo ejus vindicat. l. 1. §. 2.

2. In quantum facere possunt (parentes) damnantur. l. 7. §. 1.

3. Filio semper honesta et sancta persona patris videri debet. l. 9. (1)

4. Filia tua non solum reverentiam, sed etiam subsidium vitae ut exhibeat tibi, rectoris provinciae auctoritate compelletur. l. 5. C. *de patr. potest.*

---

(1) » Il figlio dee onorare e rispettare i genitori, qualunque sia la sua età ed il posto che occupi nella società » (*Leggi civ. art.* 287).

LIBER XXXVIII.

TITULUS I

De operis libertorum

SUMMARIA.

1. *Quod quis debet, suo impendio dare debet.*
2. *Marito debentur officia uxoris.*

1. Unusquisque, quod spopondit, suo impendio dare debet (*a*), quamdiu id quod debet, in rerum natura est. l. 20. V. l. 18. l. 33. l. 50.

Fere ea mens est personam arbitrio substituentium, ut, quia sperent eum recte arbitraturum, id faciant, non quia vel immodice obligari velint l. 30. (*b*)

2. Cujus matrimonio consensit (*liberta*) in officio mariti esse debet. l. 48.

(*a*) * *Lex* 18 *habet*: Suo victu vestituque operas praestare debet libertus. §. 1 *habet*: Quid si alere se non possit? Praestanda et alimenta a patrono. *Lex* 19 *habet*: Aut certe ita exigendae sunt ab eo operae, ut in his quoque diebus quibus operas edat, satis tempus ad quaestum faciendum unde ali possit, habeat. Id applicari potest operis tributariis. Pontanus *sur Blois*, *habet*: Dominus cui curvatae debentur, instrumenta operariorum dare non tenetur. Moru. ad tit. *de operis servorum*, ait operas tributarias praestari debent sumptibus operarii ut pronuntiatum in purpuris refert. Chopin. Duobus casibus exceptis. Primus est si alere non possint. Secundus si patronus proficiscatur in longinquum extra territorium.

(*b*) Lex 22 §. 1 *de re judicata*. l. 76 77 78 79 *pro socio*. l. 24. *locati conducti*.

TITULUS II.

De bonis libertorum.

SUMMARIA.

1. *Alteri juri non nocet, alterum amissum.*
2. *Medio obstante, res ad tertium non pervenit.*
3. *Quae sunt parentum, liberis parantur.*

1. Ei qui alio jure venit, quam eo quod amisit (c), non nocet id quod perdidit, sed prodest quod habet. l. 42.

2. Cum precedit alia possessio (d), qui sequitur accipere non potest. l. 42. §. 2.

3. Omnia quae nostra sunt, liberis nostris ex voto paramus. l. 50. §. 2. in fin.

TITULUS III. *De libertis universitatum.*
TITULUS IV. *De adsignandis libertis.*
TITULUS V. *Si quid in fraudem patroni factum sit.*

(c) Quoties alicui duplici jure defertur haereditas, repudiato novo jure, quod ante defertur, supererit verus. l. 91 *de re judicata.*

(d) Ista convenit regula sorori quae forte fratrem suum veneno occidit, indigna judicata est ab ejus haereditate; et bona liberis sororis adjecta sunt; sed si forte mater haeres existat liberis, haereditatem fratris in bonis liberorum confusam consequitur. V. l. 22 §. 4 *ad Trebellianum.*

TITULUS VI.

Si tabulae testamenti nullae extabunt, unde liberi.

SUMMARIA.

1. *Nec si parentes liberis, ut liberi parentibus natura succedunt.*

1. Non sic parentibus liberorum, ut liberis parentum debetur haereditas (e). Parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit (f); liberos naturae simul et parentum commune votum. l. 7. §. 1. (g).

TITULUS VII. *Unde legitimi.*

TITULUS VIII.

Unde cognati.

SUMMARIA.

1. *Proximus et ultimus dicitur etiam qui ultimus est.*
2. *Qui in utero est sequentes excludit.*
3. *Graduum ordo servandus: qui in uno gradu sunt simul veniunt.*

1. Proximus accipitur etiam is qui solus est: quamvis proprie proximus ex pluribus dicitur. l. 1. §. 5.

(e) Non deberent filii parentibus thesauros congerere, sed parentes filiis. Gotof.

(f) V. l. 15 *de inofficioso testamento.*

(g) L. 50 §. 1. *de bonis libertorum.*

Is est proximus quem nemo antecedit, et is ultimus quem nemo sequitur: et interdum idem primus postremusque qui solus occurrit. l. 2. §. 4. ff. *de suis et legit. haered.*

2. Si quis proximior cognatus nasci speretur, in ea conditione est, ut dici debeat, obstare eum sequentibus (*a*). Sed ubi natus non est, admittemus eum, qui post ventrem proximus videbatur. Sed hoc ita demum erit accipiendum, si hic, qui in utero esse dicitur, vivo eo, de cujus bonorum possessione agitur, fuit conceptus (*b*). Nam si post mortem, neque obstabit alii, neque ipse admittetur: quia non fuit proximus cognatus ei, quo vivo nondum animax fuerit (c). l. 1. §. 8.

3. Gradatim autem admittuntur cognati ad bonorum possessionem, ut qui sunt primo gradu, omnes simul admittuntur. l. 1. §. 10.

TITULUS IX. *De successorio edicto.*

(*a*) Nulla est cognatio inter viventes et mortuos, inter jam natos et nondum natos.

(*b*) Alioquin nullo gradu cognationis defunctum attinget. Vera ratio est, quia haereditas et legatum non possunt esse in suspenso. Nulla potest esse cognatio inter mortuum et viventem, si nec inter natos et non natos. Porro necesse non est partum esse animatum tempore delatae haereditatis; sufficit matrem concepisse, aut recepisse semen: nam fertur vulgo de maribus eos triginta post diebus animam recipere, infundi vero animam foeminis duntaxat post 60 dies. Gotofr. ad legem 39 *de poenis*, ubi haec omnia refert. Porro secundum Stoicorum sententiam *ἔμβρυον* non est animal, sed per leges pro animali habetur: hinc punitur qui partum abegit. l. 39 *de poenis*, propter spem nascendi. l. 2 *de mortuo infer.* et ut ait Tertullianus in Apologet. nobis vero homicidio severiter interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci; nec refert, quis natam eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo enim et qui est futurus, et fructus hominis jam in semine est.

(c) V. Gotofr. ad l. 9 *ad legem falcidiam*.

TITULUS X.

De gradibus et adfinibus, et nominibus eorum.

SUMMARIA.

1. *Tres gradus: superiorum, inferiorum et ex transverso.*
2. *Cognati qui ab eodem nati.*
3. *Affines sunt alteri conjugum alterius cognati.*
4. *Gradus cognationis ad haereditates, tutelas, testimonia pertinent.*
5. *Gradus a similitudine scalarum dicti sunt.*

1. Gradus cognationis alii superioris ordinis sunt, alii inferioris, alii ex transverso sive a latere. Superioris ordinis sunt parentes; inferioris liberi; ex transverso sive a latere fratres et sorores, liberique eorum. l. 1. (1)

2. Cognati ab eo dici putantur, quod quasi una communiterve nati, vel ab eodem orti, progenitive sunt. l. 4. §. 1.

3. Adfines sunt viri et uxoris cognati: dicti ab eo quod duae cognationes quae diversae inter se sunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit: namque conjungendae adfinitatis causa fit ex nuptiis. l. 4. §. 3.

4. Jurisconsultus cognatorum gradus et adfinium nosse debet (*d*); quia legibus haereditates et tutelae

(1) Concorda. (*Leggi civ. art.* 657).
(*d*) * *Lex* 2 §. 43 de origine juris, *habet*: Turpe esse patricio et nobili et causas oranti jus in quo versaretur ignorare.

ad proximum quemque adgnatum redire consueverunt. Sed et edicto praetor proximo cuique cognato dat bonorum possessionem. Praeterea lege judiciorum publicorum contra adfines et adgnatos testimonium inviti dicere non cogimur. l. 10.

5. Gradus autem dicti sunt a similitudine scalarum, locorumve proclivium, quos ita ingredimur, ut a proximo in proximum, id est, in eum qui quasi ex eo nascitur, transeamus. l. 10. §. 10. (a).

TITULUS XI. *Unde vir et uxor.*

TITULUS XII. *De veteranorum, et militum successione.*

TITULUS XIII. *Quibus non competit bonorum possessio.*

TITULUS XIV. *Ut ex legibus senatusve consultis bonorum possessio detur.*

TITULUS XV. *Quis ordo in possessionibus servetur.*

(a) V. Faber de numero et de tempore puerperii infra, et Cujacium ad sententiam Pauli 4 9 5, al leg. 29 *de liberis et post.*

TITULUS XVI.

De suis, et de legitimis haeredibus.

SUMMARIA.

1. *Post decem menses a morte natus, pro filio non habetur.*
2. *Qui post sextum mensem nascitur pro legitimo habetur.*
3. *Suus haeres ipso jure est haeres.*
4. *Ordo successionis ab intestato.*
5. *Quae liberorum legitima.*
6. *Affines non succedunt.*
7. *In maternis pater solum habet usumfructum.*
8. *Debet pater res maternas tueri, et lites ac caeteras impensas fructibus erogare.*
9. *Non perit ususfructus patris secundo nubentis.*
10. *In a se profectis pater succedit.*
11. *In omnibus quae liberis quaeruntur solum usumfructum habet pater.*
12. *Non habebit pater usumfructum, si is qui filio donat prohibuerit.*
13. *Pater filio cum ejus fratribus succedens, non habet usumfructum in eorum portionem.*
14. *Usumfructum non habet pater in donatis a Principe vel Augusta.*

1. Post decem menses (*b*) mortis natus, non admittetur ad legitimam haereditatem. l. 3. §. 11. Nov. 39. c. 2. (*c*) (1)

(*b*) Scilicet completos.
(*c*) Ubi dicitur undecimo mense perfecto. V, Gotofr. ad hanc

2. De eo qui centesimo octogesimosecundo die (*d*) natus est, Hypocrates scripsit (*e*), et divus Pius pontificibus rescripsit, justo tempore videri natum. l. 3. §. ult. (2)

3. In suis haeredibus aditio non est necessaria (*f*); quia statim ipso jure haeredes existunt. l. 14. (3)

4. Ad intestati successionem vocantur primo liberi, nepotes, caeterique descendentes: deinde parentes caeterique ascendentes: postremo ex latere conjuncti, hoc ordine. Liberi aut descendentes quocumque sint gradu, mares, faeminae succedunt, exclusis parentibus: liberi scilicet primi gradus in viriles, nepotes et ulteriores ex stirpibus, nulla graduum praelatione, nulla sexus differentia: sive sub patria sint potestate, aut sui juris, sive ex faeminis descendant aut ex masculis.

Parentes caeterique ascendentes utriusque sexus proximioris gradus ulteriores excludunt, sive materni sint, sive paterni. Si plures eodem gradu concurrunt, simul succedunt: pro media scilicet ascendentes a patre, pro media vero ascendentes a matre, quocumque sint numero (*g*).

Novel. et ad l. 3 §. 11. h. t. ubi refert. edictum Adriani *de tempore puerperii.*

(1) La ragione di ciò risulta dalla sua illegittimità (*V. Leggi civ. art.* 237 e 646).

(*d*) V. l. 12 *de statu hominis.*

(*e*) Perito cuilibet in arte sua credendum est. Dicitur in lege 12 *de statu hominum* septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est propter auctoritatem doctissimi viri Hypocratis.

(2) Ved. *Leggi civ. art.* 236).

(*f*) Continuatur dominium magis quam acquiritur. Verum jure civili non continuatur possessio nec transmittitur in haeredem etiam suum. Secus in Gallia V. l. 11 *de liberis.*

(3) » Gli eredi legittimi acquistano *ipso jure* il possesso de' beni » (*Leggi civ. art.* 645).

(*g*) Apud nos ascendentes succedunt in capita.

Si defuncto supersint cum parentibus aut fratres (h), aut sorores ex utriusque parentibus conjuncti, simul in viriles succedunt fratres et sorores cum parentibus, sive paternis sive maternis, secundum personarum numerum: fratrum vero et sororum liberi utriusque sexus similiter succedunt loco praemortui fratris aut sororis, portionem ejus vendicaturi. Si deficiant descendentes et ascedentes, primi vocantur fratres et sorores ex utroque parente conjuncti. His deficientibus, ex altera parte fratres et sorores succedunt. Cum fratribus vero et sororibus concurrunt praemortuorum fratrum et sororum filii ex stirpibus, exclusis semper qui ex altera tantum parte conjuncti sunt et liberis eorum, si supersint ex utraque parte conjuncti, aut liberi eorum: qui etiam thiis defuncti praeferuntur, quamvis nec fratres supersint nec sorores.

Caeteri omnes ex latere conjuncti suo quisque gradu succedunt, non ex stirpibus, sed in viriles intra eundem gradum, proximis remotiores excludentibus. Nov. 118. c. 1. 2. 3. Nov. 127. c. 1. (4)

(h) * L. 9. h. t. ait: Si ex pluribus legitimis haeredibus quidam omiserint haereditatem vel morte vel qua alia ratione impediti fuerint, reliquis qui adierint adcrescit illorum portio: licet decesserint antequam adcresceret, hoc jus ad haeredes eorum pertinet. Alia est causa instituti haeredis, et cohaeredis substituti. Huic enim vivo defertur ex substitutione haereditas, non etiam si decesserit haeredem ejus sequitur. Glossa in hac lege notari differentiam inter jus accrescendi et jus substitutionis. Jus adcrescendi locum habet in haerede haeredis, id est transmittitur: secus jus substitutionis.

(4) » La successione legittima sarà deferita a' figli o a' discendenti del defunto, agli ascendenti, ed a' collaterali del medesimo, nell' ordine e secondo le regole determinate qui appresso. » (*Leggi civ.* art. 654)

1. I figli o i loro discendenti succedono senza distinzione di sesso, nè di età. — Essi succedono in eguali porzioni e per capi,

5. Testamento parentes debent liberos haeredes instituere (a), saltem ex legitima portione; scilicet si quatuor sint liberi aut infra ex triente; si quinque aut plures, ex semisse. Nov. 115 c. 3. Nov. 18 c. 1. (5)

Debetur autem legitima tam in fructu quam in proprietate. d. Novell. 18. c. 3. V. s. *de in ff. test.* n. 18. et seq.

6. Affinitatis jure nulla successio permittitur. l. 7 C. *comm. de succ.* (b).

7. Res quae ex matris successione, sive ex testamento, sive ab intestato, fuerint ad filios devolutae, ita sint in parentum potestate, ut utendi fruendi dumtaxat ha-

---

quando sono tutti nel primo grado, o chiamati per proprio dritto. Succedono per istirpe, quando vengono o tutti o alcuni di essi per rappresentazione (*Ivi*, art. 667)

2. » A colui che muoja senza lasciar prole, nè fratelli nè sorelle, nè discendenti di essi, succederà il padre e la madre, o quello tra essi che sarà sopravvivente. — In mancanza di genitori l'eredità si deferirà, a parti eguali, agli ascendenti più prossimi, sia della linea paterna, sia della linea materna — Essi concorreranno co' fratelli e colle sorelle del defunto, e co' discendenti dei fratelli e delle sorelle premorte: i genitori, gli ascendenti, i fratelli e le sorelle in capi ed a porzioni eguali; i discendenti da fratelli e dalle sorelle in istirpe. » (*Ivi*, art. 668, 669, 671.)

3. » Al defunto che non abbia lasciato nè prole nè ascendenti, succederanno i fratelli e le sorelle, ed i discendenti de' fratelli e delle sorelle premorte: i primi in capi; i secondi in istirpi. — In mancanza di figli e di discendendi, di ascendenti, di fratelli e di sorelle, e de' loro discendenti, la successione apparterrà agli zii ed alle zie, e quindi al collaterale più prossimo, — Nondimeno la successione tra collaterali non si estenderà oltre del dodicesimo grado. » (*Ivi*, art 672, 673).

(a) Non dicitur in Novel patrem praecise cogi instituere filium in legitima: sed illa opinio apud nos invaluit.

(5) La legittima riservata ai figli consiste presso di noi nella metà dell'asse, da dividersela in egual tangente tra loro (*Leggi civ.* art. 829).

(b) Excepto titulo *unde vir et uxor.*

beant in diem vitae facultatem, dominio videlicet earum ad liberos pertinente. l. 1. C. *de bon. mat.*

In maternis commumerantur (c) data aut relicta ab ascendentibus ex linea materna. l. 2. C. *eod.*

8. Parentes autem penes quos maternarum rerum utendi fruendique tantum potestas est, omnem debent tuendae rei deligentiam adhibere: et quod jure filiis debetur in examine (per se vel per procuratorem) poscere: et sumptus ex fructibus (d) impigre facere, et litem inferentibus resistere. Atque ita omnia agere, tanquam solidum perfectumque dominium eis acquisitum fuisset. d. l. 1. C. *de bon. mat.*

9. Quamvis pater ad secundas nuptias transierit, hunc usumfructum non amittit. Ex l. ult. C. *de bon. mater.*

10. In profectitiis dotibus et donationibus propter nuptias succedit pater. l. 2. C. *de bon. quae lib.*

11. Omnium quae liberis quavis ex causa quaesita sunt, non ex ejus substantia cujus in potestate sint, solum usumfructum habebit pater, ut in maternis. l. 6. C. *de bon quae lib.* (6)

(c) Quid; ille ususfructus potestne prohiberi a testatore veluti ab avo materno? Hanc quaestionem vidi in facto. Ita vide Nov. 117. C. 1. et Auth. Excipitur *de bonis quae liberis.* Verum quidem est in donatione ab extraneo forte, posse prohiberi hunc usumfructum, sed in linea directa valde ambigitur saltem fini legitimae, quia est debitum naturale et forte maritus uxorem duxit hac spe allectus, quod bona materna aliquando ad eum devolverentur et ipse illis frueretur, sive tanquam maritus, jure matrimonii, sive tanquam pater, jure patriae potestatis. *Nota.* Haec quaestio locum habet in consuetudine Pictaviensi, ubi viget jus patriae potestatis, et in pluribus aliis. V. infra n. 12.

(d) Sumptus tamen non debet egredi fructus, neque enim bona debent esse oneri.

(6) » Gli ascendenti succederanno ad esclusione di ogni altro

12. Non habebit pater usumfructum, si quis parentum, vel etiam extraneus, filiofamilias donationem vel ultimam voluntatem, hac conditione reliquerit; ut non quaeratur ususfructus patri. Novell. 117. c. 1. supra n. 7.

13. Pater liberis cum eorum fratribus succedens in virilem, nullum in fratrum et sororum portione habet usumfructum. Nov. 118. c. 2.

14. Usumfructum non habet pater in donatis filio vel a Principe, vel ab Augusta, l. 7. C. *de bon. quae lib.*

Alia de successione parentum. Vide tit. seq. (*a*).

---

nelle cose da essi date in dote alle loro figlie e discendenti, o altrimenti donate a' loro figli o discendenti morti senza prole. » (*Leggi civ.* art. 670).

(a) V. adhuc casum exceptum in Auth. Idem est C. *de bonis quae liberis*, ubi dicitur. Idem est in his quae ex lege deferuntur liberis, parentibus praesumentibus solvere matrimonium sine causis lege definitis.

TITULUS XVII.

Ad senatusconsultum Tertyllianum, et Orphitianum.

SUMMARIA.

1. *Matri aeque succedunt filii ex diversis matrimoniis.*
2. *Filio succedit mater.*
3. *Si mater ad secundas nuptias transierit, liberis prioris matrimonii quaeruntur in viriles, quaecumque a patre ad matrem pervenerunt, solo usufructu matri relicto.*
4. *Quae ad matrem secundo nubentem ex bonis liberorum ab intestato pervenerint, ad caeteros liberos transmittitur usufructu matri quaesito.*
5. *Ex testamento liberorum quaesita mater habet pleno jure.*
6. *Liberi ex diversis matrimoniis sui quique patris praecipuas habent sponsalitias largitates.*
7. *Pater secundo nubens quae de bonis mulieris ad eum devoluta sunt liberis communibus servat.*
8. *Liberi, licet non haeredes parentum, propria habent, quae alteri parentum ab altero quaesita sunt.*
9. *Parens non amplius secundo conjugi, quam ei liberorum cui minus dederit, relinquere potest.*

1. Matris intestatae defunctae haereditatem ad omnes ejus liberos pertinere, etiam si ex diversis matrimoniis nati fuerint, juris est. l. 4. (b). (c)

(b) V. hic leges fere omnes *de secundis nuptiis*.
(c) Concorda, (*Leggi civ.* art. 667).

2. Filii mater, ex hoc senatusconsulto, etiam si in aliena potestate sit, ad haereditatem admittitur. l. 6. V. s. *de suis et legit.* n. 4. (2)

3. Faeminae, quae ad secundas nuptias transeunt, quidquid quovis titulo ex bonis priorum maritorum consecutae fuerint, cum ipsis lucris nuptialibus, licet ab alio pro parte datis, liberis communibus servandum, alienare prohibentur, solum usumfructum ad vitam habiturae proprietate ad liberos *devoluta*. l. 3. C. *de secund. nupt.* Nov. 22. c. 23. Nec licet matri inaequalis hujusmodi lucrorum inter liberos divisio. Nov. 2. cap. 1. Novell. 22. cap. 25.

4. Quod ad matrem ex paternis bonis unius liberorum prioris matrimonii ab intestato pervenerit, si ea secundo nupserit, sive illo superstite, sive jam mortuo, caeteris liberis *servabit*, usufructu retento: omni alienatione, ac de eo testandi facultate prohibita nisi omnibus liberis supervixerit. l. 1. §. C. *de secundis nuptiis.* Nov. 22. cap. 46.

5. Testatis liberis quae testamento matri reliquerint, etiam paterna, pleno jure habebit, licet secundo nupserit. Nov. 22. cap. 46.

6. Si mulier ex pluribus matrimoniis liberos susceperit, singulis patrum sponsalitiae largitates custodiendae. l 4. C. *de secund. nupt.* Nov. 22. cap. 29.

7. Generaliter censemus, quocumque casu constitutiones ante hanc legem mulierem liberis communibus, morte mariti matrimonio dissoluto, quae de bonis mariti ad eam devoluta sunt, servare sanxerunt, iisdem casibus maritum quoque quae de bonis mulieris ad eum

(2) Concorda. (*Leggi civ.* art. 668).

devoluta sunt, morte mulieris matrimonio dissoluto, communibus liberis servare. Nec interest si alter pro marito donationem ante nuptias, vel pro muliere dotem crediderit offerendam. Hoc observare praecipimus, licet res ante nuptias donatae (ut adsolet fieri) in dotem a muliere redigantur. Dominium autem rerum quae liberis per hujus legis, vel praeteritarum constitutionum auctoritatem servantur, ad liberos pertinere decernimus. Itaque defuncto eo qui eas liberis servabat, extantes ab omni possessore liberi vindicabunt: consumptas (vero) ab haeredibus ejus exigent, qui eas servare debuerunt (c). Alienandi sane, vel obligandi suo nomine eas res quae liberis servari preceptae sunt, eis qui reservaturi sunt, adempta licentia est. l. 5. C. *de secund. nupt.* Nov. 22. cap. 23. Haec a patre singulis liberis, pro virili servanda, sublato ei jure eligendi inter liberos. Novell. 22. c. 25.

8. Liberi quae vel ex bonis paternis, vel ex maternis, propter secundas alterutrius parentis nuptias, ad eos pervenerint, etiamsi neutrius parentis haeredes sint, propria habebunt (a). l. 5. §. 1. C. *de secundis nupt.* Novell. 22. cap. 20. 23. et 26.

9. Pater, aut mater caeterique parentes, qui susceptis ex priore matrimonio liberis, ad secundas nuptias transierint, secundo conjugi nihil amplius, quovis titulo, relinquere possunt, quam ei liberis cui minorem partem fecerint. Si plus dederint, quod excedit, ad solos prioris matrimonii liberos, non etiam ad secundi pertinebit. l. 6. C. *de secundis nupt.* Nov. 22. cap. 27.

(c) Dummodo liberi non sint haeredes ejus qui alienavit: nam de evictione ipsi tenerentur. l. 14. C. *de rei vindicatione.*

(a) Verum hi qui haeredes erunt excludent eos qui haeredes non erunt. Le Brun, *de Successionibus.*

LIBER XXXIX.

TITULUS I.

De operis novi nunciatione (*).

SUMMARIA.

1. *Novum opus prohibetur, donec appareat an jure factum sit.*
2. *Opus novum facit qui aliquid mutat.*
3. *In omni fundo publico vel privato opus novum nunciatur.*
4. *Nunciatur aut ex causa privata, aut ex publica.*
5. *Licet sint fundi intermedii, nunciatio locum habet, si intersit.*
6. *Restituendum quod post nunciationem factum est.*

1. Hoc edicto promittitur, ut, sive jure, sive injuria opus fieret, per nunciationem inhiberetur; deinde remitteretur prohibitio hactenus, quatenus prohibendi jus is qui nuntiasset, non haberet. l. 1.

2. Opus novum facere videtur, qui aut aedificando, aut detrahendo aliquid pristinam faciem operis mutat. l. 1. §. 11.

3. Sive autem intra oppida, sive extra oppida, in villis vel agris opus novum fiat, nunciatio ex hoc edicto locum habet: sive in privato sive in publico opus fiat. l. 1. §. 14.

(*) Nunciatio fit lapilli jactu.

4. Nunciatio fit, juris nostri conservandi causa, aut damni depellendi; aut publici juris tuendi gratia. Nunciamus autem quia jus aliquod prohibendi habemus; vel ut damni infecti caveatur nobis ab eo, qui forte in publico vel in privato quid molitur: aut si quid contra leges edictave Principum quae ad modum aedificiorum facta sunt, fiet vel in sacro vel in loco religioso, vel in publico, ripave fluminis, quibus ex causis et interdicta proponuntur. l. 1. §. 16. et 17.

5. Non solum proximo vicino, sed etiam superiori opus facienti nunciare opus novum potero. Nam et servitutes quaedam, intervenientibus mediis locis vel publicis vel privatis, esse possunt. l. 8.

6. Praetor ait: *Quem in locum nunciatum est, ne quid operis novi fieret, qua de re agitur: quod in eo loco, antequam nunciatio missa fieret, aut in ea causa esset ut remitti deberet, factum est, id restituas.* l. 20.

Quod si ita restitutum non erit, quanti ea res erit, tantam pecuniam dabit, si hoc petitori placuerit. l. 21, §. 4.

TITULUS II.

De damno infecto, et de suggrundiis et protectionibus.

SUMMARIA.

1. *In actione damni infecti periculosa dilatio.*
2. *Hic agitur de damno futuro.*
3. *Dominus aedium, quae eo non interpellato corruerunt, aut eas pro derelicto habere, aut damnum omne sarcire debet: nisi damnum passo imputari possit, quod sibi non prospexerit.*
4. *Tollere licet quae prolapsa sunt, damnum sarciendo, atque omnia tollendo.*
5. *Crusta quae terra coaluit, ejus fit in cujus fundum delapsa est.*
6. *Hi quorum interest hoc judicio experiuntur.*
7. *Non venit in hoc judicio quod vi majori contingit.*
8. *Qui puteum aperiens vicini venas praecidit, non tenetur. Aliud si fodiens vicini fundamentis noceat; aliud enim quasi lucrum prohibere, aliud damnum inferre.*
9. *Qui metu damni vicini aedes fulsit, repetit impensas.*
10. *Oneribus aptus esse debet paries communis.*
11. *Moderanda aestimatio damni ex hoc judicio.*
12. *Qui parietem communem nimium pressit, tenetur de damno.*
13. *Plures aedium domini pro parietibus tenentur.*
14. *Meliorem facere licet rem communem.*
15. *Interest Reibublicae diruta extrui.*

1. Res damni infecti celeritatem desiderat, et periculosa dilatio Praetori videtur. l. 1.

2. Damnum infectum, quod futurum veremur. Hoc edictum prospicit, damno nondum facto; cum caeterae actiones ad damna quae contigerunt sarcienda pertineant, ut in legis Aquiliae actione, et aliis. l. 2. et l. 7. §. 1.

3. Evenit, ut nonnunquam damno dato nulla nobis competat actio, non interposita antea cautione: veluti si vicini aedes ruinosae in meas aedes ceciderint. Adeo ut plerisque placuerit, nec cogi quidem eum posse, ut rudera tollat, si modo omnia quae jaceant, pro derelicto habeat (a). l. 6. (1).

De damno facto nihil edicto cavetur. Cum enim animalia quae noxam commiserunt, non ultra nos solent onerare, quam ut noxae ea dedamus; multo magis ea, quae anima carent, ultra nos non deberent onerare (b); praesertim cum res quidem animales quae damnum dederint, ipsae extent; aedes autem, si ruina

---

(a) Etiam totas aedes. l. 7. §. 1 et 2. l. 8 et 9. V. l. 8. *de incendio.*

(1) » Il proprietario di un edifizio è tenuto pe' danni cagionati dalla rovina del medesimo, quando sia avvenuta in conseguenza di mancanza di riparazione, o per vizio della sua costruzione. » (*Leggi civ.* art. 1340).

(b) Ratio quia bona non forent quae plus incommodi quam commodi afferrent. V. l. 49 *de verborum significatione.* l. 61 §. 5 *de furtis*; et titulos, *si quadrupes*; *et de noxalibus actionibus.* Distingue tres casus, 1. Si absque ulla actione mota damni infecti nomine aedes corruunt in aedes vicini; tunc sufficit domino aedium ruinosarum eas cum ruinis derelinquere. 2. Si post actionem motam aedes derelinquit, non tenetur cavere damni infecti. 3. Si caverit, id est, repromiserit damni infecti et aedes ruerint, tunc non sufficit aedes derelinquere, sed totum damnum sarciri debet. Unde explodi debent. l. 6 et 44 ut stetur isti distinctioni. *Nota.* Si cum pluribus ruderibus mobilia quaedam deciderint, potestas non fiet domino ingrediendi aedes alienas ut ea tollat, nisi omne damnum sarciat. Arg. l. 8 *de incendio.* V. l. 9 §. 1 2 3 h. t.

sua damnum dederunt, desierint extare. Unde quaeritur, si antequam caveretur, aedes deciderunt, neque dominus rudera velit egerere, eaque derelinquat, an sit aliqua adversus eum actio? et Julianus consultus, si priusquam damni infecti stipulatio interponeretur, aedes vitiosae corruissent, quid facere deberet is, in cujus aedes rudera decidissent, ut damnum sarciretur; respondit: si dominus aedium quae ruerunt, vellet tollere, non aliter permittendum, quam ut omnia, id est, et quae inutilia essent, auferret: nec solum de futuro, sed et de praeterito damno cavere eum debere. Quod si dominus aedium quae deciderunt, nihil facit, interdictum reddendum ei, in cujus aedes rudera decidissent, per quod vicinus compelletur aut tollere, aut totas aedes pro derelicto habere. Quod forte tunc recte dicetur, cum non ipsius negligentia, sed propter aliquod impedimentum sibi non prospexit. Hoc amplius Julianus posse dici, compellendum eum, ut etiam de praeterito damno caveret. Quod enim in re integra custoditur, hoc non inique itiam post ruinam aedium praestabitur. Integra autem re unusquisque cogitur aut de damno infecto cavere, aut aedibus carere quas non defendit. Denique, inquit, si quis propter angustias temporis, aut quia reip. causa aberat, non potuerit damni infecti stipulari, non inique Praetorem curaturum, ut dominus vitiosarum aedium, aut damnum sarciat, aut aedibus careat: sententiam Juliani utilitas comprobat. l. 7. §. 1. et 2. l. 8. et l. 9.

Cum postulassem ut mihi damni infecti promitteres, noluisti: et priusquam Praetor adiretur, aedes tuae corruerunt, et damnum mihi dederunt: Potius esse ait, ut nihil novi Praetor constituere debeat, et mea

culpa damnum sim passus qui tardius experiri coeperim. l. 44.

4. De his quae vi fluminis importata sunt, an interdictum dari possit, quaeritur? Trebatius refert, cum Tiberis abundasset, et res multas multorum in aliena aedificia detulisset, interdictum a Praetore datum, ne vis fieret dominis quominus sua tollerent, auferrent, si modo damni infecti repromitterent. Alphenus quoque scribit, si ex fundo tuo crusta laspa sit in meum fundum, eamque patas, dandum in re judicium de damno jam facto: idque Labeo probat. Nam arbitrio judicis, apud quem res prolapsae petentur, damnum quod ante sensi, non contineri: nec aliter dandam actionem, quam ut omnia tollantur, quae sunt prolapsa. l. 9. §. 1. et 2.

Si ratis in agrum meum vi fluminis delata sit, non aliter sibi potestatem tollendi faciendam, quam si de praeterito quoque damno mihi cavisses. l. 9. §. 3. V. l. 8. *de incendio*.

5. Ita demum crustam vindicari posse, idem *Alphenus* ait, si non coaluerit, nec unitatem cum terra mea fecerit. Nec arbor potest vindicari a te, quae translata in agrum meum cum terra mea coaluit (*a*). Sed nec ego potero tecum agere, jus mihi non esse, ita crustam habere, si jam cum terra mea coaluit: quia mea facta est. l. 9. §. 2. in fin.

6. Superficiarium et fructuarium damni infecti utiliter stipulari constat. l. 13. §. 8.

(a) Ista praescriptio est valde extraordinaria quae certum tempus non habet. V. l. 7 §. *de acquirendo rerum dominio*.

Damni infecti stipulatio competit non tantum ei cujus in bonis res est; sed etiam cujus periculo res est. l. 18.

7. Item apud Vivianum relatum est, si ex agro vicini arbores vi tempestatis confractae, in meum agrum deciderint, eoque facto vitibus meis, vel segetibus nocent, vel aedificia demoliunt; stipulationem istam, in qua haec comprehenduntur, *si quid arborum locive vitio acciderit*, non esse utilem: quia non arborum vitio, sed vi ventorum damnum mihi datum est. Plane si vetustate arborum hoc fiebat, possumus dicere, vitio arborum damnum mihi dari. Idem ait, si damni infecti aedium mearum nomine tibi promisero; deinde hae aedes vi tempestatis in tua aedificia ceciderint, eaque diruerint, nihil ex ea stipulatione praestari, quia nullum damnum vitio mearum aedium tibi contingit; nisi forte ita vitiosae meae aedes fuerint, ut qualibet vel minima tempestate, ruerint. Haec omnia vera sunt. l. 24. §. 9. et 10.

Damni infecti quidam vicino repromiserat: et ex ejus aedificio tegulae vento dejectae ceciderant in vicini tegulas, easque fregerant. Quaesitum est, an aliquid praestari oportet? Respondit, si vitio aedificii, et infirmitate factum esset, debere praestari: sed si tanta vis venti fuisset, ut quamvis firma aedificia convelleret, non debere: et quod in stipulatione est, *sive quid ibi ruet*, non videri sibi ruere, quod aut vento, aut omnino aliqua vi extrinsecus admota caderet: sed quod ipsum per se concideret. l. 43.

8. Item videamus quando damnum dari videatur: stipulatio enim hoc continet, quod vitio aedium, loci, operis damnum fit: ut puta in domo mea puteum ape-

rio. quo aperto venae putei tui praecisae sunt: an tenear? Ait Trebatius, non teneri me damni infecti: neque enim aexistimari, operis mei vitio damnum tibi dari in ea re, in qua jure meo usus sum. Si tamen tam alte fodiam in meo, ut paries tuus stare non possit, damni infecti stipulatio committetur (b). l. 24 §. 12.

Proculus ait, cum quis jure quid in suo faceret, quamvis promisisset damni infecti vicino, non tamen eum teneri ea stipulatione: veluti si juxta mea aedificia habeas aedificia, eaque jure tuo altius tollas: aut si in vicino tuo agro cuniculo vel fossa aquam meam avoces; quamvis enim et hic aquam mihi abducas, et illic luminibus officias, tamen ex ea stipulatione actionem mihi non competere; scilicet, quia non debeat videri is damnum facere, qui eo veluti lucro, quo adhuc utebatur, prohibetur. Multumque interesse, utrum damnum quis faciat, an lucro, quod adhuc faciebat, uti prohibeatur. Mihi videtur vera esse Proculi sententia. l. 26 V. Tit. seq. l. 1. §. 12.

9. In hac stipulatione venit, quanti ea res erit. Et ideo Cassius scribit, eum qui damni infecti stipulatus est, si propter metum ruinae ea aedificia, quorum nomine sibi cavit, fulsit; impensas ejus rei ex stipulatu consequi posse. Idemque juris esse, cum propter vitium communis parietis, qui cavit sibi damni infecti onerum eorum relevandorum gratia, quae in parietem incumbunt, aedificia sua fulsit. l. 28.

10. In parietis communis demolitione, ea quaeri

(b) Vide contra l. 13. *finium regundorum*. Sufficit enim ad fodiendum puteum passus latitudinem observare, et vicinus qui domum struxit, debuit praevidere, vicinum posse aliquando puteum fodere.

oportet (*a*): si satis aptus fuerit oneribus ferendis, an non fuerit aptus. Sed ita idoneum esse plerique dixerunt, ut utrarumque aedium onera, quae modo jure imponantur, communis paries sustinere possit. l. 35. et 36.

11. Ex damni infecti stipulatione non oportet infinitam, vel immoderatam aestimationem fieri (*b*); ut puta ob tectoria, et ob picturas: licet enim in haec magna erogatio facta est, attamen ex damni infecti stipulatione moderatam aestimationem faciendam: quia honestus modus servandus est, non immoderata cujusque luxuria subsequenda (*c*). l. 40.

12. Quoties communis parietis vitio quid accidit, socius socio nihil praestare debet; cum communis rei vitio contigerit. Quod si quia alter eum presserat, vel oneraverat, idcirco damnum contigit; consequens est, dicere detrimentum hoc, quod beneficio ejus contingit, ipsum sarcire debere l. 40. §. 1.

13. Si plurium sint aedes quae damnosae immineut, utrum adversus unumquemque dominorum in solidum competit, an in partem? Et scribit Julianus, quod et Sabinus probat, pro dominicis partibus conveuiri eos oportere. l. 40. §. 3. (*d*).

14. In reficiendo communi pariete, ei potius facultas aedificandi praestatur, qui magis idonee reficere parietem velit. Idemque dicendum est, etsi de eodem

---

(a) *Paris* 195 et 196.

(b) Non pluris quam vulgarla tectoria aestimari debere. l. 13. §. 1. *de servitutibus praediorum urbanorum.*

(c) Praeclara lex, et digna lege Oppia de luxu.

(d) V. l. 6 §. 1. *de aqua et aquae pluviae arcendae.*

itinere, rivove reficiendo inter duos vel plures quaeratur (e). l. 41.

15. Ad curatoris Reipublicae officium spectat, ut dirutae domus a dominis extruantur (f). l. 46.

TITULUS III.

De aqua, et aquae pluviae arcendae.

SUMMARIA.

1. *Ne fiat opus quo aqua aliter fluat, et noceat.*
2. *Hac actione non tenetur qui aratro fructus quaerendi causa, opus fecit.*
3. *Sibi quisque ita prosit ne alteri noceat.*
4. *Quod opere facto nocet, hac actione coercetur, non quod natura.*
5. *In suo aquam pluviam retinere, et ex vicini in suum derivare licet.*
6. *Qui in suo fodiens vicini fontem avertit, non tenetur: nisi id agat tantum ut noceat.*
7. *Superiori adversus inferiorem et contra haec actio competit, ne aqua ulites fluat.*
8. *Si ex natura loci aqua noceat, nulla est actio.*

(e) * Lex 44 §. 1 ait: Damni infecti nomine in possessionem missus possidendo dominium cepit. Deinde creditor eas aedes pignori sibi obligatas persequi vult. Non sine ratione dicetur; nisi impensas quas in refectionem fecerim, mihi praestare sit paratus, inhibendam adversus me persecutionem. Cur ego non emptori quoque id tribuendum est? Non recte haec inter se comparabuntur, quando is qui emit sua voluntate negotium gerat, ideoque diligentius a venditore sibi cavere et possit et debeat. Quod non aeque et de eo cui damni infecti non promittatur dici potest. V. l. 20 §. 2. *de pignoribus.*

(f) Ne civitas ruinis deformetur.

9. *Agri inferiores superiorum aquam excipiunt.*
10. *Servitus aggeris in alieno agro haberi potest.*
11. *Locus loco servit, lege, natura, vetustate.*
12. *Superioris fundi dominus fossam purgat cujus aquam inferior excipit.*
13. *Aggerem vi aquae dejectum vicino reponere licet.*
14. *Mutatum ipsa natura locum restituere potestis cujus interest.*
15. *Antiquorum probatio per eos qui meminerint, vel audierint factum.*
16. *Avertere flumen licet ne sibi noceat, quamvis alteri noceatur.*
17. *In plures dominos pro singulis partibus agitur plures domini pro suis partibus agunt.*
18. *Damni vera fit aestimatio.*
19. *Volenti non fit injuria.*
20. *Non ducitur aqua ex flumine, si minus navigabile futurum sit.*
21. *Nec pontem, nec arcum supra iter alienum extruere licet.*
22. *Manufactum opus restituendum: si quid vi contigit patientia praestanda.*
23. *Servitus tempore amittitur.*
24. *Errantis nulla voluntas.*
25. *Superiori sic arare licet ut velit, quamvis ad inferiorem sulci aquam derivent.*
26. *Vetustas operis pro titulo est.*

1. Haec actio locum habet in damno nondum facto, opere tamen jam facto; hoc est, de eo opere, ex quo damnum timetur: totiesque locum habet, quoties manufacto opere agro aqua nocitura est. Id est, cum

quis manufecerit, quo aliter flueret, quam natura soleret; si forte immittendo eam, aut majorem fecerit, aut citatiorem, aut vehementiorem: aut si comprimendo redundare effecit. Quod si natura aqua noceret, ea actione non continetur. l. 1. §. 1.

2. De eo opere, quod agri colendi causa aratro factum sit, Quintus Mucius ait, non competere hanc actionem. Trebatius autem, non quod agri, sed quod frumenti dumtaxat quaerendi causa aratro factum sit, solum excepit. l. 1. §. 3. V. l. 24.

3. Sic debet quis meliorem agrum suum facere, ne vicini deteriorem faciat. l. 1. §. 4. V. l. 3. §. 2. *de rivis.*

Prodesse sibi unusquisque, dum alii non nocet, non prohibetur. d. l. §. 11.

4. Iidem ajunt, si aqua naturaliter decurrat, aquae pluviae arcende actionem cessare. Quod si opere facto aqua aut in superiorem partem repellitur, aut in inferiorem derivatur; aquae pluviae arcendae actionem competere. l. 1. §. 10.

5. Iidem ajunt, aquam pluviam in suo retinere, vel superficientem (*) ex vicini in suum derivare, dum opus in alieno non fiat, omnibus jus esse. Prodesse enim sibi unusquisque, dum alii non nocet, non prohibetur: nec quemquam hoc nomine teneri. l. 1. §. 11.

6. Marcellus scribit, cum eo qui in suo fodiens vicini fontem avertit, nihil posse agi, nec de dolo actionem. Et sane non debet habere, si non animo vicino nocendi, sed suum agrum meliorem faciendi, id fecit. l. 1. §. 12. V. s. *de damn. infecto.* l. 26.

(*) Superfluentem.

7. Item sciendum est, hanc actionem vel superiori adversus inferiorem competere, ne aquam quae natura fluat, opere facto inhibeat per suum agrum decurrere: et inferiori adversus superiorem, ne aliter aquam mittat quam fluere natura solet (*a*) l. 1. §. 13.

8. Huic illud etiam applicandum, nunquam competere hanc actionem, cum ipsius loci natura nocet: nam (ut verius quis dixerit) non aqua, sed loci natura nocet. l. 1. §. 14. l. 14. §. 1.

9. Semper haec servitus inferiorum praediorum, ut natura profluentem aquam excipiant. l. 1. §. 22.

10. Denique ait (*Labeo*), conditionibus agrorum quasdam leges esse dictas: ut quibus agris magna sint flumina, liceat mihi scilicet in agro tuo aggeres vel fossas habere. Si tamen lex non sit agro dicta, agri naturam esse servandam, et semper inferiorem superiori servire. At hoc incommodum naturaliter pati inferiorem agrum a superiore, compensareque debere cum alio commodo. Sicut enim omnis pinguitudo terrae ad eum decurrit, ita etiam aquae in commodum ad eum defluere. Si tamen lex agri non inveniatur, vetustatem vicem legis tenere: sane enim (et) in servitutibus hoc idem sequimur; ut ubi servitus non invenitur imposita, qui diu usus est servitute, neque vi, neque precario, neque clam, habuisse longa consuetudine, vel ex jure impositam servitutem videatur (*b*). Non ergo cogemus vicinum aggeres munire, sed nos in ejus agro munie-

(a) Ergo non licere partem rivi avertere etiam in suum usum, si forte diminutio aquae noceat molendinis inferioribus. Arg. l. 1. §. ult.

(b) L. 10. *si servitus vindicetur*. l. ult. h.

mus: eritque ista quasi servitus; in quam rem utilem actionem habemus, vel interdictum. l. 1. §. ult.

11. In summa tria sunt per quae inferior locus superiori servit: *lex*, *natura loci*, *vetustas* quae semper pro lege habetur, minuendarum scilicet litium causa (c) l. 2.

12. Apud Ateium vero relatum est, eam fossam ex qua ad inferiorem fundum aqua descendit (d), cogendum esse vicinum purgare; sive extet fossae memoria, sive non extet: quod et ipse puto probandum. l. 2. §. 4. (e).

13. Item Varus ait, aggerem qui in fundo vicini erat, vis aquae dejecit: per quod effectum est, ut aqua pluvia mihi noceret. Varus ait, si naturalis agger fuit, non posse me vicinum cogere, aquae pluviae arcendae actione, ut eum reponat, vel reponi sinat. Idemque putat, etsi manu factus fuit, neque memoria ejus extaret: quod si extet, putat aquae pluviae arcendae actione eum teneri. Labeo autem, si manu factus sit agger, etiamsi memoria ejus non extat, agi posse ut reponatur: nam hac actione neminem cogi posse ut vicino prosit, sed ne noceat, aut interpellet facientem quod jure facere possit. Quanquam tamen deficiat aquae pluviae arcendi actio; attamen opinor utilem actionem vel interdictum mihi competere adversus vicinum, si velim aggerem restituere in agro ejus, qui

(c) Vetustas cujus origo memoriam excessit, jure constituti loco habetur. l. 3. §. 4. *de aqua quotidiana et aestiva.* Vide infra, l. ult.

(d) V. l. 11 §. ult. ubi distinguitur inter id quod fit subito et id quod fit paulatim.

(e) In l. 2. § 6. Dominus fundi servientis tenetur tantum pati ut purgetur: ratio quia agitur de immunditiis fundi superioris, neque enim inferiora accedunt.

factus mihi quidem prodesse potest, ipsi vero nihil nociturus est (a). Haec aequitas suggerit, etsi jure deficiamur (b). l. 2. §. 5.

14. Apud Namusam relatum est, si aqua fluens iter suum stercore obstruxerit, et ex restagnatione superiori agro noceat, posse cum inferiori agi, *ut sinat purgari* (c). Hinc enim actionem non tantum de operibus esse utilem manu factis, verum etiam in omnibus quae non secundum voluntatem sint. *Labeo* contra Namusam probat: ait enim, *naturam agri ipsam a se mutari posse*: et ideo cum per se natura agri fuerit mutata, aequo animo unumquemque ferre debere (d), sive melior, sive deterior ejus conditio facta sit: idcirco et si terrae motu, aut tempestatis magnitudine, soli causa mutata sit; neminem cogi posse, ut sinat in pristinam loci conditionem redigi. Sed nos etiam in hunc casum aequitatem admisimus (e). l. 2. §. 6.

15. Idem Labeo ait, cum quaeritur an memoria extet facto opere, non diem et Consulem ad liquidum exquirendum (f), sed sufficere si quis sciat factum: hoc est, si factum esse non ambigatur, nec utique necesse esse

---

(a) Quod alicui prodest et alteri non nocet facile concedendum est.

(b) Quia malitiis indulgendum non est. l. 38. *de rei vindicatione.*

(c) In l. 2 §. 4. Dominus loci superioris tenetur ipse purgare suis impensis: quia semper sunt immundities loci superioris. l. 11 §. 4.

(d) Labeonis sententia mihi non placet: nam fundus inferior debet servitutem naturalem superiori. Qui autem debet servitutem, pati debet ut res reficiatur, ergo et ut purgetur. l. 11 §. 1 *communia praediorum tam urbanorum.*

(e) Id est contra Labeonem.

(f) Licet hic vagari.

superesse qui meminerint: verum etiam si qui audierint eos qui memoria tenuerint l. 2. §. 8. (g).

16. Idem Labeo ait, si vicinus flumen, torrentem averterit, ne aqua ad eum perveniat, et hoc modo sit effectum, ut vicino noceatur, agi cum eo aquae pluviae arcendae non posse: aquam enim arcere, hoc esse, curare ne influat. Quae sententia verior est, si modo non hoc animo fecit, ut tibi noceat, sed ne sibi noceat (h). l. 2. §. 9.

17. Si ex plurium fundo decurrens aqua noceat; vel si plurium fundo noceatur (i); placuit, eoque jure utimur, ut sive plurium fundus sit, singuli in partem experiantur, et condemnatio in partem fiat: sive cum pluribus agatur, singuli in partem conveniantur, et in partem fiat condemnatio (k) l. 6. §. 1. l. 11. §. 3.

18. Aestimationem autem judex faciet ex rei veritate, hoc est, ejus damni quod apparuerit datum l. 6. §. ult

19. Nullam potest videri injuriam accipere, qui semel voluti. l. 9. §. 1. l. 19. et 20.

20. Si flumen navigabile sit, non oportere Praetorem concedere ductionem ex eo fieri, Labeo ait, quae flumen minus navigabile efficiat. Idemque est, et si per hoc aliud flumen fiat navigabile. l. 10. §. ult.

21. Supra iter alienum arcus aquae ducendae causa non jure fiet. Nec is, cui iter, actus debetur, pontem qua possit ire agere, jure extruet. l. 11.

(g) V. l. 28. *de probationibus.*

(h) Ergo non liceret murum ita extollere ut obscurarentur lumina vicini si forte id non prodesset muruin extollenti. Arg. l. 2. §. 5. h. l. 38. *de rei vindicatione. Paris*, 195.

(i) *Nil soliditatis.*

(k) V. l. 40 §. 3. *de damno infecto.*

22. Trebatius existimat, si de eo opere agatur, quod manufactum sit, omnimodo restituendum id esse ab eo cum quo agitur: si vero vi fluminis ager deletus sit, aut glarea injecta, aut fossa limo repleta, tunc patientiam dumtaxat praestandam (a). l. 11. §. ult.

23. Si prius nocturnae aquae servitus mihi cessa fuerit, deinde postea alia cessione diurnae quoque ductus aquae mihi concessus fuerit (b), et per constitutum tempus nocturna dumtaxat aqua usus fuerim, amitto servitutem aquae diurnae: quia hoc casu plures sunt servitutes diversarum causarum (c). l. 17.

24. Nulla volutas errantis est (d). l. 20.

25. Vicinus loci superioris pratum ita arabat, ut per sulcos, itemque porcas aqua ad inferiorem veniret. Quaesitum est, an per arbitrum (e) aquae pluviae arcendae possit cogi, ut in alteram partem araret ne sulci in ejus agrum spectarent? Respondit, non posse eum facere, quominus agrum vicinus quemadmodum vellet, araret (f). l. 24.

26. Scaevola respondit, solere eos qui juri dicundo praesunt, tueri ductus aquae, quibus auctoritatem vetustas daret, tametsi jus non probaretur. l. ult. (g).

(a) V. l. 2 §. 4. Ubi dominus fundi superioris tenetur purgare quod fit paulatim; secus hic quia id fit subita vi.

(b) V. l. 10. §. 1. *quemadmodum servitus amittitur.*

(c) Si patiente vicino opus faciam ex quo ei, aqua pluvia noceat, non teneri me actione aquae pluviae arcendae. l. 19. l. 9 §. 1.

(d) Sed hoc ita si non per errorem aut imperitiam deceptus fuerit: nulla enim voluntas errantis est. l. 20.

(e) *Nota*, in jurgiis inter vicinos judices dati dicebantur *arbitri*, quia hoc nomen lenius est et facilius conciliat animos.

(f) V. l. 1 §. 3.

(g) V. l. 1. §. ult. et l. 2 supra.

TITULUS IV.

De publicanis, et vectigalibus, et commissis.

SUMMARIA.

1. *Onus vectigalis fundo cohaeret.*
2. *Fiscus immunis est.*
3. *Solus princeps vectigal imponit, auget, minuit.*
4. *Incidit in poenam vectigalis etiam qui ignorat.*
5. *Poena non transit in haeredem ejus cui non est mota quaestio.*

1. IMPERATORES Antoninus et Verus rescripserunt, *in vectigalibus ipsa praedia, non personas conveniri*; et ideo possessores etiam praeteriti temporis vectigal solvere debere, eoque (*h*) exemplo (*i*) (*) actionem, si ignoraverint (*k*), habituros. l. 7. (*l*).

2. Fiscus ab omnium vectigalium praestationibus immunis est. Mercatores autem, qui de fundis fiscalibus mercari consueverunt, nullam immunitatem solvendi publici vectigalis usurpare possunt. l. 9. §. ult.

3. Vectigalia, siue Imperatorum praecepto, neque Praesidi, neque curatori, neque curiae constituere, nec praecedentia reformare, et iis vel addere vel diminuere licet. l. 10.

(h) Eosque. Hotman.

(i) Exemplo. Cujac.

(*) *Ex empto.*

(k) Licet scierint. Loyseau. Scilicet quoad praeterita vectigalia; nam emptor tenetur de futuris si scierit, non autem de praeteritis, licet scierit.

(l) V. l. 39 §. 5. *de legatis* 1. l. 21 §. 1. *de actionibus empti et venditi.*

4. Licet quis (*m*) se ignorasse dicat, nihilominus eum in poenam vectigalis incidere (*n*), Divus Hadrianus constituit. 16. §. 5.

5. Poenae ab haeredibus peti non possunt, si non est quaestio mota vivo eo qui deliquit: et hoc sicut in caeteris poenis, ita et in vectigalibus est (*o*). l. ult. §. 13.

(m) * *Lex* 12 *habet*: Quantae audaciae, quantae temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est qui nesciat.

(n) V. l. 2 §. 20. Vi bonorum raptorum. * *Lex* 6 *habet*: Si multi publicani sint qui illicite quid exegerunt, non multiplicatur duplicatio, sed omnes partes praestabunt, et quod ab alio praestari non potest, ab alio exigetur, nam inter criminis reos et fraudia participes multum esse constitit: poena doli non multiplicatur. l. 7 in fine. l. 8. *de jurisdictione*. l. 8. *ne quis eum*. l. 46. §. ult. *de jure fisci*. Ex hac lege 46 §. ult. *de jure fisci* concludi potest, proferri non posse nisi solam multam, 100. aureorum e. g. de jure statutam contra plures fraudatores in pulvere nicosiano (*tabaceo*) pro eodem facto.

(o) * *Lex* 8 *habet*: Fraudati vectigalis crimen ad haeredem ejus qui contraxit, commissi ratione transmittitur. Distinguendum ergo inter confiscationem et muleta, confiscatio de pleno jure contra haeredem transit: secus de muleta.

TITULUS V.

De donationibus.

SUMMARIA.

1. *Donatio proprie dicetur ejus quod quis ita dat, ut nolit unquam ad se reverti.*
2. *Donatio qua res tunc fiat accipientis, cum quid secutum fuerit, conditionalis est.*
3. *Cum id quod donatur ita sit accipientis, ut ad donantem si quid evenerit, revertatur, donatio est quae sub conditione solvitur.*
4. *Quod ad donatarium perferendum alicui datur, non ejus fit antequam perferatur.*
5. *Etsi deficiat causa donandi, stat donatio: aliud, si deficiat conditio.*
6. *Fructus rei donatae non sunt in ratione donationis.*
7. *Donatur quod donatario acquiri potest.*
8. *Dominus fit donatarius rei donatae cum scit et accipit.*
9. *Donator in id tenetur quod facere potest, quamvis condemnatus sit.*
10. *Non valet facta post crimen donatio.*
11. *Qui rem alienam sine dolo donaverat, non tenetur de sumptibus in eam factis, si evincatur.*
12. *Aliud officium, aliud donatio.*
13. *Haeres qui solidum legatum promisit, falcidia non utetur.*
14. *Ex donatione usurae non debentur propter moram,* sed si in dotem datum sit.
15. *Non donat qui dare jure cogitur.*

16. *Quod quis in jure confessus est infirmare non potest.*
17. *Viventis haereditatem donans nihil agit, eaque privatur.*
18. *Donator qui tertio pro donatario promisit, in solidum convenitur.*
19. *Pretium salutis non tam donatio quam merces.*
20. *Ære alieno donatarius non oneratur, sed haeres.*
21. *Donare potest senex.*
22. *Donationes insinuandae.*
23. *Usufructu retento traditio facta intelligitur.*
24. *Qui donavit tradere compellitur.*
25. *Donare quis potest, ut ad se donatario mortuo, quod donaverat revertatur.*
26. *Conditiones adjicere donationi perfectae non licet.*
27. *Revocatur donatio supervenientibus liberis.*
28. *Revocatur donatio ex causa ingratitudinis et non impletis conventionibus.*

1. Donationes complures sunt. Dat aliquis ea mente *ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti*: et propter nullam aliam causam facit quam ut liberalitatem et munificentiam exerceat (*a*). Haec proprie donatio appellatur. l. 1. (1)

2. Dat aliquis, *ut tunc demum accipientis fiat, cum aliquid secutum fuerit*; non proprie donatio appellatur, sed totum (hoc) donatio sub conditione est. L. 1.

(a) Ergo donatio mutua non est proprie donatio; nam ea potius est donantis intentio ut accipiat, quam ut donet.

(1) » La donazione tra vivi è un atto col quale il donante si spoglia attualmente ed irrevocabilmente della cosa donata in favore del donatario che l'accetta » (*Leggi civ.* art. 814).

3. Item cum quis ea mente dat, *ut statim quidem faciat accipientis, si tamen aliquid factum fuerit, aut non fuerit, velit ad se reverti*: non proprie donatio dicitur, sed totum hoc donatio est, quae sub conditione solvatur; qualis est mortis causa donatio. l. 1.

4. Si quis donaturus mihi pecuniam dederit alicui, ut ad me perferret, et ante mortuus erit (*b*), quam ad me perferat: non fieri pecuniam dominii mei constat (*c*). l. 2. §. 6. V. 1. l. 10. (*d*).

5. Titio decem donavi ea conditione, *ut* (*inde*) *Stichum sibi emeret*. Quaero, cum homo antequam emeretur, mortuus sit, an aliqua actione decem recipiam? Respondit, facti magis quam juris quaestio est. Nam si decem Titio in hoc dedi, *ut Stichum emeret*, aliter non daturus, mortuo Sticho, conditione repetam: si vero alias quoque donaturus Titio decem, quia interim Stichum emere proposuerat, dixerim, in hoc me dare, ut Stichum emeret; causa magis donationis, quam conditio dandae pecuniae existimari debebit; et mortuo Sticho, pecunia apud Titium remanebit. Et generaliter hoc in donationibus definiendum est: multum interesse causa donandi fuit, an conditio: si causa fuit, cessare repetitionem (*e*); si conditio, repetitioni locum fore. l. 2. §. ult. et l. 3.

6. Ex rebus donatis fructus perceptus in rationem

(b) Qui dedit.

(c) Qui mandatum morte expirat. V. contra l. 4. *de manumissis vindicta.*

(d) L. 19 §. 3 l. 3 §. 2. *de liber. legat.*

(e) Nota discrimen inter causam et conditionem. Causa in praeteritum confertur, conditio in futurum. l. 12 *de conditionibus et demonstrationibus.*

donationis non computatur. Si vero non fundum sed fructus perceptionem tibi donem (*f*), fructus percepti venient in computationem donationis. l. 9 §. 1. l. 11.

7. Donari non potest, nisi quod ejus fit cui donatur. l. 9. §. ult.

8. Absenti, sive mittas qui ferat, sive quod ipse habeat, sibi habere eum jubeas, donari recte potest. Sed si nescit rem, quae apud se est, sibi esse donatam, vel missam sibi non acceperit, donatae rei dominus non fit. l. 10. Non potest liberalitas nolenti acquiri. l. 19. §. 2.

9. Qui ex donatione se obligavit, ex rescripto Divi Pii, in quantum facere potest, convenitur; sed enim id quod creditoribus debetur, erit detrahendum: haec vero de quibus ex eadem causa quis obstrictus est (*g*), non debet detrahere. l. 12.

Qui id quod ex causa donationis stipulanti spoponderat (*a*), solvi constituit, actione constitutae pecuniae non in solidum, sed in quantum facere potest convenitur; causam enim et originem constitutae pecuniae, non judicii potestatem, praevalere placuit (*b*). Sed et condemnatus ex causa donationis, in actione judicati non frustra desiderat, in quantum facere potest, conveniri. l. 33. V. infr. d. l. 33. §. 4.

(f) Quid de legitima, si donatarius accumulari sinerit usuras? e. g. puella, cui summa aliqua in dotem constituta fuit, accipiet ne usuras ei debitas, quin teneatur aliis legitimam praestare? V. Perchambaut, *sur Bretagne*, *art.* 597 *et les placites de Normandie*, *art.* 95

(g) In solo donare detrahitur quod creditoribus debetur ut computetur quid facere possit.

(a) *Nulla innovatio.* V. l. 24. *de causa mortis donationibus.*

(b) Exceptio quae infringit judicatum, sed duntaxat potest opponi post sententiam; idem de discussione.

10. Post contractum capitale crimen (c), donationes factae non valent, ex constitutione Divorum Severi et Antonini, (nisi) condemnatio secuta sit. l. 15.

11. Labeo ait (*d*), si quis mihi rem alienam donaverit, inque eam sumptus magnos fecero, et sic evincatur (*e*), nullam mihi actionem contra donatorem competere: plane de dolo posse me adversus eum habere actionem, si dolo fecit (*f*). l. 18. §. 3.

12. Labeo scribit, extra causam donationem esse talium officiorum mercedes; ut puta, *si tibi adfuero*, *si satis pro te dedero*; *si*, *qualibet in re opera vel gratia mea usus fueris* (*g*). *l.* 19. §. 1.

13. De illo dubitari potest, qui quod per falcidiam retinere poterat, voluntatem testatoris secutus, spopondit se daturum (*h*). Sed magis est, ut non possit suae

---

(c) V. l. 10. *de jure patronatus.* l. 104. *de verborum significatione.* Reo criminis postulato nihil prohibet interim pecuniam a debitoribus solvi, alioquin plerique innocentium necessario sumptu egebunt. l. 41. *de solutionibus.* l. 46. §. 6. *de jure fisci.* l. 20. *de accusationibus.*

(d) V. l. 80 §. 1. *de manumissionibus.* l. 15. *qui et a quibus manumissi.* Antoo. Fab. 7. conject. 20. l. 7. *de causa mortis donationibus.* l. 9. C. *de bonis proscriptis.* l. 31. §. ult. *de donationibus.* l. 20. *de accusationibus.* l. 24. C. *de donationibus inter.* l. 32. §. 7. ff. eod. l. 5. §. 4. C. *ad l. Juliam majest.* V. l. 2. C. *qui testamenta facere.*

(e) Evictio in donatione non spectat nisi sumptus.

(f) Ne quod benigne contulerit, fraudis consilio revocet. V. l. 62. in fine. *de Ædilitio edicto.* l. 17 §. 3. in fine *commodati vel contra.* l. 2. C. *de evictionibus.*

(g) Tres sunt sensus hujus legis. Primus est has donationes non esse remuneratorias. Secundus est has operas non esse donatiooes. Tertius est mercedes harum operarum non esse donationes, sed debiti praestationem. V. infra. n. 19. l. 34. §. 1.

(h) Haec stipulatio facta fuerat post mortem testatoris et post jus haeredi quaesitum, non autem vivo testatore propter l. 15. *ad legem Falcidiam.* §. 1.

confessioni (*i*) obviare. Quemadmodum enim, si solvisset, fidem testatori suo adimplesse videbatur, et nulla ei repetitio concessa fuerat: ita et stipulatione precedente, contra fidem testatoris quam agnovit, venienti ei merito occurretur. l. 20. §. 1.

14. Eum qui donationis causa pecuniam, vel quid aliud promisit, de mora solutionis pecuniae usuras non debere summae, aequitatis est. l. 22.

Nuda ratio non facit aliquem debitorem: ut puta quod donare volumus, licet referamus in rationes nostras debere nos, tamen nulla donatio intelligitur. l. 80. §. 10. *de leg.* 2.

15. Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur l. 29.

16. Quidam in jure interrogatus, *nihil sibi debere tutoris haeredes* respondit: eum actionem jure amisisse respondi. Licet enim non transactionem, sed donationis haec verba esse quis accipiat, attamen eum qui in jure confessus est, suam confessionem infirmare non posse. l. 29. §. 1. V. Tit. *de confess.*

17. Donationem quidem partis bonorum proximae cognatae viventis nullam fuisse constabat: verum ei qui donavit, ac postea jure Praetorio successit, quoniam adversus bonos mores et jus gentium festinasset, actiones haereditarias in totum denegendas respondit (*a*). Nam ei, ut indigno, aufertur haereditas l. 29. §. 2. et l. 30.

(i) Id est, cabtipui, nam Graeci cautionem vocant [illegible], Gotof.

(a) De verborum obligationibus. n. ult. l. ult. C. *de pactis.* l. 2. §. 2. *de vulgari.* l. 4. C. *de inutili stipulatione.*

18. Si, cum Primus donare vellet, et tu donandi Secundo voluntatem haberes, Primus Secundo ex voluntate tua stipulanti promiserit, perficitur donatio. Et quia nihil Primus Secundo a quo convenitur, donavit, et quidem in solidum, non id quod facere potest, condemnatur (*b*). Idque custoditur, et si delegante eo, quo donationem erat accepturus, creditori ejus donator promiserit: et hoc enim casu creditor suum negotium gerit. l. 33. §. 3. V. s. l. 12. et inf. *de re judic.* et. l. 41.

19. Si quis aliquem a latrunculis vel hostibus eripuit, et aliquid pro eo ab ipso accipiat; haec donatio irrevocabilis est (*c*). Non (*d*) merces eximii laboris appellanda est: quod contemplatione salutis certo modo aestimari non placuit (*e*) l. 34. §. 1. (*f*).

20. Æris alieni quod ex haereditaria causa venit, non ejus qui donationis titulo possidet, sed totius juris successoris onus est (*g*). Si itaque nemini obligata praedia per donationem consecuta es, supervacuam geris sollicitudinem, ne vel haeredes donatricis, vel ejus creditores te jure possint convenire l. 15. C. *eod.*

21. Senectus ad donationem faciendam sola non est impedimento (*h*). l. 16. C. *eod.*

22. Data jam pridem lege statuimus, ut donationes

(b) Delegatio tollit exceptiones de legato et privilegia. l. 19. *de novationibus.*

(c) Ex causa ingratitudinis.

(d) Enim donatio, sed. Vel si tamen donatio non merces.

(e) Vide Anton. Fab.

(f) Vide l. 19. §. 1.

(g) V. l. 1 §. 16. *ad Trebellianum.* l. 50 §. 1. *de judiciis.* l. ult. C. *de haereditariis actionibus.*

(h) V. l. 3. C. *qui testamenta facere.*

interveniente actorum testificatione conficiantur (*i*) : quod vel maxime inter necessarias, conjuntasque personas convenit custodiri. Si quidem clandestinis ac domesticis fraudibus (*k*) facile quidvis, pro negotii opportunitate confingi potest, vel id quod vere gestum est aboleri (*l*) l. 27. C. *eod.* l. 30. et seq. C. *eod.*

23. Quisquis rem aliquam donando, vel in dotem dando, vel vendendo, usumfructum ejus retinuerit, etiam si stipulatus non fuerit, eam continuo tradidisse credatur, nec quid amplius requiratur, quo magis videatur facta traditio : sed omnimodo idem sit in his causis usumfructum retinere, quod tradere l. 28. C. *eod.* l. 35. §. 5. *eod.*

24. Non ex hoc inutilis sit donatio quod res non traditae sunt, nec confirmetur ex traditione donatio :

(i) Deficiente insinuatione donatio nulla est in quantum excedit quingentos solidos sive aureos, l. 34. C *de donationibus.* Et ipse donator potest hoc superfluum vindicare, adeo ut possit defectum insinuationis opponere, quod probatur dicta lege 34. §. 2. C. de donationibus. Ubi res donata sit communis inter donatorem et donatarium, deficiente insinuatione. Item probatur per legem 39. C. *de Episcopis et Clericis.* Donatio valet sine insinuatione. 1. Si fiat a Principe, dicta lege 34 C. de donationibus 2. Si fiat Principi. Nov. 52. c. 2. 3. Si fiat propter nuptias uxori minori a marito, dicta lege. 34 §. 1. l. 17. C. De donationibus ante nuptias. Hodie valet absque distinctione si fiat uxori etiam majori a marito, secus si fiat marito ab uxore, nec sequatur insinuatio Novel. 119. et Nov. 127. 4. Si donatio fiat dotis constituendae causa, quia est titulus onerosus marito. l. ult. *de jure dotium.* 5. Si fiat in redemptionem captivorum. l. 36. *de donationibus.* 6. Si fiat iis quorum aedes incendio deflagrarunt, dicta lege 36. §. 2. Nota enim donationes pias non esse immunes ab insinuatione ; sed dumtaxat in his duobus casibus. 7. In donatione remuneratoria. Cujac. 8. In donatione causa mortis. 9. In donatione mutua. Gotofr. ad leg. 26. De causa mortis donationibus.

(k) Facile fraus praesumitur inter conjunctas personas.

(l) Leo Soph. Nov. 50. remisit necessitatem insinuationis in donationibus quae scripto constant.

sed liberalitatem plenam (a), et secundum legem nostram perfectissimam constitutam necessarius traditionis effectus sequatur. l. 35. §. 5. C. *eod.*

25. Si rerum tuarum proprietatem (dono) dedisti, *ita ut post mortem ejus qui accipit ad te rediret*, donatio valet. Cum etiam ad tempus certum vel incertum ea fieri potest; lege scilicet quae ei imposita est, conservanda. l. 2. C. *de donat. quae sub modo.* (2)

26. Perfecta donatio conditiones postea non capit (b), quare si pater tuus donatione facta, quasdam post aliquantulum temporis fecisse conditiones videatur, officere hoc nepotibus ejus fratris tui filiis minime posse, dubium non est (c). l. 4. C. *de donat. quae sub modo.* Paris. 273. contra.

27. Si unquam libertis patronus (d), filios non habens, bona omnia vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, et postea susceperit liberos: totum quidquid largitus fuerat, revertatur, in ejusdem donatoris arbitrio, ac ditione mansurum (e). l. 8. C. *de revoc. donat.* (3)

(a) Olim vera et realis traditio necessaria erat, hodie nulla requiritur non quidem ficta. Moribundis autem nostris requiritur saltem ficta traditio.

(2) » Il donante potrà stipulare la riversione delle cose donate, tanto nel caso che premuoja il donatario solo, quanto nel caso che premuojano il donatario ed i suoi discendenti » *Leggi civ. art.* 876.

(b) Quae ab initio sunt voluntatis, ex post facto fiunt necessitatis. l. 5 C. *de obligationibus et actionibus.*

(c) At donator apponere potest suo filio donatario substitutionem in favorem filiorum sui filii. *Dolive*, l. 5. c. 15. in aliquibus casibus.

(d) V. l. 40 §. ult. *de pactis.* l. 102. *de conditionibus et demonstrationibus.* l. 30. C. *de fideicom.*

(e) Anton. Fab. 7. conj. 14. probat legem. Si *unquam* male detortam fuisse ab interpretibus ad revocandas donationes ex super-

28. Donationes circa filium filiamve, nepotem neptemve, vel pronepotem proneptemve emancipatos celebratas pater, vel avus, vel proavus revocare non poterit, nisi edoctis manifestissimis causis quibus eam personam in quam collata donatio est, contra ipsam venire pietatem, et ex causis quae legibus continentur fuisse constabit ingratam. l. 9. C. *de revoc. donat.*

Generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas firmas illibatasque manere, si non donationis acceptor

---

venientia liberorum. 1. Jurisconsulti nunquam id excogitaverunt. 2. In lege *quapropter* ul. C. *de revocandis donationibus*, enumerantur a Justiniano causae revocationis et istius non fit mentio: unde restringi debet lex *Si unquam* ad suum casum. 3. Donator magis diligit donatarium quam seipsum. Quod a fortiori magis eum diligit quam liberos. 4. Donatio inter vivos debet esse irrevocabilis, nec conditio addi debet ex postfacto, nec propositum in mente retentum quidquam operatur, et interpretatio fieri debet contra donatorem. 5. Quomodo donator revocare poterit bona in favorem liberorum cum ea ipsis relinquere non cogatur. Dicuntur enim bona revocata in arbitrio donatoris remansura. 6. Male Justinianus in leg. 30. C. *de fideicomm* usus est praeclara ratione Papiniani quae legitur in l. 102. *de conditionibus et demonstrationibus.* Papinianus ait: Conjectura paternae pietatis. Justinianus autem ea sic explicat, quia nemo praesumitur velle alienas successiones propriis anteponere: at in lege 102 Avus non anteponebat extraneum propriae soboli: unde ratio sumitur ex conjectura pietatis patris non vero avi. 7. Molin. primus hoc jus revocandae donationis in publicum introduxit tractatu suo ut posset donationem in fratrem suum collatam revocare, et cum jus illud nullo usu stabilitum esset, coactus fuit consentire ut res donatae remanerent oppigneratae doti caeterisque actionibus dotalitiis uxoris fratris. 8. Donator potest igitur jus revocandae donationis alteri extraneo cedere. Contra in tantum res fuerunt progressae, ut quidam contendant donationem ipso jure revocari absque facto hominis. Gotofr. ad hanc legem ait revocari ipso jure. Item Tiraquet. V. Ricard. Et ita judicatum per arrestum magnae Camerae die 26 feb. 1703. perorantibus DD. Chauvelin et Gilbert, et D. Portal Advocato Catholico, et confirmata fuit sententia Praepositi Parisiensis in purpuris.

(3) » La donazione tra vivi potrà rivocarsi per la sopravvegnenza de' figli » (*Leggi civ.* art. 878.)

ingratus circa donatorem inveniatur: ita ut injurias atroces in eum effundat, vel manus impias inferat, vel jacturae molem ex insidiis suis ingerat quae non levem censum substantiae donatoris imponat, vel vitae periculum aliquod ei intulerit, vel quasdam conventiones quas donationis acceptor spopondit, minime implere voluerit. l. ult. eod. (4)

TITULUS VI.

De mortis causa donationibus, et captionibus.

SUMMARIA.

1. *Quid mortis causa donatio.*
2. *Tres mortis causa donationum species.*
3. *Donari potest, ut convalescenti restituatur.*
4. *Onus legati eo diminuto diminuitur.*
5. *Tempore mortis intuendum an capere possit cui legatum est.*
6. *Non praescribit debitor suspensa per donationem causa mortis obligatione.*
7. *Invicem donatarii mortis causa si pariter decesserint, neuter ad haeredem transmittit (f).*
8. *Quae donatio revocari non potest, inter vivos dicitur.*
9. *Morte firmatur donatio mortis causa.*
10. *Qui donat inter vivos donatarium sibi qui mortis causa, haeredi praefert.*
11. *Societas non initur per mortis causa donationem.*

(4) » La donazione tra vivi potrà rivocarsi per causa d'inadempimento delle condizioni colle quali è stata fatta, e per causa d'ingratitudine » (*Leggi civ. art.* 878.)

(f) V. tit. *de rebus dubiis*. n. 6; l. 32 §. 14. *de donationibus inter virum*. *Nota*, hic traditio facta praesumitur propter verbum *repetet*.

12. *Exaequatae sunt legatis donationes mortis causa.*

1. Mortis causa donatio est, cum quis habere se vult, quam eum cui donat; magisque eum cui donat, quam haeredem suum. l. 1.

2. Julianus tres esse species mortis causa donationum, ait: *Unam*, cum quis nullo praesentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis donat. *Alium* esse speciem mortis causa donationum ait, cum quis imminente periculo commotus, ita donat, ut statim fiat accipientis. *Tertium* genus esse donationis ait, si quis periculo mortus, non sic det, ut statim fiat accipientis; sed tunc demum cum mors fuerit insecuta l. 2.

3. Sic potest donari, ut si convaluerit (*donator*) recipiatur. l. 8. in fin.

4. Ei, qui non amplius parte capere poterat, legatus est fundus, si decem dedisset haeredi (*a*): non totam summam (is) dare debet, ut partem fundi haberet, sed partem dumtaxat pro rata, qua legatum consequitur l. 20. (*b*).

5. In mortis causa donationibus non tempus donationis, sed mortis intuendum est, an quis capere possit (*c*). l. 22.

6. Quod debitori acceptum factum esset mortis causa, si convaluerit donator, etiam tempore liberato ei potest condici (*d*): namque acceptilatione intervenien-

(a) E. G. in legatis proprii integri loco quinti.

(b) L. 32 §. 4. *ad falcidiam.*

(c) Quia donationes sunt privati juris: secus in legatis in quibus capacitas requiritur tempore testamenti: quia testamenta sunt juris publici.

(d) Hoc modo donatio nocet donatori; id est, per acceptilationem interrumpitur praescriptio.

te, abitum ab jure pristinae obligationis, eamque in hujusmodi condictionem transfusam (e) l. 24.

7. Si qui invicem sibi mortis causa donaverunt, pariter decesserunt, neutrius haeres repetet: quia neuter alteri supervixit (g) l. 26.

8. Ubi ita donator mortis causa, ut nullo casu revocetur, causa donandi magis est (h), quam mortis causa donatio: et ideo perinde haberi debet, atque alia quaevis inter vivos donatio l. 27.

9. Non videtur perfecta donatio mortis causa facta, antequam mors insequatur. l. 32.

10. Mortis causa donatio longe differt ab illa vera et absoluta donatione quae ita proficiscitur, ut nullo casu revocatur: et ibi qui donat, illum potius quam se habere mavult. At his qui mortis causa donat, se cogitat; atque amore vitae recepisse potius quam dedisse mavult. Et hoc est quare vulgo dicatur, se potius habere vult, quam eum cui donat; illum deinde potius quam haeredem suum. l. 35. §. 2.

11. Si quis societatem per donationem mortis causa iuierit, dicendum est nullam societatem esse. l. 35. §. 5.

12. Illud generaliter meminisse oportebit, donationes mortis causa factas, legatis comparatas (a). Quodcumque igitur in legatis juris est, id in mortis causa donationibus erit accipiendum. l. 37.

(e) Id est, subtilitate juris videbitur debitor liberatus per acceptilationem: ex aequo tamen et bono acceptum ferenti creditori non nocet, quia videtur per eam acceptilationem obligatio debitoris transfusa in condictionem causa data, causa non secuta. Gotofr. * *Lex* 25 §. 1 *ait*: Filiusfamilias qui non potest facere testamentum nec voluntate patris, tamen mortis causa donare patre permittente potest. V. l. 6. *qui testamenta facere possunt.*

(g) *Nota* : ista synopsis pugnat praecise cum textu.

(h) Id est, donatio inter vivos magis est.

(a) Contra filiusfamilias non potest legare permittente patre. l. 25. §. 1. supra. Pariter tempus mortis spectatur in donationibus causa mortis: in legatis autem tempus testamenti propter legem Catonianam. V. supra l. 32.

LIBER XL.

TITULUS I.

De manumissionibus.

SUMMARIA.

1. *Cum pares sunt judicium sententiae, aut testimonia, pro libertate pronuntiandum.*

1. Lege Julia Petronia, si dissonantes pares judicium (*b*) existant sententiae, pro libertate pronuntiari jussum. Sed et si testes non dispari numero, tam pro libertate, quam contra libertatem dixerint, pro libertate pronuntiandum esse constitutum est. l. 24. d. l. §. 1. l. 38. ff. *de re judic.* (*c*).

(b) V. Alteserram *de fictionibus juris* t. 3 c. 17 ubi ait: In pari numero suffragium Minervae accedere pro reo: et id pro Oreste observatum fuit apud Athenienses: contrarium apud Hebraeos et in Talmud. Eodem privilegio fruitur Rex Galliae, ex declaratione mensis martii 1640. Sic nulla divisio in causa regis. V. ad legem 38 *de re judicata.* Brodeau, 1 P. n. 45.

(c) L. 10 *de manumissis testamento.*

TITULUS II.

De manumissis vindicta.

SUMMARIA.

1. *Testatoris voluntas durat, cum non appareat mutata esse.*
2. *Falsa existimatio veritati non nocet.*

1. Si pater filio permiserit servum manumittere, et interim decesserit intestato; deinde filius, ignorans patrem suum mortuum, libertatem imposuerit; libertas servo favore libertatis contingit, cum non appareat mutata esse domini voluntas (*d*). Sin autem ignorante filio vetuisset pater per nuncium, et antequam filius certior fieret, servum manumisisset, liber non fit. Nam ut filio manumittente servus ad libertatem perveniat, durare oportet patris voluntas: nam si mutata fuerit, non erit verum volente patre filium manumisisse. l. 4.

2. Plus in re est, quam in existimatione l. 4. §. 1.

TITULUS III. *De manumissionibus quae servis ad universitatem pertinentibus imponuntur.*

(d) V. contra l. 2 §. 6 *de donationibus*. Quid de revocatione mandati?

TITULUS IV.

De manumissis testamento.

SUMMARIA.

1. *In obscuro quod favorabilius judicandum.*
2. *In eo puniendus quis in quo deliquit, nec delictorum poenae confundendae.*

1. In obscuro favorabilius (pro libertate) respondetur. l. 10. in fin. l. 24. *de manumissionibus.*

2. Puram, et directam domini sui testamento libertatem Stichus acceperat, (et) ex haereditate multa per fraudem amovisse dicitur. Quaesitum est, an non ante in libertatem proclamare debeat, quam ea quae ex haereditate amovisse probari poterit, haeredibus restitueret (*c*)? Respondit, secundum ea quae proponerentur, eum de quo quaereretur, liberum esse. Claudius: videtur absolvisse et id de quo quaeritur, nam haeredibus satis consultum est Edicto *de furtis.* l. 59, §. 1.

(c) V. l. 48 *ad Trebellianum.*

TITULUS V.

De fideicommissariis libertatibus.

SUMMARIA.

1. *Idonee cavetur satisdatione, aut pignoribus, aut fide habita.*
2. *Cessat falcidia favore libertatis. Falcidiam prohibet qui integrum praestare jubet.*
3. *Ex re fit mora minori.*
4. *Haec verba testatoris legato apposita; si haeredes probabunt, ad uiri boni sententiam rediguntur.*

1. Quid est idonee (*cavere?*) Satis dato utique (*a*), aut pignoribus datis. Sed si ei fides habita fuerit promittenti, sine satisdatione, idonee cautum videbitur. l. 4. §. 8.

2. Decem legata sunt, et rogatus est legatarius; *Stichum emere et manumittere* (*b*). Falcidia intervenit et minoris emi servus non potest. Quidam putant dodrantem accipere (debere) legatarium, nec emere compellendum. Iidem putant, etiam si suum servum rogatus sit manumittere, et dodrantem ex legato acceperit, non esse compellendum manumittere. Videamus ne utique in hac specie illud dicendum sit. Sed in superiore, sunt qui putant cogendum legatarium redimere servum, et

(a) V. tit. *qui satisdare coguntur.*

(b) Legatarius non tenetur ultra valorem legati, quia legatum est titulus lucrativus, nec debet fieri onerosus: unde haeres debet luere aes alienum quod excedit.

se oneri subjecisse (c), dum accipit vel dodrantem. Sed si paratus sit retro restituere quod accepit, an audiendus sit, videndum? Sed cogendus haeres tota decem praestare, perinde atque si adjecisset testator, ut integra praestentur. l. 6.

. 3. In re mora (d) fit circa pecuniaria fideicommissa quae minoribus relicta sunt. l. 26. §. 1. in fin.

In minorum persona reipsa, et ex solo tempore tardae pretii solutionis, recepto jure moram fieri creditum est: in his videlicet quae moram desiderat; id est, in bonae fidei contractibus, et fideicommissis, et legatis. l. 3. Cod. *in quib. caus. in int. rest. nec. n. e.*

4. Sorore sua haerede instituta, de servis ita cavit, Βυλομαι και παραχαλω γλυκυτατη μου αδελφη εν παρακαταθηκη σε εχειν Στιχον και Δαμαν τοις πραγματευτα μυ υ ελω υκ ηλευθερασυ αχρος αν τας ψηφοις αποκαταστησωσιν εαν και καιcοι αρεσωσιν εμηνυσασοι την γνωμην μου, id est: *Volo et a te peto, soror suavissima, ut Stichum et Damam actores meos, quos ego, quoad rationes retulerint, non manumisi, tibi esse commendatissimos. Quod si ipsi tibi quoque probentur, exposui tibi meam sententiam.* Quaero, si paratis actoribus rationes reddere, haeres libertatem non praestet, dicendo, eos non placere sibi, an audienda esset? Respondi, non spectandum quod haeredibus displiceret;

(c) V. l. 77 §. Mensae, ibid. *de legatis* 2 ubi legatarius tenetur omne onus legati subire, quia indemnitatem haeredi promiserat: ideo autem promiserat, quia forte haeres recusabat adire haereditatem propter aes alienum et timorem mensae negotii.

(d) V. legem 87 §. 1. *de legatis* 2; L. 3. C. In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est. Dicitur autem in l. 26. καὶ των ετερον πολαιν τω Αυτω εχω προσμαχειν τι βουλομαι, Pomponius.

sed id quod viro bono posset placere (e), ut libertatem consequantur. l. 41. §. 4.

TITULUS VI. *De ademptione libertatis.*
TITULUS VII. *De statu liberis.*
TITULUS VIII. *Qui sine manumissione ad libertatem perveniunt.*

TITULUS IX.

Qui, et a quibus manumissi liberi non fiunt et ad legem Æliam Sentiam.

SUMMARIA.

1. *Adventitiorum ratio non habetur.*
2. *Fraus fit creditoribus, si debitor vel jam solvendo non est cum donat, aut donatione desiturus est solvendo esse.*
3. *Plus praesumunt homines de facultatibus, quam in eis sit. Ubi lex scripta est, etsi durum sit, erit servanda.*

1. Adventitii casus non sunt computandi (f) l. 6. (g).

2. In fraudem creditorum manumittere videtur, qui vel jam eo tempore quo manumittit, solvendo non est, vel datis libertatibus, desiturus est solvendo esse. Saepe enim de facultatibus suis amplius quam in his

(e) V. l. 46 §. 2. et 3. l. 52. *de conditionibus et demonstrationibus.* l. 1 §. 1. *de legatis* 2, l. 75. *de legatis* 1, l. 32. *de haeredibus instituendis.* l. 7 § 1. *de rebus dubiis.*
(f) L. *de re judicata.*
(g) Quae raro accidunt temere non computantur.

est, sperant homines. Quod frequenter accidit his qui transmarinas negotiationes, et aliis regionibus, quam in quibus ipsi morantur, per servos atque libertos exercent; quod saepe adtriti istis negotiationibus, longo tempore id ignorant, et manumittendo sine fraudis consilio indulgent servis suis libertatem. l. 10.

3. Ipsa quae divertit, omnes omnimodo servos suos manumittere vel alienare prohibetur: quia ita verba faciunt, *ut ne eum quidem servum qui extra ministerium ejus mulieris fuit, vel in agro, vel in provincia, possit manumittere vel alienare*: quod quidem per quam durum est; sed ita lex scripta est. l. 12. §. 1.

TITULUS X. *De jure aureorum annulorum.*

TITULUS XI.

De natalibus restituendis (*).

SUMMARIA.

1. *Beneficia principum sic conceduntur ne aliis noceant.*

1. Imperatores non facile solent quemquam natalibus restituere, nisi consentiente patrono. l. 2. in fin.

(*) Titulus hic convenire potest legitimatis ex Principis rescripto.

TITULUS XII.

De liberali causa.

SUMMARIA.

1. *In causa status is petitor est qui quaestionem movet.*
2. *Per alterum alterius juri non nocetur.*
3. *Pendente causa status, qui praeclamat habet interim facultatem eorum quae ad causam pertinent.*
4. *Causae status praejudiciales sunt.*

1. Si quis ex servitute in libertatem proclamat, petitoris partes sustinet. Si vero ex libertate in servitutem petatur, is partes actoris sustinet, qui servum suum dicit. Igitur cum de hoc incertum est, ut possit judicium ordinem accipere, hoc ante apud eum, qui de libertate cogniturus est, disceptatur, utrum ex libertate in servitutem, aut contra, agatur? Et si forte apparuerit eum qui de sua libertate litigat (*a*), *in libertate sine dolo malo fuisse*, is qui se dominum dicit actoris partes sustinebit; et necesse habebit servum suum probare. l. 7. §. 5.

2. Non debet alterius collusione, aut inertia (*b*) alterius jus corrumpi. l. 9.

3. Ordinata liberali causa, liberi loco habetur is qui

(a) Praesumptio quae ex portione nascitur, rejicit onus probandi in adversarium.

(b) L. 3 *de collusione detegenda*, l. 17 §. 1. *de inofficioso testamento.*

de statu suo litigat (c); ita ut adversus eum quoque qui se dominum esse dicit, actiones ei non denegentur, quascumque intendere velit. l. 25.

4. Si de haereditate et libertate controversia est (prius) agi causa libertatis debet: sed si de haereditate agetur, ordinanda prius quidem est causa libertatis. l. 2. C. *de ord. cogn.*

Si crimen aliquod inferetur ei *quam ingenuam esse dicis*, ante liberalis causa suo ordine agi debet, cognitionem suam praeside praebente. Quoniam necesse est ante sciri, si delictum probatum fuerit, (utrum) ut in liberam et ingenuam, an ut in ancillam constitui oporteat judicium. l. 3. C. *de ord. cogn.*

TITULUS XIII. *Quibus ad libertatem proclamare non licet.*

TITULUS XIV.

Si ingenuus esse dicetur.

SUMMARIA.

1. *Causa status tempore non perit.*

1. Qui se ex libertinitate ingenuitati adserant, non ultra quinquennium quam manumissi fuissent, audientur. Qui post quinquennium reperisse instrumenta ingenuitatis suae adseverant, de ea re ipsos principes adire oportere cogniturosं. l. 2. §. 1. et 2.

Sancimus et hujusmodi lites, etiam post memoratum tempus exemplum caeterarum examinari. l. ult. C. *ubi caus. stat. ag. deb.*

Contra vota religionis proclamantes post quinquennium non audiuntur.

(c) Pariter Carbonianum edictum alimenta decernit ei qui negatur esse filius.

TITULUS XV.

Ne de statu defunctorum post quinquennium quaeratur.

SUMMARIA.

1. *De causa status post mortem quaeritur si intersit.*

1. Quamvis defunctus sit maritus quondam tuus, cui status quaestio inferebatur, causa tamen (etiam) post obitum ejus, propter emolumentum successionis, durat: eamque apud eum qui de haereditate, vel singulis rebus judicaturus est, decidi oportet. l. 3. C. eod.

TITULUS XVI.

De collusione detegenda.

SUMMARIA.

1. *Causa status cum justo contradictore agi debet.*

1. Cum non justo contradictore quis ingenuus pronunciatus est, perinde inefficax est decretum, atque si nulla judicata res intervenisset. Idque principalibus constitutionibus cavetur (a) l. 3. l. 1. C. *de ingen. manum.*

(a) Tunc autem non creditur jus ex sententia fieri, l. 17 §. 1. *de inofficioso testamento*, l. 9. *de liberali causa*, l. 1 in fine, l. 2 et 3. *de agnoscendis et alendis liberis.*

LIBER XLI.

TITULUS I.

De acquirendo rerum dominio.

SUMMARIA.

1. *Res nobis quaeruntur aut jure gentium, aut jure civili.*
2. *Capientium fiunt ferae bestiae, volucres, pisces.*
3. *Quod nullius est fit occupantis.*
4. *Licita venatione capta in alieno fundo, capientis fiunt.*
5. *Haec nostra esse desinunt si in naturalem libertatem pervenerint, sed mansuefacta nostra manent.*
6. *Vulnerata bestia fit vulnerantis et persequentis ut capiat.*
7. *Apium natura fera est, et etiam examinis quod ex alveo evolaverit, et persequentem effugerit.*
8. *Ex hostibus capta capientium fiunt.*
9. *Quod per alluvionem fundo nostro accedit, nostrum fit.*
10. *Vi fluminis ablatum prioris domini est, nisi in alio fundo coaluerit.*
11. *Ager quem flumen divisam circunfluit, ejus est cujus et fuit.*
12. *Mutato fluminis alveo, quem dereliquit vicinis accedit pro modo latitudinis praediorum ad ripam.*
13. *Inaedificatum solo cedit. Non eximitur aedibus tignum alienum*

14. *Traditae nobis res ex domini voluntate, et justa causa, ut nostrae fiant, nobis acquiruntur.*
15. *Traditam rem habet is, qui apud se depositam vel commodatam acquirit.*
16. *Pro traditione rerum est clavium traditio.*
17. *Incertis personis tradit et donat qui missilia in vulgo jactat.*
18. *Non amittitur dominium eorum quae in mare levandae navis causa jactantur.*
19. *Sine tutore acquirit pupillus, non alienat.*
20. *Per procuratorem ignoranti acquiritur, et per tutorem.*
21. *Traditio jus tradentis, quale sit, transfert.*
22. *Thesaurus est vetus depositum dominum non habens.*
23. *Haereditas defuncti personam sustinet.*
24. *Dissensus in causa traditionis eam non facit inefficacem.*
25. *Substitutio competitura non est in bonis.*
26. *Incorporalium non est vera traditio, sed pro possessione est juris usus.*
27. *Fructus suos facit bonae fidei emptor.*
28. *Foetus in fructu sunt.*
29. *Rem habet in bonis qui eam vel retinere potest, vel persequi.*
30. *Non nisi traditione res fit emptoris.*
31. *Haereditas in multis pro domino est.*
32. *Quaedam alienationi accedunt quae separatim alienare non licet.*

1. Quarumdam rerum dominium nanciscimur jure gentium, quod ratione naturali (*b*) inter omnes homi-

(b) Id est, jure gentium: nam jure naturali omnia sunt communia.

nes peraeque servatur: quarumdam jure civili, id est, jure proprio civitatis nostrae. Et quia antiquius jus gentium cum ipso genere humano proditum est, opus est ut de hoc prius referendum sit. l. 1. V. *tit. de divis. rer.*

2. Omnia igitur animalia, quae terra, mari, coelo capiuntur, id est, ferae bestiae, (et) volucres, pisces, capientium fiunt (c); vel quae ex his apud nos sunt edita. l. 1. §. 1. et l. 2. (1)

3. Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur. l. 3. (2)

4. Non interest quod ad feras bestias et volucres utrum in suo fundo quisque capiat, an in alieno. Plane qui in alienum fundum ingreditur venandi occupandive gratia, potest a domino, si is providerit, jure prohiberi ne ingrederetur. l. 3. §. 1. (3)

5. Quidquid autem eorum coeperimus, eo usque nostrum est intelligitur, donec nostra custodia coercetur. Cum vero evaserit custodiam nostram, et in naturalem libertatem se receperit, nostrum esse desinit,

---

Nec signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quaerebat, ipsaque tellus
Omnia liberius nullo poscente serebat.
(*Virg. I. Georg.*)

(c) Venatio, ac piscatio sunt de jure gentium. At jus civile usurpavit quod erat de jure gentium, et aliquibus proprium fecit quod in commune multis pertinebat.
Jus civile subegit jus gentium.

(1) *Nota.* » La facoltà della caccia e della pesca è determinata da leggi particolari » (*Leggi civ. art.* 635.).

(2) *Nota.* « Vi sono delle cose che non appartengono ad alcuno, e l'uso delle quali è comune a tutti -- Le leggi di polizia determinano il modo di usarne » (*Leggi civ. art.* 635).

(3) Ved. la nota 1.

et rursus occupantis fit ; nisi si mansuefacta emitti , ac reverti solita sunt. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur , cum vel oculos nostros effugerit , vel ita sit in cospectu nostro , ut difficilis sit ejus persecutio. l. 3. §. 2. l. 4. et l. 5.

In his autem animalibus quae consuetudine abire et redire solent, talis regula comprobata est , ut eousque nostra esse intelligantur , donec revertendi animum habeant : quod si desierint revertendi animum habere , desinant nostra esse, et fiant occupantium. Intelliguntur autem desisse revertendi animum habere tunc , cum revertendi consuetudinem deseruerint. l. 5. §. 5. in fin.

6. Illud quaesitum est , an fera bestia , quae ita vulnerata sit , ut capi possit , statim nostra esse intelligatur. Trebatio placuit , statim nostram esse : et eousque nostram videri , donec eam persequamur. Quod si desierimus eam persequi , desinere nostram esse , et rursus fieri occupantis. Itaque si per hoc tempus , quo eam persequimur, alius eam ceperit eo animo ut ipse lucrifaceret , furtum videri nobis eum commisisse. Plerique non aliter putaverunt eam nostram esse , quam si eam ceperimus: quia multa accidere possunt , ut eam non capiamus ; quod verius est. l. 5. §. 1.

7. Apium quoque natura fera est. Itaque quae in arbore nostra consederint , antequam a nobis alveo concludantur , non magis nostrae esse intelliguntur, quam volucres , quae nostra arbore nidum fecerint. Ideo si alius eas incluserit, earum dominus erit. Favos quoque si quos hae fecerint , sine furto quilibet possidere potest. Sed (ut supra quoque diximus) qui in alienum fundum ingreditur , potest a domino , si is providerit , jure prohiberi ne ingrederetur. Examen quod ex alveo

nostro evolaverit, eousque nostrum esse intelligitur, donec in conspectu nostro est, nec difficilis ejus persecutio est; alioquin occupantis fit. l. 5. §. 2. 3 et 4.

8. Quae ex hostibus capiuntur (a), jure gentium statim capientium fiunt. l. 5. §. ult.

9. Praeterea quod per alluvionem agro nostro flumen adjicit, jure gentium nobis acquiritur; per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non possimus quantum quoquo momento temporis adjiciatur (b) l. 7. §. 1. V. l. 16. (4)

10. Quod si vis fluminis partem aliquam ex tuo praedio detraxerit, et meo praedio attulerit, palam est eam tuam permanere (c). Plane si longiore tempore fundo meo haeserit, arboresque quas secum traxerit, in meum fundum radices egerint, ex eo tempore videtur meo fundo adquisita asse. l. 7. §. 2. (5)

(a) Jus regionum acquisitum ex bello.

(b) * *Lex* 16 *ait*: In agris limitatis jus alluvionis locum non habere constat. Locum habebat olim dumtaxat in agris occupatoriis et arcifiniis, qui occupantis erant sine mensura; sed obtinuit ut omnes agros occupatorio more possidere liceret. Vide l. 1 §. 6. *de fluminibus*. Vide Duperier, l. 2 q. 3 qui ait, quod romani urbe vel provincia bello adepta agros militibus distribuebant. In tabula aerea cujusque portiones scribebantur, et ingens spatium linquebatur ab agris ad fluminis ripam: nec sinebatur ut illorum portiones augerentur ab alluvione, aut aliunde, ad lites evitandas: unde cujusvis partis fixa semper, et determinata manebat. At in praesens haec non valent; nam privatorum fundi ad flumina usque pertingunt, et quoniam a fluminibus incommoda patiuntur, aequum est, ut et commodis fruantur. V. l. 7 §. 1 h. l. 1 §. 6 *de fluminibus*.

(4) » L'alluvione cede a favore del proprietario che ha il fondo lungo la riva di un fiume o di una riviera. » (*Leggi civ. art.* 481).

(c) Ista praescriptio definitum tempus non habet. V. l. 9 §. 2. *de damno infecto*.

(5) » Se un fiume o una riviera per un' istantanea forza svelle

11. Quod si uno latere perruperit flumen, et alia parte novo rivo fluere coeperit, deinde infra novus iste rivus in veterem se converterit; ager qui a duobus rivis comprehensus, in formam insulae redactus est, ejus est scilicet cujus et fuit. l. 7. §. 4. (6)

12. Quod si, toto naturali alveo relicto flumen alias fluere coeperit, prior quidem alveus eorum est qui prope ripam praedia possident, pro modo scilicet latitudinis cujusque predii, quae latitudo prope ripam sit. Novus autem alveus ejus juris esse incipit, cujus et ipsum flumen, idest, publicus juris gentium (*d*). l. 7. §. 5. (7)

13. Cum in suo loco aliquis aliena materia aedificaverit, ipse dominus intelligitur aedificii; quia *omne quod inaedificatur, solo cedit*. Nec tamen ideo is, qui materiae dominus fuit, desiit ejus dominus esse; sed tantisper neque vindicare eam potest, neque ad exhibendum de ea agere, propter legem duodecim tabularum;

---

da un fondo contiguo alla riva una parte considerevole e riconoscibile, e la trasporta verso un fondo inferiore o verso l' opposta riva; il proprietario della parte staccata può reclamarne la proprietà, ma è tenuto di domandarla dentro l' anno: scorso il qual termine, la sua domanda non sarà più ammessa, se non nel caso che il proprietario del fondo al quale la parte staccata è stata unita, non ne abbia ancora preso il possesso » (*Leggi civ. art.* 484).

(6) » Se una riviera o un fiume, formando una nuova diramazione, taglia e circonda il campo del proprietario confinante, e ne fa un' isola, questi conserva la proprietà del suo campo. » (*Leggi civ. art.* 487).

(*d*) Quod si post aliquod temporis ad priorem alveum reversum fuerit flumen, rursus novus alveus eorum esse incipit qui prope ripam ejus praedia possideat. V. l. 38 *eod.*

(7) » Se un fiume o riviera si apre un nuovo corso abbandonando l' antico letto, i proprietarj de' fondi occupati si dividono a titolo d' indennità, l' antico letto abbandonato, ciascuno in proporzione del terreno che gli è stato tolto. » (*Leggi civ. art.* 488).

qua cavetur: *ne quis tignum alienum aedibus suis junctum eximere cogatur* (a) l. 7. §. 10. (8)

14. *Traditae nobis res ex domini voluntate, et justa causa, et nostrae fiant, nobis acquiruntur.*

Hae res, quae traditione nostrae fiunt, jure gentium nobis adquiruntur: nihil enim tam conveniens est naturali aequitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Nihil autem interest, utrum ipse dominus per se tradat alicui rem, an voluntate ejus aliquis. Qua ratione, si cui libera negotiorum administratio ab eo qui peregre proficiscitur, permissa fuerit, et is ex negotiis, rem vendiderit, et tradiderit, facit eam accipientis. l. 9. §. 3. et 4.

Nunquam nuda traditio transfert dominium; sed ita si venditio, aut aliqua justa causa praecesserit, propter quam traditio sequeretur (b). l. 31.

15. Interdum sine traditione nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam; veluti in rem quam commodavi aut locavi tibi, aut apud te deposui vendidero tibi: licet enim ex ea causa tibi eam non tradiderim, eo tamen quod patior eam ex causa emptionis apud te esse, tuam efficio. l. 9. §. 5.

(a) Na ruinis civitas deformetur, l. 1. *de tigno juncto*, l. 23 §. 6. *de rei vindicatione*.

(8) » Allorchè la piautagioni, costruzioni ed opere sono state fatta da un terzo e con suoi matariali, il proprietario del fondo ha diritto o di ritanarle, o di obbligare colui che la ha fatte, a levarla — Ritanandole, dee rimborsare il valore de' materiali a della mano d' opera; volendo che fosser tolte, verrà ciò eseguito a spese di colui cha la ha fatte. » (*Leggi civ. art.* 480).

(b) Pariter dominia rerum non transferuntur pactionibus sina traditione, l. 20. *de pactis*. Ergo duo requiruntur, causa et traditio, val saltem usucapio cum possessiona. *Grotius*, 2 8 25.

16. Si quis merces in horreo repositas vendiderit, simul atque claves horrei tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium ad emptorem (c) l. 9. §. 6 (d).

17. Interdum et in incertam personam collocata voluntas domini transfert rei proprietatem. Ut ecce, qui missilia jactat in vulgus. Ignorat enim quid eorum quisque excepturus sit: et tamen quia vult, quod quisque exceperit, ejus esse, statim eum dominum efficit. l. 9. §. 7.

18. Alia causa est earum rerum, quae in tempestate maris, levandae navis causa, ejiciuntur (e). Haec enim dominorum permanent; quia non eo animo ejiciuntur, quod quis eas habere non vult, sed quod magis cum ipsa nave periculum maris effugiats. Qua de causa, si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nanctus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit. l. 9. §. ult. (9)

19. Pupillus, quantum ad acquirendum, non indiget tutoris auctoritate: alienare vero nullam rem potest, nisi praesente tutore auctore, et ne quidem possessionem quae est naturalis, ut Sabinianis visum est. Quae sententia vera est. l. 11.

20. Si procurator rem mihi emerit ex mandato meo, eique sit tradita meo nomine, dominium mihi, id est, proprietas adquiritur, etiam ignoranti. Et tutor pupilli, pupillae similiter ut procurator, emendo nomine

---

(c) Ista traditio impediret vitium *dandi et retinendi*.

(d) V. l. 1 §. 21. *de acquirenda vel amittenda possessione*.

(e) V. tit. *de lege Rhodia*, l. 7. *pro derelict*.

(9) *Nota*. » I diritti sopra gli effetti gettati in mare; sono regolati da leggi particolari. » (*Leggi civ. art.* 637).

pupilli, pupillae, proprietatem illis adquirit, etiam ignorantibus. l. 13. §. 1.

Si ego et Titius rem emerimus, eaque Titio et quasi meo procuratori tradita sit, puto mihi quoque quaesitum dominium; quia placet, per liberam personam omnium rerum possessionem quaeri posse, et per hanc dominium: l. 20. §. ult. (*f*).

21. Traditio nihil amplius transferre debet vel potest ad eum qui accipit, quam est apud eum qui tradit. Si igitur quis dominium in fundo habuit, in tradendo transfert (*a*); si non habuit, ad eum qui accipit nihil transfert. Quoties autem dominium transfertur, ad eum qui accipit, tale transfertur quale fuit apud eum qui tradit. Si servus fuit fundus, cum servitutibus transit: si liber, uti fuit; et si forte servitutes debebantur fundo qui traditus est, cum jure servitutum debitarum transfertur. l. 20. d. l. §. 1.

22. Thesaurus est vetus quaedam depositio pecuniae, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. l. 31. §. 1. V. l. 12 *familiae erciscundae*.

Alioquin si quis aliquid vel lucri causa (*b*), vel metus, vel custodiae, condiderit sub terra, non est thesaurus; cujus etiam furtum fit. d. l. in.f.

V. l. 76. ff. *de rei vind.* l. 63. h. tit. et l. un. C. *de thesaur. quae inventi in alieno fundo thesauri, dimidiam inventori, dimidiam domino fundi largitur.* (10)

(f) V. l. 1. §. 26 *de acquirenda vel amittenda possessione.*

(a) L. 13 Communia *de servitut.*

(b) Quia avari pecunias suas defodiunt dum sperant pretia nummorum augeri. Gotofr.

(10) » È tesoro qualunque cosa nascosta o sotterrata, della quale non vi ha alcuno che possa provare di essere il proprietario, e che viene scoperta per puro caso. » (*Leggi civ. art.* 636).

23. Haereditas non haeredis personam, sed defuncti sustinet, ut multis argumentis juris civilis comprobatum est (c). l. 34. V. inf. l. 61.

24. Si pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratia (*d*), tu eam quasi creditam accipias; constat proprietatem ad te transire. Nec impedimento esse, quod circa causam dandi atque accipiendi dissenserimus (*e*). l. 36. inf.

25. Substitutio quae nondum competit, extra bona nostra est. l. 42.

26. Incorporales res traditionem et usucapionem non recipere manifestum est. l. 43. §. 1. V. tit. seq. l. 1. Ego puto, usum ejus juris pro traditione possessionis accipiendum esse. l. ult. ff. *de servitut.*

27. Bonae fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex aliena re suos interim facit: non tantum eos, qui diligentia et opera ejus pervenerunt, sed omnes: quia quod ad fructus attinet, loco domini pene est (*f*). Denique etiam priusquam percipiat, statim ubi a solo separati sunt, bonae fidei emptoris fiunt. Nec interest

---

(c) Adeo usucapio nondum adita haereditate compleatur, l. 30. *ex quibus causis majores.*

(d) Secus si contra.

(e) * *Lex* 40 *habet*: Si fundum suum quis legaverit, haeres qui eum legatum esse sciat, procul dubio fructus suos ex eo suos non faciet. Anton. Faber. 7 conject. 4 ait, sibi non liquere quid huic legi responderi commode possit. V. l. 42 *de usuris.* Contra l. 40 hic l. 1 2 et ult. C. *de usuris.* Contra l. 40 hic, l. 1. 2 et ult. C. *de usuris et fructibus legatorum.*

(f) Apud nos bona fides exigit ut observemus, l. 48 §. 1 *de acquirendo rerum dominio*, potius quam legem 25 §. 2 *de usuris.* Praeterea non potest quis lucrari fructus ex re aliena, nisi propter bonam fidem: atqui deficit bona fides, quando quis cognoscit, rem alienam esse et eum qui vendidit jus vendendi non habuisse.

eà res quàm bona fide emi, longo tempore capi possit, necne: veluti si pupilli sit (g), aut vi possessa, aut praesidi contra legem repetundarum donata, ab eoque alienata sit bonae fidei emptori. l. 48. (h).

Certum est malae fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re praestare; bonae fidei vero, extantes: post autem litis contestationem universos. l. 22. C. *de rei vind.*

28. Ovium foetus in fructu sunt, et ideo ad bonae fidei emptorem pertinent. l. 48. §. ult.

29 Rem in bonis nostris habere intelligimur, quoties possidentes exceptionem, aut amittentes, ad recuperandam eam, actionem habemus. l. 52.

30. Res (ex) mandatu meo empta, non prius mea fiet, quam si mihi tradiderit qui emit (a). l. 59. V. s. l. 13. (11)

(g) V. l. 25 §. 2 *de usuris*, l. 43 *de usurpationibus*. *Lex* 1. §. 1 *Legis* 48 *habet*. In contrarium quaeritur si eo tempore quo mihi res traditur, putem vendentis esse, deinde cognovero alienam esse, quia perseverat per longum tempus capio, an fructus meos faciam. Pomponius verendum ne non sit bonae fidei possessor, quamvis usucapiat. Hoc enim ad jus illud ad factum pertinet. Nec contrarium est quod longum tempus currit: nam e contrario is qui non potest capere propter rei vitium suos facit. *Lex* 23 §. 1 hic, *habet*: Magis est ut singula momenta spectemus. *Lex* 25 §. 2 *de usuris*, *habet*: Bonae fidei emptor servit antequam fructus perciperet, cognovit fundum alienum esse, an perceptio fructus suos faciat, quaeritur. Respondi, bonae fidei emptor quod ad percipiendos fructus intelligi debet quandiu evictus fundus non fuerit. Ergo consequentia non valet de usucapione ad fructus nec contra. Die leges istas conciliari non posse, quia dissenseruot jurisconsulti.

(h) V. §. 1 hujus legis.

(a) Propter l. 20 C. *de pactis*.

(11) » La vendita è perfetta fra le parti, e la proprietà si acquista di diritto dal compratore riguardo al venditore, appena che si è convenuto della cosa e del prezzo, quantunque non sia seguita ancora la tradizione della cosa, nè sia pagato il prezzo. » (*Leggi civ. art.* 1428).

31. Haereditas in multis partibus juris pro domino habetur. l. 61. V. s. l. 34.

32. Quaedam quae non possunt sola alienari (*b*), per universitatem transeunt, ut fundus dotalis ad haeredem, et res cujus aliquis commercium non habet. Nam etsi ei legari non possit, tamen haeres institutus dominus ejus efficitur. l. 62.

TITULUS II.

De acquirenda vel amittenda possessione.

SUMMARIA.

1. *Unde dicta possessio.*
2. *Dominium a possessione coepit.*
3. *Possessionem acquirimus per nos, et per procuratores, et tutores.*
4. *Acquiritur possessio oculis, affectu, corpore.*
5. *Incertae rei non est possessio, sed ejus quae certa est.*
6. *Fundi possessor thesaurum in eo non possidet, nisi loco moverit. Non usucapit qui scit alienum.*
7. *Animo solo amittitur possessio.*
8. *Animo solo servatur possessio licet alius in fundo sit, licet possessor metu migret.*

(b) Idem de jure patronatus addicto glebae. * *Lex* 14 de legatis, *habet*: Monumenta legari non posse manifestum est. Verum per universitatem legari possunt, nisi sint addicta familiae tantum. V. l. 6 *de religiosis*, l. 9 *de jure patronatus*. *Lex* 64 *habet*: Quae quisque aliena in censum deducit nihilo magis ejus fiunt. Quoties decimae infeudatae redeunt ad Ecclesiam *cum universitate feudi et castri*, infeudatae persistunt *jure accessionis*, inquit Dumulinus. Secus quoties redeunt sine universitate, si minime redditae sint cum conditione a fide et homagio express ae.

9. *Mobilia possidemus quae sub custodia habemus.*
10. *Columbas et apes possidemus.*
11. *Ejus quod mari aut flumine occupatum est, aut demersum, possessionem amittimus, non proprietatem.*
12. *Nemo sibi mutare potest causam possessionis. Non in ea est causa qui justo titulo incipit alia ratione possidere.*
13. *Omnis possessio aut bonae fidei est, aut malae.*
14. *Praedo est qui non voluntate auctoris possessionem nanciscitur.*
15. *Clam possidet, qui eo ignorante possidet, quem controversiam facturum suspicatur.*
16. *Nec quaeritur possessio, nec amittitur, nisi animo et corpore quis possideat.*
17. *Possidemus per eos qui nomine nostro in possessione sint.*
18. *Aliud possidere, aliud esse in possessione custodiae causa.*
19. *Possessores facit Praetor.*
20. *Aliud proprietas, aliud possessio: sed proprietati cohaeret jus possidendi.*
Aliud civilis, aliud naturalis possessio.
21. *Possessor habet auctoris causam cum suis vitiis.*
22. *Conjunguntur tempora possessionum emptoris et venditoris, etiamsi emptor redhibuerit.*
23. *Item haeredis vel legatarii et defuncti, viri et uxoris, donatarii et donatoris.*
24. *Interrupta possessio intercidit.*
25. *Pro possessore habetur qui vi dejectus est.*
26. *Dominium servat invitus, non possessionem.*
27. *Non videtur possessor qui potest dejici.*

28. *Adita haereditate jura transeunt ad haeredem, non possessio, nisi comprehensa.*
29. *Qui domum possidet, non singula possidet quae in ea sunt.*
30. *De possessione prius, tum de dominio agitur.*
31. *Sequester et idem custos futuro victori possidet.*
32. *Possessio juris est.*
33. *Possidet qui posuit custodiam.*
34. *Valet possessio quamvis de ea instrumento nihil cautum sit.*
35. *Interrumpitur possessio interpellatione judiciali.*

1. Possessio appellata est a sedibus, quasi positio: quia naturaliter tenetur ab eo qui ei insistit. l. 1.

Possideri possunt quae sunt corporalia. l. 3.

2. Dominium rerum ex naturali possessione coepit (c). l. 1. §. 1.

3. Adipiscimur possessionem per nosmetipsos. l. 1. §. 2.

Per procuratorem, tutorem, curatoremve possessio nobis acquiritur. l. 1. §. 20. (*d*). (1)

4. Si jusserim venditorem procuratori rem tradere, cum ea in praesentia sit, videri mihi traditam, Priscus ait. Idemque esse, si nummos debitorem jusserim alii dare: *non est enim corpore et actu necesse apprehendere possessionem, sed etiam oculis et affectu.* Et argu-

(c) Possessio praesumptionem legalem proprietatis facit.

(d) V. l. 20 §. ult. *de acquirendo rerum dominio.*

(1) » Il possesso è la detenzione o il godimento di una cosa o di un dritto che abbiamo o esercitiamo per noi stessi, o per mezzo di un altro il quale lo tiene o lo esercita in nome nostro. » (*Leggi civ. art.* 2134).

mento esse eas res, quae propter magnitudinem ponderis moveri non possunt, ut columnas: nam pro traditis (eas) haberi, si in re praesenti consenserint: et vina tradita videri cum claves cellae vinariae emptori traditae fuerint. l. 1. §. 21. (*e*).

Si vicinum mihi fundum mercato, venditor in mea turre demonstret (*f*), vacuamque se possessionem tradere dicat, non minus possidere coepi, quam si pedem finibus intulissem. l. 18. §. 2.

Adipiscimur possessionem *corpore*, *et animo* (*g*); neque per se animo, aut per se corpore. Quod autem diximus, *et corpore et animo adquirere non debere possessionem*, non utique ita accipiendum est, ut qui fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet: sed sufficit quamlibet partem ejus fundi introire; dum mente et cogitatione (hac) sit, uti totum fundum usque ad terminum velit possidere. l. 3. §. 1.

5. Incertam partem rei possidere nemo potest (*h*): veluti si hac mente sis, ut quidquid Titius possidet, tu quoque velis possidere. l. 3. §. 2.

Locus certus ex fundo et possideri, et per longam possessionem capi potest: et certa pars pro indiviso, quae introducitur vel ex emptione, vel ex donatione, vel qualibet alia ex causa. Incerta autem pars (*a*) nec

---

(e) V. l. 9 §. 1 *de acquirendo rerum dominio.*

(f) Traditio longae manus.

(g) V. infra, l. 3 §. 6.

(h) Igitur ista possessio non pareret usucapionem nec praescriptionem adversus creditores hypothecarios.

(a) Incertitudo de qua hic agitur est incertitudo facti non juris, nam si quis emerit fundum quem alter vendicet, pendente lite incertum est jus emptoris, sed possessio incerta non erat, id est,

tradi, nec capi potest; veluti si ita tibi tradam, *quidquid mei juris in eo fundo est*: nam qui ignorat, neo tradere, nec accipere id quod incertum est, potest (*b*) l. 26.

6. Naratius et Proculus (et) solo animo non posse nos acquirere possessionem, si non antecedat naturalis possessio. Ideoque si thesaurum in fundo meo positum sciam, continuo me possidere, simul atque possidendi affectum habuero: quia, quod desit naturali possessioni, id animus implet. Caeterum quod Brutus et Manilius putant, eum, qui fundum longa possessione caepit, etiam thesaurum caepisse, quamvis nesciat in fundo esse, non est verum. Is enim qui nescit, non possidet thesaurum, quamvis fundum possideat: sed et si sciat, non capiet longa possessione; quia scit alienum esse (*c*). Quidam putant, Sabini sententiam veriorem esse; neo alias eum qui scit, possidere, nisi si loco motus sit quia non sit sub custodia nostra: quibus consentio (*d*). l. 3. §. 3.

7. In amittendo quoque possessione, affectio ejus qui possidet, intuenda est (*e*). Itaque si in fundo sis, et tamen nolis eum possidere, protinus amittes possessio-

---

factum non erat incertum, unde praescriptio locum habebit, et implebitur durante lite adversus creditores hypothecarios venditoris, si forte ex post facto venditio confirmetur, et cadat a lite is qui fundum vindicabat.

(b) Lex ista adversatur principiis juris: maxime si post longum tempus creditor hypothecarius agat hypothecarie contra eum qui emit et possedit.

(c) V. contra l. 48 §. 1 *de acquirendo rerum dominio*.

(d) Si thesaurus non possidetur, sequitur non dari interdictum recuperandae possessionis adversus eum qui thesaurum effodit in alieno agro.

(e) V. contra l. 8.

nem. Igitur amitti et animo solo potest, quamvis adquiri non potest, l. 3. §. 6. (*f*).

8. Licet possessio nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest (*g*). Si ergo praediorum desertam possessionem, non derelinquendi affectione, transacto tempore non coluisti; sed metus necessitate culturam eorum distulisti, praejudicium tibi ex transmissi temporis injuria generari non potest. l. 4. C. *de acquir. et ret. posses.*

9. Nerva filius, res mobiles, excepto homine, quatenus sub custodia nostra sint, actenus possideri; id est, quatenus (si) velimus, naturalem possessionem nancisci (possimus). Nam pecus simul atque aberraverit, aut vas ita exciderit, ut non inveniatur, protinus desinere a nobis possideri, licet a nullo possideatur: dissimiliter atque si sub custodia mea sit, nec inveniatur; quia in praesentia ejus sit, et tantum cessat interim diligens inquisitio. l. 3. §. 13.

10. Quidam recte putant, columbas quoque quae ab aedificiis nostriis (volant), item apes quae ex alveis nostris evolant, et secundum consuetudinem redeunt, a nobis possideri. l. 3. §. 16.

(f) V. §. 1. l. 1. *pro derelict.*

(g) * *Lex* 3 §. 8 *D. eod. habet*: Si quis nuntiet domum a latronibus occupatam, et dominus timore conterritus voluerit accedere, amisisse eam possessionem placet. Gotofr. ad hanc legem ait: Si periculum vitae sit non amitti possessionem: secus si non sit vitae periculum. *Lex* 7 *eod. habet*: Et si nolit in fundum reverti quod vim majorem vereatur, amisisse possessionem videbitur. (Quod quidem intelligi debet de possessione naturali, non de civili): nec interrumpitur possessio. Sicut si flumen agrum aliquandiu occupaverit l. 34. §. 1. l. 35. *de servitutibus praediorum rusticanorum.* V. l. 3. §. 17. h. l. 13, ibid. et tit *de vi et vi armata*, n. 2.

11. Labeo et Nerva filius responderunt, desinere me possidere eum locum, quem flumen aut mare occupaverit (*h*). l. 3. §. 17.

Pomponius refert, cum lapides in Tiberim demersi essent naufragio, et post tempus extracti, an dominium in integro fuit per id tempus quo erant mersi? Ego dominium me retinere puto, possessionem non puto. l. 13.

12. Illud quoque a veteribus praeceptum est, neminem sibi ipsi causam possessionis mature posse. l. 3. §. 19.

Quod vulgo respondetur, *causam possessionis neminem sibi mutare posse*, sic accipiendum est, ut possessio non solum civilis, sed etiam naturalis intelligatur. Propterea responsum est neque colonum, neque eum apud quem res deposita, aut cui commodata est, lucri faciendi causa pro haerede usucapere posse. l. 2. §. 1. ff. *pro haerede.*

Quod vulgo respondetur, *ipsi sibi causam possessionis mutare non posse*, toties verum est, quoties quis sciret se bona fide non possidere, et lucri faciendi causa inciperet possidere. Idque per haec probari posse: si quis emerit fundum sciens ab eo cujus non erat, possidebit pro possessore: sed si eundem a domino emerit, incipiet pro emptori possidere, nec videbitur sibi ipse causam possessionis mutasse. l. 33. §. 1. ff. *de usurp.* l. 19. §. 1. h. t.

13. Potest dividi possessionis genus in duas species,

(*h*) Nec tamen interrumpitur praescriptio. l. 34. §. 1. et l. 35. *de servitutibus praediorum rusticorum.* Contra l. 14 *quemadmodum servitus amittatur.* V. l. 3, §. 8. h.

ut possideatur, aut bona fide, aut non bona fide. l. 3. §. 22.

14. Si ex stipulatione tibi Stichum debeam, et non tradam eum, tu autem nactus fueris possessionem, praedo et (*a*). Æque si vendidero, nec tradidero rem, si non voluntate mea nactus sis possessionem; non pro emptore possides, sed praedo es l. 5.

15. Clam possidere eum dicimus, qui furtive ingressus est possessionem, ignorante eo, quem sibi controversiam facturum suspicabatur, et ne faceret timebat. l. 6.

Clam nanciscitur possessionem, qui futuram controversiam metuens, ignorante eo quem metuit, furtive (in) possessionem ingreditur. d. l.

16. Quemadmodum nulla possessio adquiri nisi animo et corpore potest (*b*), ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est. l. 8.

17. Generaliter quisquis omnino nostro nomine sit in possessionem, veluti procurator, hospes, amicus; nos possidere videmur. l. 9.

Et per colonos, et inquilinos possidemus (c). l. 25. §. 1. (2)

18. Aliud est possidere, longe aliud in possessione esse. Denique rei servandae causa, legatorum, damni in-

(*a*) V. l. 13. *quod. metus causa.* l. 7. *ad legem Juliam*, *de vi privata*, *de vi bonorum raptorum.* m. ult.

(*b*) V. contra l. 3. §. 6.

(c) Per medicos l. 20. *quemadmodum servitus*, n. 3. l. 1. §. 7. *de itinere actuque privato.*

(2) » Il possesso è la detenzione o il godimento di una cosa o di un dritto che abbiamo o esercitiamo per noi stessi, o per mezzo di un altro il quale lo tiene o l'esercita in nome nostro. » (*Leggi civ.* 2134).

fecti, non possident, sed sunt in possessione custodiae causa. l. 10. §. 1. V. l. 7. s. *de damn. infecto*.

19. Juste possidet, qui auctore praetore possidet. l. 11.

20. Nihil commune (*d*) habet proprietas cum possessione. l. 12. §. 1. Nec possessio et proprietas misceri debent. l. 52.

Proprietas a possessione separari non potest. l. 8. C. *de acq. et ret. poss.*

Naturaliter videtur possidere is qui usumfructum habet. d. l. 12. Fructuarius non possidet. §. 4 inst. *per quas pers. cuiq. acq.* Alia possessio civilis, alia naturalis. l. 3. §. ult. ff. *ad exib.* V. inf. *quod legator.* l. 9. §. 8.

21. Cum quis utitur adminiculo ex persona auctoris, uti debet cum sua causa suisque vitiis. Denique addimus in accessione de vi, et clam, et precario venditoris. l. 13. §. 1. V. inf. *de diversis temp. praesc.* l. 5. (*a*).

22. Praeterea quaeritur, si quis hominem venditori redhibuerit, in accessione uti possit ex persona ejus (*b*)? Et sunt qui putent non posse, quia venditionis est resolutio, redhibitio: alii emptorem venditoris accessione usurum, et venditorem emptoris: quod magis probandum puto. l. 13. §. 2. l. 14. ff. *de usurp. et usuc.* l. 6. ff. *de divers. temp. praec.* V. l. 19. h. t. l. 2. §. 20. ff. *pro emptor.* (3)

(*d*) V. Fernandum ad. h. l.

(*a*) L. 11. eodem *de diversis*.

(*b*) Idem in l. 2. C. *de rescindenda venditione*. Idem in retractu conventionali. Attamen in casu redhibitionis hypothecae impositae ab emptore durant, l. 4. *quibus modis pignus vel hypotheca solvitur*.

(3) » Per compiere la prescrizione, può il possessore unire al

23. Non ea tantum possessio testatoris haredi procedit, quae morti fuit injuncta: verum ea quoque quae unquam testatoris fuerit. In dote quoque, si data res fuerit vel ex dote recepta, accessio dabitur, vel marito, vel uxori (*c*). l. 13. §. 5. et 6. l. 14. §. 1. ff. *de usurp. et usuc.*

Sed et legatario dandam accessionem ejus temporis quo fuit apud testatorem, sciendum est. An haeredis possessio ei accedat, videamus? Et puto, sive pure, sive sub conditione fuerit relictum, dicendum esse, id temporis quo haeres possedit ante existentem conditionem vel restitutionem rei, legatario proficere. Testatoris autem semper proderit legatario, si legatum vere fuit, vel fideicommissum. Sed et is cui res donata est, accessione utetur ex persona ejus qui donavit. l. 13. §. 10. et 11. (4)

24. Quaesitum est, si haeres prius non possiderat (*d*), an testatoris possessio ei accedat? Et quidem in emptoribus possessio interrumpitur, sed non idem in haeredibus plerique probant: quoniam plenius est jus

---

proprio possesso quello del suo autore, in qualunque modo gli sia succeduto, sia a titolo universale o particolare, sia a titolo lucrativo o oneroso. » (*Leggi civ. art.* 2141).

(*c*) Si defunctus possedit mala fide, possessio ejus non proderit legatario, neque possessio haeredis, quia haeres succedit in vitia defuncti, sed legatarius poterit novam ex sua propria possessionem inchoare. Si defunctus sit bonae fidei, quid de legatario? Proderit ei et possessio defuncti et possessio haeredis; quia initium temporis spectatur, et haeres ipse potest usucapere, l. 43. *de usurpationibus*, l. 10. *eod.* l. 48. §. 1. *de acquirendo rerum dominio.*

(4) Concorda. *V.* la nota precedente.

(*d*) Gotofr. ad hanc legem ait: sensus est possessionem testatoris haeredi prodesse si medio tempore res a nullo possessa fuerit, l. 20. *de usurpationibus.* V. l. 31. §. 5. et legem 40. *de usurpationibus.* l. 2. §. 18. *pro tempore.*

successionis, quam emptionis (*e*): sed (*f*) subtilius est quod in emptorem, et in haeredem id quoque probari. l. 13. §. 4. V. inf. *de usurp. et usucap.* l. 20. *de divers. tempor. praescript.* l. 15. §. 1. V. n. 28.

25. Si quis vi de possessione dejectus sit, perinde haberi debet ac si possideret: cum interdicto de vi recuperandae possessionis facultatem habeat (*g*). l. 17 (5)

26. Differentia inter dominium et possessionem haec est, quod dominium nihilominus ejus manet qui dominus esse non vult; possessio autem recedit, ut quisque constituit nolle possidere.. l. 17. §. 1.

27. Non videtur possessiouem adeptus is, qui ita nactus est, ut eam retinere non possit. l. 22.

28. Cum haeredes instituti sumus (*h*), adita haereditate, omnia quidem jura ad nos transeunt; possessio tamen, nisi naturaliter comprehensa, ad nos pertinet (*i*). l. 23. (*k*).

29. Qui universas aedes possidet, singulas res quae in aedificio sunt, non videtur possedisse (*a*). Idem dici debet et de nave, et de armario (*b*). l. 10.

(*e*) V. l. 138. l. 193. *de re judicata.*

(*f*) Quia.

(g) Vindiciarum petitis, et restitutis in integrum faciunt ut duret possessio.

(5) Gli atti di violenza non possono stabilire un possesso abile ad introdurre la preserizione. » (*Leggi civ. art.* 2139).

(*h*) Quid de haerede ab intestato?

(*i*) V. l. 30. *ex quibus causis majores*, l. 11. *de liberis:* Gotofr. ad l. 30. *ex quibus caxsis majores.*

(k) V. n. 24.

(*a*) Vide sequelam hujus regulae in lege 2. §. 6. in fine *pro emptore*, ubi dicitur: Si fundus emptus sit et ampliores fines possessi sint, totum longo tempore capi, quia universitas possidetur, non singolae partes.

(*b*) Ratio est quod tignum alienis aedibus junctum vindicari non poterat: unde nata actio non erat.

30. Exitus controversiae possessionis hic est tantum, ut prius pronuntiet judex, uter possideat. Ita enim fiet, ut is qui victus est de possessione, petitoris partibus fungatur, et tunc de domino quaeratur (*c*). l. 35. (6)

31. Interesse puto, qua mente apud sequestrum (*d*). deponitur res: nam si omittendae possessionis causa, et hoc aperte fuerit adprobatum, ad usucapionem possessio ejus partibus non procederet: at si custodiae causa deponatur, ad usucapionem eam possessionem victori procedere constat. l. 39.

32. Possessio non tantum corporis, sed et juris est. l. 49. §. 1. in f.

33. Quarumdam rerum animo possessionem non adipisci, ait Labeo: veluti si acervum lignorum emero, et eum venditor tollere me jusserit; simul atque custodiam posuissem, traditus mihi videtur. Idem juris esse vino vendito, cum universae amphorae vini simul essent. l. 51.

34. Minus insructus est, qui te sollicitum reddidit, quasi in vacuam possessionem ejus quod per procuratorem emisti, non sis inductus: cum ipse proponas, te diu in possessione (ejus) fuisse, omniaque ut dominum gessisse. Licet enim instrumento non sit comprehensum quod tibi tradita sit possessio, ipsa tamen rei veritate id consecutus es, si sciente venditore in possessione fuisti. l. 2. C. *eod.*

35. Nemo ambigit, possessionis duplicem esse ratio-

(*c*) V. l. 36. *de judiciis.*

(6) » Il possessorio ed il petitorio non potranno essere giammai cumulati insieme. L'attore nel petitorio non avrà più facoltà di agire nel possessorio. » (*Leggi di proc. civ. art.* 129, 130).

(*d*) De sequestro, vide l. 110. *de verborum significatione.*

nem (e): aliam quae jure consistit, aliam quae corpore: utramque autem ita demum esse legitimam: cum omnium adversariorum silentio et taciturnitate firmatur. Interpellatione vero controversia progressa, non posse eum intelligi possessorem, qui licet (possessionem) corpore teneat, tamen ex interposita contestatione, et causa in judicium deducta super jure possessionis vacillet ac dubitet. l. 10. C. *eod.* (7)

TITULUS III.

De usurpationibus et usucapionibus.

SUMMARIA.

1. *Usucapio introducta ne dominia sint in incerto.*
2. *Usucapio est dominii per tempus adjectio.*
3. *Res furtive aut vi possessa non usucapitur.*
4. *Servitutis libertas tempore acquiritur.*
5. *Usu non capiuntur sacra, publica, et quae sunt civitatum.*
6. *Spectanda bona fides tempore traditionis.*
7. *Non usucapit qui ab eo emit cui non licuit alienare.*
8. *Creditor non usucapit pignus.*
9. *Traditum creditori pignus debitor possidet, et usucapit.*
10. *Adversus fiscum non est usucapio nisi in bonis vacantibus nondum nunciatis.*
11. *Medius possessor interrumpit possessionem testatoris, ut haeredi non prosit.*

(e) Interruptio judicialis ei dumtaxat prodest qui fecit: secus calis.

(7) Concorda. (*Leggi civ. art.* 1151 e 1152).

12. *Lege inhibente usucapionem, inutilis est bona fides.*
13. *Non usucapit nisi possessor.*
14. *Non usucapitur sine solo superficies, nec sine superficie solum.*
15. *Juris error possessori non prodest.*
16. *Haereditas pro haerede futuro usucapit.*
17. *Res aliena bona fide alienari potest.*
18. *Furtum non fit sine affectu furandi.*
19. *Haeredi non prodest bona fides defuncti, si ipse sciat alienum.*
20. *Haere usucapere non potest quod defunctus non potuit, et inutilis haeredi bona fides.*
21. *Mobilia triennio usucapiuntur.*
22. *Decennio inter praesentes, inter absentes vicennio, acquiritur dominium ex bona fide, et justo titulo, etiam lucrativo.*

   Jus successionis non est titulus.
23. *Instrumenti amissio non noceat praescriptioni.*
24. *Tricennio tantum praescribit cujus autor mala fide possedit, si dominus jus suum et alienationem ignoraverit.*
25. *Praesentes sunt quorum domicilium est in eadem Provincia, absentes contra.*
26. *Tempus absentiae supplendum adjecto pari tempore supra decennium.*
27. *Actioni personali non praescribitur nisi triennio.*
28. *Excipiuntur actiones quae ex lege minori tempore praescribitur.*
29. *Subducitur a praescriptione tempus quo non agentem petitorem jura excusant.*
30. *Non currit praescriptio longi temporis contra absentes.*

31. *Nec contra minores.*
32. *Ecclesiae et venerabilibus locis sola 40 annorum praescriptio opponitur.*
33. *Qui alteri possidet, non praescribit, veluti conductor et qui precario possidet.*
34. *Quadraginta annis omnis actio extinguitur*
35. *Tributa non praescribuntur.*
36. *Hypthecarica tricennio finitur adversus extraneos possessores: annis quadraginta adversus debitorem et ejus haeredes.*
Aut etiam adversus secundum creditorem donec advixerit debitor.
37. *Debiti sub conditione, vel sub die praescriptio a die vel conditione currit.*
38. *Debiti annui praescriptio a singulis annis incipit.*

1. Bono publico usucapio introducta est, ne scilicet quarumdam rerum diu et fere semper incerta dominia essent: cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. l. 1.

2. Usucapio est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. l. 3.

3. Quod dicit lex Atinia, ut res furtiva non usucapiatur, nisi in potestatem ejus, cui subrepta est revertatur: sic accedtum est, ut in domini potestatem debeat reverti, non in ejus utique cui subreptum est. l. 4. §. 6. l. ult. Usucapere non potest (qui) vi possidet. d. l. §. 25.

Quod vi possessum, raptumve sit, antequam in potestate domini, haeredisve ejus pervenit, usucapi lex vetat. l. ult. ff. *vi bon. rap.* (1)

(1) Gli atti di violenza non possono stabilire un possesso abile ad indurre la prescrizione » (*Leggi civ. art.* 2139).

4. Libertatem servitutum usucapi posse, verius est l. 4. §. ult.

Itaque si cum tibi servitutem deberem, ne mihi puta liceret altius aedificare, et per statutum tempus altius aedificatum habuero, sublata erit servitus. d. l. §. ult. in f. V. l. 10. ff. *si serv. vind.* l. 5. §. 3. ff. *de itin. act. pr.* l. 1. et 2. C. *de servitut.* l. 1. §. ult. ff. *de servit. praed. rust.*

5. Usucapionem recipiunt maxime res corporales, exceptis rebus sacris, sanctis, publicis populi Romani, et civitatum. l. 9. (*a*). (2)

6. Si aliena res bona fide empta sit, quaeritur, ut usucapio currat, utrum emptionis initium, ut bonam fidem habeat, exigimus, an traditionis? Et obtinuit Sabini et Cassii sententia, trationis initium spectantium (*b*). l. 10.

7. Si ab eo emas, quem praetor vetuit alienare, idque tu scias, usucapere non potes. l. 12.

8. Pignori rem acceptam usu non capimus: quia pro alieno possidemus (*c*). l. 13. (3)

9. Servi nomine qui pignori datus est, ad exhiben-

(*a*) V. l. 16. *de verborum significatione*, ubi civitates loco privatorum habentur.

(2) » Non si può prescrivere il dominio delle cose che non sono in commercio. — Lo stato, gli stabilimenti pubblici ed i comuni sono sottoposti come i particolari alle stesse prescrizioni » (*Leggi civ. art.* 2132, 2133).

(b) * *Lex* 2 in fine prin. pro emptore, *habet*. In caeteris contractibus sufficit traditionis tempus: at in emptione et illud tempus inspicitur quo contractatur. Ergo et bona fide emisse debet et possessionem bona fide adeptus esse.

(c) Nec praescribitur facultas debitori data, luendi pignoris, l. 10. et 12. C. *de pignoratitia actione*.

(3) Concorda. (*Leggi civ. art.* 2142)

dum cum creditore, non cum debitore agendum est: quia qui pignori dedit, ad usucapionem tantum possidet: quod ad reliquas omnes causas pertinet, qui accepit, possidet; adeo ut addici possit, et possessio ejus qui pignori dedit. l. 16. l. 33. §. 4.

10. Quamvis adversus fiscum usucapio non procedat, tamen ex bonis vacantibus, nondum tamen nuntiatis, emptor praedii ex hisdem bonis exstiterit, recte diuturna possessione capiet. Idque constitutum est. l. 18. (4)

11. Possessio testatoris ita haeredi procedit, si medio tempore a nullo possessa est. l. 20. V. ff. *de acq. vel. amit. possess.* l. 23. et l. 13. §. 4.

12. Ubi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest. l. 24.

13. Sine possessione usucapio contingere non potest. l. 25. (5)

Nunquam superficies sine solo capi longo tempore potest. l. 26.

14. Si solum usucapi non poterit, nec superficies usucapietur (*d*). l. 39.

15. Nunquam in usucapionibus juris error possessori prodest. l. 31. l. 2. §. 15. ff. *pro empt.* V. n. 22. in fin.

16. Vacuum tempus quod ante aditam haereditatem, vel post aditam intercessit, ad usucapionem haeredi procedit (*e*). l. 31. §. 5.

---

(4) Vedi la nota 2.

(5) » Per poter prescrivere è necessario il possesso continuo e non interrotto » (*Leggi civ. art.* 2135.

(d) Hic est casus, quo minor qui dominus sit fundi majorem relevat qui est dominus superficiei, ut in lege 10. *quemadmodum servitus amittatur.*

(e) V. l. 13 §. 4. l. 23. *de acquirenda vel amittenda possessione.*

Coeptam usucapionem a defuncto, posse et ante aditam haereditatem adimpleri, constitutum est. l. 40.

17. Potest pluribus modis accidere, ut quis rem alienam aliquo errore deceptus, tanquam suam vendat forte, aut donet: et ob id a bonae fidei possessore res usucapi possit. Veluti, si haeres rem defuncto commodatam aut locatam, vel apud eum depositatam, existimans haereditariam esse, alienaverit. l. 36.

18. Furtum sine affectu furandi non committitur (*a*). l. 37.

19. Haeres ejus qui bona fide rem emit (*b*), usu non capiet sciens alienam (*c*). l. 43. (*d*).

20. Pro haerede usucapio locum non habet (*e*) l. 1. C. *de usucap. pro haered.* l. ult. C. *com. de usuc.* V. n. 22.

(a) Ita nec delictum fit sine dolo.

(b) Ergo initium contractus non sufficit. Contra l. 10 supra.

(c) Si modo ipsi possessio tradita sit. Continuatione vero non impediretur haeredis scientia, l. 10 h. Quid, penes nos de legatario universali? penes nos scientia rei alienae impedit usucapionem, quando quis vult acquirere per praescriptionem. Quid apud nos si defunctus fuit bonae fidei, haeres malae fidei, et legatarios bonae fidei, an conjungentor tempora, vel obstabit possessio haeredis malae fidei? Nota. Legatarius jus suom non capit ab haerede, sed a defuncto; nec debet nocere haeredis scientia legatario bonae fidei. Nam regulariter initium solum possessionis incipi debet, lex vero non vult facere possessori malae fidei ut usucapionem impleat, hic vero qui praescriptione juvatur non erat malae fidei, qui autem erat malae fidei, id est, haeres praescriptione non fruitur; et apud nos est dumtaxat exceptio propter vitium poenale possessoris malae fidei. Quid de eo qui emit bona fide ab haerede; nam jus suum ab eo tenet.

(d) V. l. 11 *de diversis.*

(e) Tribus casibus usucapio pro haerede locum habet, 1. in l. 3. *pro haerede*; 2. in l. 33. §. 1. V. hoc amplius de usurpationibus; 3. Si defunctus quid sine vitio possedit. Gotofr. ad T. C. *pro haerede.* Sed haec omnia falsa sunt.

Vitia possessionum a majoribus contracta perdurant, et successorem auctoris sui culpa comitatur. l. 11. C. *de acq. et ret. poss.* V. l. 11 ff. *de div. temp. praesc.*

21. Si quis alienam rem mobilem, seu se moventem bona fide per continuum triennium detinuerit, is firmo jure eam possideat. l. un. C. *de usuc. transf.* (6)

22. Super longi temporis praescriptione quae ex decem vel viginti annis introducitur, perspicuo jure sancimus, ut sive ex donatione, sive ex alia lucrativa causa, bona fide quis per decem vel viginti annos rem detinuisse probetur, adjecto scilicet tempore etiam prioris possessoris: memorata longi temporis exceptio sine dubio ei competat nec occasione lucrativae causae repellatur. l. 11. C. *de praec. long. temp.* (7)

Longi temporis praescriptio, his qui bona fide acceptam possessionem, et continuatam, nec interruptam, inquietudine litis tenuerunt, solet patrocinari. l. 2. C. *eod.* V. inf. n. 24.

Diutina possessio tantum jure successionis, sine justo titulo obtenta (*f*), prodesse ad praescriptionem hac sola ratione non potest. l. 4. C. *eod.*

Nec potentem dominium ab eo cui petentis solus er-

---

(6) » Riguardo ai mobili, il possesso vale per titolo. Ciò non ostante colui che ha perduto, o cui fu rubata qualche cosa, può rivendicarla nel corso di tre anni, da computarsi dal giorno della perdita o del furto, contro la persona, nelle mani della quale la trovi » (*Leggi civ. art.* 2185.).

(7) » Colui che acquista in buona fede e con giusto titolo un immobile, ne prescrive la proprietà col decorso di anni dieci, se il vero padrone abiti nel territorio compreso sotto la giurisdizione della gran corte civile dentro del quale sia situato l' immobile; e col decorso di anni venti, se sia domiciliato al di fuori » (*Leggi civ. art.* 2171).

(f) Vide *n.* 20.

ror causam possessionis (*g*), sine vero titulo praestitit, silentii longi temporis praescriptione repelli juris evidentissimi est. l. 5. C. *eod.*

23. Longi temporis possessione munitis instrumentorum amisso nihil juris aufert: nec diuturnitate possessionis partam securitatem maleficium alterius turbare potest. l. 7. C. *eod.* (*h*).

24. Post decennium inter praesentes, et viceunium inter absentes, securus est possessor ex justo titulo cum bona fide, licet ejus autor mala fide possederit, si rei dominus sui juris et alianationis non sit ignarus. Si vero haec ignoret, solo tricennio repelletur a possessore (*i*) cujus autor fuerit malae fidei. Novell. 119. c. 7. (8)

25. Pro praesentibus habentur actor et possessor, si in eadem provincia domicilium habeant, pro absentibus vero, si alter in altera. l. ult. C. *eod.* (9)

26. Si quibusdam annis absentia, quibusdam praesentia intervenerit, adjiciendum decennio tantum temporis, quantum fuit absentiae. Nov. 119. c. 8. (10)

(g) Vide n. 15.

(h) V. l. 57 *de administratione vel periculo tutorum.*

(i) Haec exceptio non servatur. V. Henrys, t. 1. l. 4.

(8) » Tutte le azioni tanto reali, quanto personali, si prescrivono col decorso di trent' anni, senza che colui che allega tal prescrizione, sia tenuto ad esibirne un titolo, o che gli si possa opporre veruna eccezione per causa di mala fede » (*Leggi civ. art.* 2168.

(9) *È presente* se abita nel territorio compreso sotto la giurisdizione della gran corte civile dentro del quale è situato l' immobile; è *assente* s'è domiciliato al di fuori » (*Leggi civ. art.* 2171).

(10) » Se il padrone ha tenuto in diversi tempi il suo domicilio nel territorio della g. corte civile, e fuori del medesimo, è necessario per compiere il corso della prescrizione, aggiungere a quel che manca a' dieci anni di presenza, un numero di anni di assenza, che sia doppio di quello che manca per compiere i dieci anni di presenza » (*Leggi civ. art.* 2172.).

27. Neque mutui, neque commodati, aut depositi, seu legati vel fideicommissi, vel tutelae, seu alii cuilibet personali actioni, longi temporis praescriptionem objici posse, certi juris est. l. 5. C. *quib· non objic. longi temp. praescript.* l. 3. l. 4. Cod. *in quibus caus. ced. longi temp. praescr.*.

Sicut in rem speciales, ita de universitate, ac personales actiones ultra triginta annorum spatium minime protendantur. Sed si qua res, vel jus aliquod postuletur, vel persona qualicumque actione vel persecutione pulsetur, nihilominus erit agenti triginta annorum praescriptio metuenda. l. 3. C. *de praescript.* 30. vel 40. ann. V. inf. l. 4. et. l. 7. *eod.* n. 35. et 37. (11)

28. Hae actiones annis triginta continuis extinguantur, quae perpetuae videbantur: non illae quae antiquis temporibus limitabantur. l. 3. in f. C. *de praesc.* 30 *vel* 40 *ann.*

29. Praescriptione bona fide possidentes adversus praesentes annorum decem, absentes antem viginti minuuntur. Quod si ex alicujus persona de petitorum parte restitutionis praetendatur auxilium, deducto eo, quo si quid fuerit gestum succurri solet, residuum computari rationis est (*a*). l. 7. C. *quib. non objic. long. tem. praescr.* (12)

30. Cum per absentiam tuam eos de quibus quaereris in res juris tui irruisse adseveres, teque ob medendi curam a comitatu nostro discedere non posse, palam

---

(11) » Tutte le azioni tanto reali quanto personali si prescrivono col discorso di trent' anni » (*Leggi civ. art.* 2168.).

(a) Minoritas non est interruptio, at praescriptionis suspensio.

(12) Concorda. (*Leggi civ. art.* 2157—2163).

sit: praefectus praetorio noster, accersitis his quos causa contingit, inter vos cognoscet. Non necessario autem petis ex longi temporis diuturnitate praescriptionem tibi non opponi, quando justae absentiae ratio, et necessitatis publicae obsequium ab hujusmodi praejudicio te defendat. l. 2. *quibus non objic. longi temp. praescr.*

Si possessio inconcussa sine controversia perseveravit, firmitatem suam tenet objecta praescriptio, quam contra absentes vel reipublicae causa, vel maxime fortuito casu, nequaquam valere decernimus. l. 4. *eod.*

Non est incognitum, id temporis quod in minore aetate transmissum est, longi temporis praescriptioni non imputari. Ea enim tunc currere incipit, quando ad majorem aetatem dominus rei pervenerit. l. 3. Cod. *quibus non objic. longi temp. praescr.* (13)

32. Universas terras quae a colonis, sive emphyteuticariis dominici juris, Reipublicae, vel juris sacrorum templorum, in qualibet provincia venditae, vel ullo alio pacto alienatae sunt, ab iis qui perperam atque contra leges eas detinent, nulla longi temporis praescriptione officiente, jubemus restitui: ita ut nec pretium quidem iniquis comparatoribus reposcere liceat. l. 2. Cod. *ne rei dom. vel templ. vind. templ. praesc. submov.*

Non nisi 40 annorum praescriptio Ecclesiae, et venerabilibus locis opponitur. Nov. 131. c. 6. (14)

33. Male agitur cum dominis praediorum, si tanta precario possidentibus praerogativa defertur, ut eos

(13) » La prescrizione non corre contra i minori. » (*Leggi civ. art.* 2158.).

(14) Vedi la nota 2.

post quadraginta annorum spatia qualibet ratione decursa, inquietare non liceat. Cum lex Constantiniana jubeat ab iis possessoribus initium non requiri, qui sibi potius quam alteri possiderunt. Eos autem possessores non convenit appellari, quia ita tenent ut ob hoc ipsum solitam debeant praestare mercedem. Nemo igitur qui ad possessionem conductor accidit, diu alienas res tenendo jus sibi proprietatis usurpet, ne cogantur domini aut amittere quae locaverunt, aut conductores utiles sibi fortassis excludere, aut annis omnibus super domino suo publice potestari. l. 2. Cod. *de praescript.* 30 *vel* 40 *ann.* (15).

34. Quadraginta annorum praescriptione omnis contractus, omnis actio, quae caeteris praescriptionibus non pereat, sive privati juris sive publici, extinguitur. l. 4. C. *de praescr.* 30 *vel* 40 *ann.* (16)

35. Publicae functiones et tributa nulla praescriptione tolluntur. l. 6. C. *de praescr.* 30 *vel* 40 *ann.*

36. Actio hypothecaria (*a*) contra extraneos possessores triennio finitur: at contra debitorem, aut ejus haeredes pignorum possessores, ad annos quadraginta perseverat, licet actione personali tricennio liberentur. l. 7. *de prescrips.* 30 *vel* 40 *ann.*

Si anterior creditor vivo debitore agat hypothecarie

(15) » Coloro che posseggono in nome altrui, non possono mai prescrivere per qualunque corso di tempo — Il fittajulo, il depositario, l'usufruttuario e tutti gli altri che tengono precariamente la cosa del proprietario, non possono prescriverla » (*Leggi civ. art.* 2142).

(16) Tutte le azioni si prescrivono col decorso di 30 anni » (*Leggi civ. art.* 2162).

(a) Louet, l. H.

adversus posteriorem ejusdem debitoris creditorem, eumdemque pignoris possessorem, sola 40 annorum praescriptio possessorem tuebitur; eique accedet tempus quo debitor ipse possedit. Si vero mortuo debitore secundus creditor tricennio possederit, tutus erit. d. l. §. 2.

Idem jus erit pro temporum computatione, si posterior creditor anteriori creditori possessione se tuenti, debitum offerat. d. l. §. 3.

37. Debiti sub conditione vel sub die non currit prescriptio, nisi post diei aut conditionis eventum (b). d. l. 7. §. 4. C. *de praescr.* 30 *vel* 40 *ann.*

38. In his etiam promissionibus, vel legatis, vel aliis obligationibus quae dationem per singulos annos vel menses aut aliquod singulare tempus continent, tempora memoratarum praescriptionum non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cujusque anni, vel mensis, vel alterius singularis temporis, computari manifestum est (c). l. 7. §. ult. C. *de praescr.* 30 *vel* 40 *ann.*

(b) Secus apud nos saltem in actione hypothecaria adversus extraneum possessorem. Quia datur actio ad declarationem juris spectantem, quae juri romano erat incognita.

(c) V. contra l. 26 C. *de usuris quae* est Justiniani et ita revocat, l. l. 7 C. *de praescriptione triginta vel quadraginta annorum.* V. *de usuris.* n. 24.

TITULUS IV.

Pro emptore.

SUMMARIA.

1. *Si empti agri ampliores sint fines, totum praescribitur.*
2. *Ulteriori haeredi accedit tempus defuncti, licet haeres melius non possederit.*

1. Si fundus emptus sit, et ampliores fines possessi sint, totum longo tempore capi: quoniam universitas ejus possideatur, non singulae partes. l. 2. §. 6. in f. (*d*).

2. Etiam haeredi ulteriori defuncti possessio proderit, quamvis medius haeres possessionem ejus nactus non sit (*e*). l. 12. 18. (*f*).

TITULUS V. (*) *Pro haerede, vel pro possessore.*
TITULUS VI. *pro donato.*

(d) Supponere convenit, quod fines demonstrati erant, neque numerus jugerum dictus erat. Alioquin emptor possideret contra proprium titulum nec usucaperet. V. l. 30 *de acquirenda vel amittenda possessione.*

(e) Ergo non interrumpitur, sed dumtaxat suspenditur possessio, et a nemine fuerat occupata.

(f) V. l. 13 §. 4. *de acquirenda vel amittenda possessione.*

(*) V. l. 1. C. h. t. l. ult. C. *communia de usucapionibus*, et titulum praecedentem, n. 20.

TITULUS VII.

Pro derelicto (**).

SUMMARIA.

1. *Res derelicta fit occupantis.*
2. *Qui derelinquit desinit esse dominus.*
3. *Ad levandam navem jactata non sunt derelicta.*

1. Si res pro derelicto habita sit, statim nostra esse desinit, et occupantis (statim) fit (g). Quia iisdem modis res desinunt esse nostrae, quibus acquiruntur. l. 1.

2. Pro derelicto rem a domino habitam si sciamus, possumus adquirere. Sed Proculus non desinere eam rem domini esse, nisi ab alio possessa fuerit. Julianus desinere quidem amittentis esse, non fieri autem alterius, nisi possessa fuerit, et recte. d. l. §. 1.

3. Si quis merces ex nave jactatas invenisset, num ideo usucapere non possit, quia non viderentur derelictae, quaeritur? sed verius est, eum pro derelicto usucapere non posse. l. 7 (a).

(**) Male hic titulus insertus est inter modos acquirendi per usucapionem, si quidem titulus *pro derelicto*. Non sufficit, si is qui rem pro derelicto habuit, non erat verus dominus.

(g) V. l. 3. §. 6. *de acquirenda vel amittenda possessione.*

(a) V. l. *de lege Rhodia*, l. 9. §. ult. *de acquirendo rerum dominio.*

TITULUS VIII.

Pro legato.

SUMMARIA.

1. *Ex legato non jure relicto usucapit legatarius.*

1. Pro legato usucapit cui recte legatum est. Sed etsi non jure legatum relinquatur, vel legatum ademptum est, pro legato usucapi, post magnas varietates, obtinuit (*b*). l. ult.

TITULUS IX. *De dote.*

TITULUS X.

Pro suo.

SUMMARIA.

1. *Excusatur ignorantia facti alieni.*

1. In alieni facti ignorantia tolerabilis error est. l. ult. in f.

(b) Agitur hic de re aliena legata. Tres sunt definitiones in hac lege: Prima est de eo cui res aliena recte legata est; Seconda, de eo cui res aliena legata est in testamento imperfecto: locum habet usucapio in his casibus et valet decisio; Tertia, de eo cui res aliena legata est in testamento, et per codicillos adempta; non valet decisio legis, nam deest titulus; proindeque non currit usucapio.

LIBER XLII.

TITULUS I.

De re judicata, et de effectu sententiarum, et de interlocutionibus.

SUMMARIA.

1. *Res judicata est finis controversiae per condemnationem vel absolutionem.*
2. *Arctare tempus judicati, et prorogare potest judex, pro causae qualitate et personarum.*
3. *Is absolvere potest qui et damnare.*
4. *Nec procurator, nec tutor aut curator, nec actor municipum tenentur suo nomine ex judicato.*
5. *Obligationes faciendi in pecuniam convertuntur.*
6. *Judex nec suam nec decessoris sententiam mutare potest.*
7. *Jussi magistratus sententias Romae dictas in provinciis exequuntur.*
8. *Mobilia prius distrahenda quam res soli.*
9. *Pignora praesenti pecunia distrahuntur.*
10. *Nomina pignori capi possunt.*
11. *Occupantis melior conditio.*
12. *Fideijussor et haeres ejus qui in quantum facere potest condemnatur, tenentur in solidum.*
13. *Potest ex consensu litigantium proferri sententia.*
14. *Donator in quantum facere potest condemnatur.*
15. *Dandum condemnato tempus ad solvendum.*
16. *Constitutionum, ut causam juvant, ratio habenda.*

17. *Novis instrumentis non restauratur res judicata, nisi in negotio publico.*

18. *Praesentia judicantium necessaria.*

19. *In pari numero dissonantibus sententiis pro reo in publicis judiciis statuendum.*

20. *In diversis condemnationibus minimam sequimur.*

21. *Non consentiente uno judicum stat sententia: aliud absente, si praesens esse debuit.*

22. *Donator delegatus in solidum condemnatur.*

23. *Ex causa judicati non tenentur in solitum plures condemnati.*

24. *Indefensus minor non condemnatur.*

25. *Omnibus partibus vocatis judicandum.*

26. *Jurejurando et confessione lis deciditur.*

27. *Alteri non praejudicat cum altero judicatum.*

28. *Nec die feriato, nec extra locum judicii lata sententia valebit.*

29. *Non fiat sententia contra ordinem judiciorum lata.*

30. *Non ex consultationum, aut sententiarum exemplis, sed ex veritate et justitia judicadum.*

31. *Judicem non recusat actor reconventus in his quae sunt ejusdem negotii.*

32. *Potest judex de quibusdam judicare, de caeteris interloqui.*

33. *Ex bono et aequo, aut legis modo temperandum id quod interest.*

34. *Nulla est sententia judicis non competentis.*

35. *Peremptoriae exceptioni semper locus ante sententiam*

36. *Victus possessor, aut ejus haeres fructus restituit.*

37. *Fructus intelliguntur deductis sumptibus.*
Victus debet impensas.

38. *Praetextu comparationis lis non instauratur.*

39. *Dilationem petens acquievit sententiae.*
40. *Actorum publicorum firma fides.*
41. *Stipendia capi non possunt.*
42. *Judicatum ex falso instrumento irritum fit.*

1. Res judicata (c) dicitur quae finem controversiarum pronuntiatione judicis accipit : quod vel condemnatione, vel absolutione contingit. l. 1.

Praeses provinciae non ignorat definitivam sententiam, quae condemnationem vel absolutionem non continet, pro justa non haberi. l. 3. C. *de sent. et interloc.*

2. Qui pro tribunali cognoscit, non semper tempus judicati servat; sed nonnunquam arctat, nonnunquam prorogat, pro causae qualitate et quantitate, vel personarum obsequio, vel contumacia. Sed perraro intra statutum tempus sententiae exequentur : veluti si alimenta constituantur, vel minori viginti quinque annis subvenitur. l. 2.

3. Qui damnare potest, is absolvendi quoque potestatem habet. l. 3.

4. Si se non obtulit procurator, judicati actio in eum denegabitur, et in dominum dabitur : si se obtulit, in ipsum dabitur. l. 4.

Tutor quoque vel curator in ea conditione sunt, ut non videantur videri se liti obtulisse : idcircoque debet denegari in eos judicati actio. d. l. 4. §. 1.

Actor municipum potest rem judicatam recusare : in municipes enim judicati actio dabitur. d. l. 4. §. 2.

(c) V. l. 9. §. 1. *de receptis.*

5. Si quis promiserit, *prohibere se, ut aliquod damnum stipulator patiatur*, et faciat. Neque ex ea re damnum stipulator patietur, et faciat: (ita habeatur) facit quod promisit: si minus quia non facit, quod promisit, in pecuniam numeratam condemnatur, sicut evenit in omnibus faciendi obligationibus. l. 13. §. 1.

6. Quod jussit, vetuitve praetor, contrario imperio tollere et repetere licet: de sententiis contra. l. 14.

Judex, postquam semel sententiam dixit (*a*), postea judex esse desinit. Et hoc jure utimur, ut judex qui semel vel pluris, vel minoris condemnavit, amplius corrigere sententiam suam non possit: semel enim male seu bene officio functus est (*b*). l. 55. l. 62. hoc tit. l. 2. C. *de sent. ex peric. recit.*

Neque suam, neque decessoris sui sententiam quemquam posse retractare, in dubium non venit. l. 1. C. *sent. resc. n. poss.*

7. Sententiam Romae dictam, etiam in provinciis posse praesides, si hoc jussi fuerint, ad finem persequi, imperator noster cum patre rescripsit. l. 15 §. 1.

8. In venditione pignorum captorum facienda, primo quidem re mobiles animales pignori capi jubent, mox distrahi. Quarum pretium si suffecerit, bene est: si non suffecerit, etiam soli pignora capi jubent, et distrahi. Quod si nulla moventia sint, a pignoribus soli initium faciunt. l. 15 §. 2.

9. Oportet res captas pignori et distractas praesenti (*c*) pecunia distrahi, non sic, ut post tempus pecunia solvatur. l. 15. §. 7. in fin.

(a) V. t. 27 *de poenis.*
(b) V. l. 19. §. 2 *de receptis.*
(c) Praetor vendit graeca fide.

10. Posse nomen jure pignoris capi, imperator noster rescripsit. l. 15. §. 8. l. 5. C. *de exerc. rei jud.*

11. Inter eos quibus ex eadem causa debetur, occupantis melior (*d*) condito est. l. 19. (*e*).

12. Et si fidejussor acceptus sit rei, vel actionis, non proderit (ei) si persona pro qua fidejussit, in quantum facere potest, condemnanda est (*f*) l. 24. l. 7. *de exceptionibus.*

Sciendum est, haeredes earum personarum, non in id quod facere possunt, sed in integrum teneri. l. 25. V. infra num. 14.

13. Si convenerit inter litigatores quid pronuntietur (*g*), non abs re erit, judicem hujusmodi sententiam proferre. l. 26. (*h*). (1)

14. Cum ex causa donationis promissa pecunia est, si dubium sit an ea res eo usque donatoris facultates exhaurire possit (*i*), ut vix quicquam ei in bonis

---

(d) Prioritas occupationis.

(e) V. l. 10 *de pignoribus et hypothecis.*

(f) Ne eludatur providentia ejus qui fidejussorem ideo accepit, quia reus tenebatur dumtaxat in id quod facere potest. Hoc autem privilegium est omnino poenale. Verum nomine fidejussor regressum habebit in solidum si solvat? Respondeo affirmative, quia illud privilegium est relativum dumtaxat inter conjunctas poenas: et ita eludi potest hoc privilegium remedio fidejussoris, l. 33 §. 3. *de donationibus*, l. 41 h.

(g) Ubi partes conveniunt, cessat officium judicis.

(h) V. l. 21. *communi dividundo.*

(1) » Le parti potranno sempre presentarsi volontariamente davanti un giudice di circondario: ed in tal caso egli giudicherà delle loro differenze o inappellabilmente, se le leggi o le parti ve lo autorizzano, o con riserva di appello, quantunque, avuto riguardo al domicilio del reo ed alla situazione della cosa litigiosa, egli non sia il giudice competente delle parti; purchè però si tratti sempre di materia o di somme che sono delle sue attribuzioni » (*Leg. gi di proc. civ. art.* 109.)

(i) V. infra n. 22.

relictum sit, actio in id quod facere possit, danda est (k): ita ut et ipsi donatori aliquid sufficiens relinquatur. Quod maxime inter liberos et parentes observandum est. l. 30.

Pinguius donatori succurrere debemus (a), quam ei qui verum debitum persolvere compellitur; ne liberalitate sua inops fieri periclitetur. l. 49. in fine, et l. 50.

15. Debitoribus non tantum petentibus dies ad solvendum dandi sunt, sed et prorogandi, si res exigat (2); si qui tamen per contumaciam magis, quam quia non possint explicare pecuniam (b), differant solutionem, pignoribus captis compellendi sunt ad satisfaciendum (c). l. 31.

16. Cum prolatis constitutionibus contra eas pronunciat judex, eo quod non existimat causam, de qua judicat, per eas juvari (d); non videtur contra constitutiones sententiam dedisse. l. 32. V. infra n. 30.

(k) Quid de donatore dotis? Si sit pater, tenetur tantum in id quod facere potest; extraneus autem in solidum. Arg. l. 41 infra, quia maritus indotatam uxorem deducturus non fuisset, l. 10, *quae in fraudem creditorum.*

(a) Id est, deducto aere alieno; secus de patrono, de marito; dicta lege 49. *de socio et parente*, l. 16. l. 19. *eod.*

(2) » I giudici, avendo riguardo alla situazione del debitore, ed usando di questa facoltà con molta riserba, possono accordare dilazioni moderate pel pagamento » (*Leggi civ. art.* 1197.)

(b) In poenali post menses quatuor, in re protinus est omnis sententia perficienda. Sed postquam quis diem ad solvendum petiit, praecluditur ei appellationis via, l. 5 C. h. t. V. infra n. 39.

(c) *Nota.* Judex inducias largitur, potest inter usurium temporis proprio motu pronunciare, quia potest beneficio conditionem addere, et eluditur hic omnis usurae prohibitae suspicio, auctore Begone.

(d) Nec litem suam facit cum malae fidei non sit; sed opinione sua licet falsa excusatur. Lex enim humane cum ministro suo agit. V. l. 15 §. 1 *de judiciis.*

17. Imperatores Antoninus et Verus rescripserunt, *quamquam sub obtentu novorum instrumentorum restitui negotia minime oporteat, tamen in negotio publico, ex causa permittere se hujusmodi instrumentis uti* (e) l. 35.

Sub specie novorum instrumentorum postea repertorum, res judicatas restaurari exemplo grave est. l. 4. Cod. *eod.* V. infr. n. ult.

18. Tunc universi judices intelliguntur judicare, cum omnes adsunt (*f*). l. 37. (*g*). (3)

19. Inter pares numero judices, si dissonae sententiae proferantur, *in liberalibus causis* (secundum quod a divo Pio constitutum est) pro libertate statutum obtinet (*h*). In aliis autem causis, pro reo. (4)

Quod et in judiciis publicis obtinere oportet. l. 38. V. f. *de manum.* l. 24.

20. Si diversis summis condemnent judices, minimam spectandam esse, Julianus scribit (*i*). l. 38. §. 1.

21. Duo ex tribus judicibus, uno absente, judicare non possunt (k): quippe omnes judicare jussi sunt. Sed

---

(e) Istud est unum e privilegiis fisci. Nullae dantur exceptiones rei petitorem sua actione depellentis, contra jus publicum, nec contra appellationes de abusu.

(f) Nam si unus abfuit, potuisset alios trahere in suam sententiam. l. 17 §. ult. *de receptis.*

(g) Licet unus contra sentiat. l. 39.

(3) » I tribunali civili pronunzieranno le loro sentenze col numero per lo meno di tre giudici votanti » (*Legge org. giud. art.* 53).

(h) Accedit judicium Minervae pro reo. Altesserra. t. 3. c. 17. *de fiction jur.* V. l. 14. *de manumissionibus.*

(4) » Le sentenze saranno rendute a pluralità assoluta di voti.—Nella parità de' voti sarà chiamato per dirimerla un altro giudice » (*Leggi di proc. civ. art.* 211, 212).

(*i*) Le Pretre, cent. 1. c. 74. V. l. 10. *de inofficioso testamento.*

(k) Quia potuit praesentia unius alios trahere in suam sententiam. l. 17 §. ult. l. 18. *de receptis.*

si adsit, et contra sentiat, statur duorum sententiae. Quid enim minus verum est, omnes judicasse? l. 39. l. 57. h.

22. Nesennius Apollinaris. Si te donaturum mihi delegavero creditori meo, an in solidum conveniendus sis? Et, si in solidum conveniendus (*l*), an diversum putes, si non creditori meo, sed ei cui donare volebam te delegavero? Et quid de eo qui pro muliere, cui donare volebat, marito ejus dotem promiserit? respondi, nulla creditor exceptione summoveretur; licet is qui delegatus est poterit uti adversus eum cujus nomine promisit; cui similis est maritus, maxime si constante matrimonio petat. Et sicut haeres donatoris in solidum condemnatur, et ipse fidejussor quem in donando adhibuit; ita et ei cui non donavit, in solidum condemnatur (*a*) l. 41. V. s. *de donat.* l. 33. §. 2.

23. Paolus respondit, eos qui una sententia in unam quantitatem condemnati sunt, pro portione virili (*b*), ex causa iudicati conveniri: et, si ex sententia adversus tres dicta, Titius portionem sibi competentem exsolvit; ex persona caeterorum ex eadem sententia conveniri eum posse. l. 43.

Si non singuli in solidum, sed generaliter tu et collega tuus una et certa quantitate condemnati estis, nec additum est, *ut quod ab altero servari non possit, id alter suppleret*; effectus sententiae pro virilibus portionibus discretus est. Ideoque parens pro tua portione

(*l*) V. supra n. 14.

(*a*) V. l. 19. *de novationibus*, quia curiosus esse non debet.

(*b*) Scindit sententia poenas, atque adeo qui condemnati sunt viriles partes dant. l. 10. §. 3. *de appellationibus*.

sententiae, ob cessationem alterius, ex causa judicati conveniri non potes. l. 1. C. *si plur. una sent. cond. sunt.*

24. Contra indefensos minores tutorem vel curatorem (c) non habentes, nulla sententia proferenda est. l. 45. §. 2.

Neque enim debet adultis nocere, quidquid eo tempore statutum est, quo defensione justa, et curatoris auxilio fuerant destituti. l. 6. inf. C. *quomodo et quand. jud.*

25. De uno quoque negotio praesentibus omnibus, quos causa contingit, judicari oportet. Aliter enim judicatum tantum inter praesentes tenet (*d*). l. 47. (*e*).

26. Post rem judicatum, vel jurejurando decisam, vel confessionem in jure factam, nihil quaeritur post orationem divi Marci: quia in jure confessi pro judicatis habentur. l. 56. l. 1. *de confessis.*

26. Saepe constitutum est, res inter alios judicatas aliis non praejudicare. l. 63. Toto titulo. C. *quib. res jud. n. noc.* et tit. C. *inter al. act. vel jud. ad n. noc.* (*f*). (5)

(c) V. titul. C. *si adversus rem judicatam.*

(d) Olim nemo absens condemnari poterat; sed ex tribus edictis evocabatur et fiebat missio in possessionem bonorum ejus: secus jure novo. l. 1. 3. C. *quo modo et quando judex est a parte abs.* l. 8. *eod.* cum authent. *qui semel.* ubi reus expectatur per annum.

(e) V. l. 10. §. ult. *de appellationibus*, l. 10. *de exceptionibus*. l. 12. 13. *de exceptionibus rei judicatae.*

(f) Imo licet is contra quem judicatum est alteri haeres exstiterit, ei non nocet. l. 10. *de exceptionibus*. l. 10. §. ult. *de appellationibus*. Quid, creditor potest ne se opponere sententiae praesidis contra debitorem? l. V. tit. *de exceptione rei judicatae*, et l. 12 13 14.

(5) » Il giudice può deferire il giuramento ad una delle parti.

28. Nulla est sententia prolata die feriato, aut axtra locum judicii (g) ex l. 4. et 5 Cod. *quom. et quand. jud. sent. pr. deb.* l. 6. C. *de sent. et interloc.*

29. Prolatam a praeside sententiam contra solitum judiciorum ordinem (*h*), auctoritatem rei judicatae non obtinere, certum eat (*i*). l. 4. C. *de sent. et interloc.*

Nemo judex vel arbiter existimet, neque consultationes quas non rite judicatas esse putaverit, sequendum. Et multo magis sententias eminentissimorum praefectorum, vel aliorum procerum (non enim si quid non bene dirimatur, hoc et in aliorum judicum vitium extendi oportet (k); cum *non exemplis, sed legibus judicandum sit*). Neque si cognitionales sint amplissimae praefecturae, vel alicujus maximi magistratus prolatae sententiae, sed omnes judices nostros veritatem, et legum et justitiae sequi vestigia sancimus (*l*). l. 13. Cod. *de sent. et interloc.* V. s. l. 32.

31. Liceat judici vel contra actorem ferre sententiam (*a*), et aliquid eum daturum vel facturum pronun-

---

« per farne dipendere la decisione della causa, o soltanto per determiuare il valore della condanna »

» La confessione giudiziale della parte fa piena pruova contra colui che l'ha fatta » (*Leggi civ. art.* 1310, 1320.)

(g) Extra locum majorum.

(h) Non ex periculo. l. 1. C. *de sentent. ex peric. recit*, Si judex tantum suasit. l. 7. C. *de sententiis et interlooutionibus.* Si non in loco majorum. Si non sedens, etc.

(i) Nec vox judicis, judicari continet auctoritatem; dicta lege 7. *de sententiis et interlocutionibus.*

(k) Non enim tam spectandum est quid Romae factum est quam quid fieri debeat. l. 12. *de officio praesidis.* Quod si jus deficit, exemplis juvari potest. Socinus. Reg. 225.

(l) Vide Duval, de rebus dubiis tract. 1. *De cuctoritate arrestorum.*

(a) Apud nos reconventio locum non habet.

tiare, nulla ei opponenda exceptione quod non competens judex agentis esse cognoscatur. Cujus enim in agendo observat arbitrium, eum habere et contra se judicem in eodem negotio non dedignetur (*b*). l. 14. *de sent. et interloc.*

32. Cum plura sunt in lite capita, potest judex definitive quaeda judicare, de caeteris interloqui. ex. l. 15. C. *de sentent. et interloc.*

33. Ubi de eo quod interest agitur, damnum omne ex aequo temperandum: nisi lex modum statuerit (*c*). ex l. unic. C. *de sentent. quae pro eo quod. inter profess.*

34. Et in privatorum causis hujusmodi forma servetur, ne quemquam litigatorem sententia non a suo judice dicta constringat (*d*). l. ultim. Cod. *si a non comp. jud. judic. esse dic.* (*e*).

35. Peremptorias exceptiones omissas in initio antequam sententia feratur, opponi posse perpetuum edictum manifeste declarat. l. 2. Cod. *sent. rescin. non posse.*

36. Possessor victus fructus restituit, non tantum quos percepit, sed etiam quos percipere potuit, ex quo res in judicium deducta est. Haeredis quoque succedentis (*f*) in vitium par habenda fortuna est. ex l. 2. Cod. *de fruct. et lit exp.* (*g*).

(b) In causa reconventionis si eadem lite agatur non habet locum exceptio juris incompetentis. Gotofr.

(c) Si de quantitate pecuniaria agitur, non licet judici alium poenam infligere, quam usuras ordinarias, quia contenti esse debemus poenis legum comprehensis. l. 19. *de verborum obligationibus.*

(d) Judex auctoritatem non habet in id quod ad justitiam non pertinet, et impune ei non paretur. l. ult. *de jurisdictione.*

(e) L. 25. eod.

(f) L. 5. *de diversis.*

(g) V. l. 40. *haereditatis petitione.*

TITULUS II.

De confessis.

SUMMARIA.

1. *Confessus pro judicato habetur.*
2. *Item.*
3. *Non fatetur qui in facto errat.*

1. Confessus pro judicato est, qui quodam modo sua sententia damnatur (*a*). l. 1. (*b*).

2. Confessos in jure pro judicatis haberi placet. Quare sine causa desideras recedi a confessione tua, cum et solvere cogaris. l. un. C. *eod.*

3. Non fatetur qui errat, nisi jus ignoravit. l. 2.

(a) Inde nulla est applicatio.
(b) V. l. 9. §. 1. *de donationibus.* et 56. *de re judicata.*

TITULUS III.

De cessione bonorum.

SUMMARIA.

1. *Privilegium habet qui credit ob restitutionem aedificiorum.*
2. *Qui priorem creditorem dimisit, succedit.*
3. *Bonis cedens, antequam veneant, ea servare potest, si se defendat.*
4. *Post cessionem distrahi non possunt a creditoribus, nisi in quantum facere debitor potest.*
5. *Cessio liberat ab omnibus creditoribus.*
6. *Non admittitur ad cessionem nisi confessus.*
7. *Non liberantur debito qui bonis cedunt, sed a carcere.*
8. *Quinquennales induciae debitoribus indulgentur.*
9. *Jurat debitor se non habere unde satisfaciat, et ex futuris, si advenerint, satisfacturum.*

1. Creditori qui ob restitutionem aedificiorum crediderit, privilegium (c) exigendi datur. l. 1.

2. In personalibus actionibus, qui postea quidem contraxerunt, verum ut pecunia eorum ad priores creditores perveniat, in locum eorum succedunt (*d*). l. 2.

3. Is qui bonis cessit, ante rerum venditionem uti-

(c) V. l. 1. *In quibus causis pig.* l. 5. et 6. *qui potiores.* l. 24. §. 1. §. 3. *de rebus auctoritate judicis possid.*

(d) V. l. 1. C. *de his qui in priorum creditorum locum*, et supra. *qui priores.* n. 15. et l. 3. *quae res pignori.* Modo pervenerit pecunia, nec post aliquod intervallum. l. 24. §. 3. *De rebus auctoritate judicis possid.*

qui bonis suis non caret: quare si paratus fuerit se defendere, bona ejus non veneunt. l. 3.

Quem poenitet bonis cessisse, potest defendendo se consequi, ne bona ejus veneant. l. 5.

Non tamen creditoribus sua auctoritate dividere haec bona, et jure dominii detinere; sed venditionis remedio, quatenus substantia patitur, indemnitati suae consulere permissum est (e). Cum itaque contra juris ra tionem res jure dominii teneas ejus qui bonis cessit te creditorem dicens, longi temporis praescriptione petitorem submoveri non posse, manifestum est. Quod si non bonis eum cessisse, sed res suas in solitum tibi dedisse monstretur, praeses provinciae poterit de proprietate tibi accomodare notionem. l. 4. Cod. *qui bon. ced. pos.*

4. Is qui bonis cessit, si quid postea acquisierit, in quantum facere potest convenitur. l. 4. Si debitoris bona venierint, postulantibus creditoribus permittitur rursum ejusdem debitoris bona distrahi, donec suum consequantur; si tales tamen facultates acquisitae sunt debitori, quibus praetor moveri possit. l. 7.

Qui bonis suis cessit, si modicum aliquid post bona sua vendita acquisivit; iterum bona ejus non veneunt. Unde ergo modum hunc aestimabimus? utrum ex quantitate ejus quod acquisitum est, an vero ex qualitate? et putem ex quantitate id aestimandum esse ejus quod quaesiit: dummodo illud sciamus, si quid misericordiae

(e) Venditio patrimonii facta curatori bonis cedentium constituto, rem ejus facit, vindicationemque, et jus proprietatis tribuit: ipsa enim prima cessio *datio est in solutum*, et per consequens venditio.

causa ei fuerit relictum, puta, menstruum vel annuum alimentorum nomine (*f*) non oportere propter hoc bona ejus iterato venundari; nec enim fraudandus est a alimentis quotidianis. Idem et si ususfructus ei sit concessus vel legatus, ex quo tantum percipitur, quantum ei alimentorum nomine satis est. l. 6. (1)

5. Sabinus et Cassius putabant, eum qui bonis cessit, ne quidem ab aliis, quibus debet, posse inquietari (*g*). l. 4. §. 1.

6. Qui cedit bonis antequam debitum agnoscat, condemnetur, vel in jus confiteatur, audiri non debet. l. 8. (*a*).

7. Qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati: in eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem (*b*), l. 1. C. *qui bon. ced. poss.*

Si quid (ei bonis cessit) postea pinguius accesserit, hoc iterum, usque ad modum debiti, posse a creditoribus legitimo modo avelli. l. 7. inf. C. *eod.* (2)

8. Praeter miserabile cessionis auxilium (*c*), quinquennales interdum induciae debitoribus indulgentur. l. ult C. *eod.*

(f) Pensiones alimentariae occupationi non subjacent, nisi tale sit legatum quo Praetor moveri possit. l. 7. nec pignora. V. *De re judicata.* n. 41.

(1) La cessione giudiziaria non conferisce la proprietà ai creditori, ma dà loro soltanto il diritto di far vendere i beni a loro profitto, e raccoglierne i frutti sino alla vendita » (*Leggi civ.* 1223.).

(g) Attamen est res inter alios acta, nam debuit debitor creditores omnes vocare in tributum.

(a) *Vide art.* 111. *Paris.*

(b) Coactio personalis locum habebat ante. Digestum ex lege duodecim tabularum, et ex lege Codicis.

(2) Concorda. (*Leggi civ* 1221).

(c) Prorogationes, et induciae quinquennales.

9. Jusjurandum per adoranda praebeat eloquia (qui bonis cedit) *quod nullam rerum causa occasionem, aut aurum reliquum habeat, unde aeris alieni supplementum faciat.* Praeterea, si qua ipsi jura lex vel ex haereditate, vel cognatorum donatione in rebus mobilibus praestet, in quarum possessione nondum constitutus sit, competere tamen ipsi videantur (*d*) possintque creditores vel partem ex iis, vel etiam totum colligere, extra tamen res uxoris, si quidem revera ad illam pertineant, hoc fiat. Nov. 135. c. 1.

TITULUS IV.

Quibus ex causis in possessionem eatur.

SUMMARIA.

1. *Haeres adeundo contrahit.*
2. *Curator dandus haereditati, cum incertum est, an haeres extaturus sit.*

1. Is qui miscuit se (haereditati) contrahere videtur. l. 4. Etiam impubes (*e*). l. 3. in fine.

2. Si diu incertum sit haeres extaturus nec ne sit (*f*), causa cognita permitti oportebit bona rei servandae causa possideri. Et si ita res urgeat, vel conditio, bonum etiam hoc erit concedendum, ut curator constituatur unus ex creditoribus. l. 8. et l. 9. (*g*).

(d) Jure novo sufficit bonam copiam ejurare absque cessione bonorum, Nov. 135.

(e) Paulus 39. *de pignoribus.*

(f) * *Lex* 7. §. 11. *habet* : Furiosi status et habitus a pupilli conditione non multum abhorret, quod quidem non est sine ratione. Verum furiosi non sunt immunes praescriptione.

(g) *L.* 2. §. 4. *de curatore bonis dando.*

(1) Concorda. (*Leggi civ. art.* 730, 731).

TITULUS V.

De rebus auctoritate judicis possidendis vel vendendis.

SUMMARIA.

1. *Haereditarium aes intelligitur etiam id, de quo cum defuncto agi non potest.*
2. *Funeris impensa habet privilegium inter creditores.*
3. *Item causa dotis quamvis matrimonium secutum non sit.*
4. *Creditum in restitutionem aedificiorum, privilegium habet.*
5. *Depositum, si extet apud mensularium, ante privilegia recipietur: si non extet, caeteris post privilegia potiorem causam habebit.*
6. *Privilegium ei quaeritur, cujus pecunia ad privilegiarium, vel per se, vel per debitorem pervenit.*
7. *Privilegium habet qui ad rem reficiendam credit.*
8. *Monumenta publica non distrahuntur propter aes alienum.*
9. *In privilegiis non tempus, sed causa aestimatur.*
10. *Almenta pupillo praestantur ex ejus bonis, si a creditoribus possideantur.*

1. Hereditarium aes alienum intelligitur etiam id de quo cum defuncto agi non poterit (*h*): veluti, quod is

(h) * *Lex* 6. §. 2. *habet*: Quid ergo si quibusdam creditoribus solvit, deinde bona venierint; si quaeritur an repetitio sit, ex causa id statuendum esse Julianus ait, ne alterius aut negligentia, aut cupiditas huic qui diligens fuit, noceat. Quid si utroque instante tibi gratificatus tutor solvit, aequum esse aut prius eandem portionem mihi quaeri, aut communicandum quod accepisti. V. l. 6. §. 7. *quae in fraudem creditorum*. V. plura privilegia in tit. *In quibus causis pig. et qui potiores*

cum moreretur, daturum se promisisset, item quod is qui pro defuncto fidejussit, post mortem ejus solvit (*i*). l. 7.

2. Quaesitum est, utrum ita demum privilegium habet funeraria, si is, cujus bona veneunt funeratus sit, an etiam si proponas alium esse funeratum? Et hoc jure utimur, ut quicumque sit funeratus, (id est, sive is cujus de bonis agitur, sive quid is debuit (k), quod reddere eum, si viveret, funeraria actione cogi oporteret) *privilegio locus sit*. l. 17. (l)

3. Si sponsa dedit dotem, et nuptiis renunciatum est, tametsi ipsa dotem condicit, tamen aequum est hanc ad privilegium admitti, licet nullum matrimonium contractum est. Idem puto dicendum, etiamsi minor duodecim annis in domum quasi uxor deducta sit (*a*), licet nondum uxor sit. Interest enim Reipublicae, et hanc solidum consequi ut aetate permittente nubere possit. l. 17. §. 1. et l. 18. V. l. 74. ff. *de jur. dot.*

4. Divus Marcus ita edixit: *creditor qui ob restitu-*

(i) * *Lex* 1. de religiosis, *habet*: Quia cum ipso defuncto contrahere videtur.

(k) Si in stipulatum funeris impensa deducta est, dicendum est locum esse privilegio, si modo quis non abjiciendi privilegii causa stipulatus est. ibid. in fine V. l. 11. §. 1. *de pigneratitia actione.* l. *de animo novandi*. V. l. 1. §. 10. *de separationib.*

(l) » Sono crediti privilegiati le spese funerali » (*Leggi civ. art.* 1970).

(a) Pariter actio empti datur ad distrahendam emptionem. Quatuor jura in uxoris commodum. 1. jus hujus legis 17. quod appellatur, Privilegium actionis principalis quod locum habebat inter creditores chirographarios. 2. Hypotheca legalis a Justiniano data lege 30. C. *de jure dotium*. 3. Jus legis Assiduis Cod. *qui potiores*. 4. Jus authenticae, Res quae communia *de legatis* Quid in hoc casu uxor privilegium exercebit authenticae, Res quae Cod. communia *de legatis*? utique cessante fraude.

tionem aedificiorum crediderit, in pecunia quae credita erit, privilegium exigendi habebit (*b*) : quod ad eum quoque pertinet, qui redemptori (*c*), domino mandante, pecuniam subministravit. l. 24. §. 1.

5. In bonis mensularii vendendis (*d*), post privilegia potiorem eorum causam esse placuit, qui pecunias apud mensam, fidem publicam secuti, deposuerunt. Sed enim qui depositis nummis usuras a mensulariis acceperunt, a caeteris creditoribus non separantur : et merito; aliud est enim credere, aliud deponere (*e*). Si tamen nummi extent, vindicari eos posse puto a depositariis (*f*); et futurum eum qui vindicat, ante privilegia. l. 24. §. 2. V. s. 7. §. 2. *depos.*

6. Eorum ratio prior est creditorum, quorum pecunia (*g*) ad creditores privilegiarios pervenit. *Pervenisse* autem quemadmodum accipimus? utrum si statim profecta est ab inferioribus ad privilegiarios? an vero et si per debitoris personam? Hoc est, si ante ei numerata sit., et sic debitoris facta, creditori privilegiario numerata (est): qnod quidem potest benigne dici; si modo non post aliquod intervallum id factum sit (*h*). l. 24. §. 3. et §. 1. (*i*).

(b) L. 4. *de rebus creditis.* l, 1. *de cessione bonorum.*

(c) V. l. 1. *in quibus causis pig.* l. 1. *de cessione bonorum.*

(d) Idem de receptore traditionum, qui bonis suis cedit. Duperier, l. 4. §. 4.

(e) Hic versiculus tamen refertur ad initium; nam si depositarius usuras semel accepit, perdit vindicationem, licet nummi extent; sed vindicatio datur ei tantum, cum nummi extent.

(f) Qui enim usuras acceperunt, quasi renuntiaverunt deposito. l. 7. §. 2. *depositi vel contra.*

(g) V. l. 11. §. ult. *qui potiores:*

(h) Apud nos nullum tempus definitum est, quod valde desideratur in Arrestis publicis curiae ad hanc materiam.

(i) V. l. 2. *de cessione bonorum.*

7. Qui in navem extruendam (k), vel instruendam credidit vel etiam emendam, privilegium habet. l. 26 (2)

8. Fusidius refert, statuas in publico positas, bonis distractis ejus cujus in honorem positae sunt, non esse emptoris bonorum ejus. Sed aut publicas, si ornandi municipii causa positae sint; aut ejus cujus in honorem positae sint (*l*); et nullo modo eas detrahi posse. l. 29.

9. Privilegia non ex tempore aestimantur, sed ex causa; et si ejusdem tituli fuerunt, concurrunt, licet diversitates temporis in his fuerint. l. 33. l. 7. §. ult. *depositi.*

10. Si pupillus ex contractu suo non defendatur, ideoque bona ejus creditores possidere coeperint, diminutio ex his bonis fieri debet, vescendi pupilli causa (*m*). l. 33.

Pupillus, si non defendatur, in possessione creditoribus constitutis; minoribus ex his, usque ad pubertatem alimenta praestanda sunt (*a*). l. ult.

(*k*) V. l. ult. *de exercitoria actione.*

(2) Concorda. (*Leggi civ. art.* 1972).

(l) V. l. 4. *de acquirendo rerum dominio*, et l. 6. in fine, *de auro et argento.*

(m) Provisio pro partibus quorum bona sunt occupata durante occupatione reali.

(a) L. 58. §. 1. Respublica creditrix omnibus chirographariis creditoribus praefertur. Nota, civitatem non esse rempublicam. l. 26. *de verborum. significatione*

TITULUS VI.

De separationibus.

SUMMARIA.

1. *Creditores difuncti, ejus bona separant a bonis haeredis.*
2. *Si haeres hypothecae res haereditarias subjecerit, non impedietur separatio.*
3. *Impetratur separatio et adversus fiscum.*
4. *In haeredes haeredum impetratur separatio.*
5. *Separationem amittit qui fidem haeredes secutus novavit.*
6. *Cessat separatio bonis confusis et unitis, non si distingui possint.*
7. *Si debitor fidejusori successerit, separationem impetrare potest creditor.*
8. *Pro debito conditionali peti potest separatio.*
9. *Legatarii separationem impetrare possunt.*

1. Sciendum est, separationem solere impetrari decreto praetoris (*b*). Solet autem separatio permitti creditoribus ex his causis: ut puta, debitorem quis Sejum habuit; hic decessit, haeres ei extitit Titius: hic non est solvendo, patitur bonorum venditionem: creditores Seii dicunt, bana Seii sufficere sibi: creditores Titii contentos esse debere bonis Titii, et sic quasi duorum fieri bonorum venditionem. Fieri enim potest, ut Sejus quidem solvendo fuerit, potueritque (sa-

(b) Vide le Pretre, 1. 75. Bacquet 2. Justitiae jura 21. 422, et seq. Lege Civiles.

tis) creditoribus suis, vel ita semel et si non in assem, in aliquid tamen satisfacere: admissis autem commixtisque creditoribus Titii, minus sint consecuturi, quia ille non est solvendo, aut minus consequantur, quia plures sunt. Hic est igitur aequissimum, creditores Seii desiderantes separationem, audiri, impetrareque a praetore, ut separatim quantum cujusque, creditoribus praestetur. l. 1. d. l. §. 1.

Est jurisdictionis tenor promptissimus, indemnitatisque remedium edicto Praetoris creditoribus haereditariis demonstratum, ut quoties separationem bonorum postulant, causa cognita impetrent. l. 2. C. *de bon. auct. jud. possid.* (1)

2. Sciendum est, *etiam si obligata res esse proponatur ab haerede jure pignoris vel hypothecae, attamen si haereditaria fuit, jure separationis hypothecario creditori potiorem esse eum qui separationem impetravit* (c). l. 1. §. 3.

3. Etiam adversus fiscum et municipes impetraretur separatio. l. 1. §. 4.

4. Si Primus Secundum haeredem scripserit, Secundus Tertium, et Tertii bona veneant (*d*), qui creditores possint separationem impetrare? Et putem, si quidem Primi creditores petant, utique audiendos et ad-

---

(1) » I creditori del defunto possono in qualunque caso domandare la separazione del patrimonio del defunto dal patrimonio dell' erede. » (*Leg. civ. art.* 798).

(c) Creditor defuncti chirographarius praefertur in re haereditaria creditori hypothecario haeredis.

(d) Pariter non fit confusio haereditatum in persona nec in haereditate ejus, qui inventarium fecit. Scilicet recepta creditorum; secus recepta haeredum ejus; verbi gratia, si haeredes plurium linearum apud nos relinquat.

versus Secundi, et adversus Tertii creditores: si vero Secundi creditores petant, aduersus Tertii utique eos impetrare posse. l. 1. §. 8.

5. Illud sciendum est, eos demum creditores posse impetrare separationem, qui non novandi animo ab harede stipulati sunt (*e*). Caeterum, si eum hoc animo secuti sunt, amiserunt separationis commodum: quippe cum secuti sunt nomen haeredis, nec possunt jam se ab eo separare, qui quodammodo eum elegerunt. l. 1. §. 10. d. l. §. 11. et §. 15. V. l. 2. C. *de bon. auth. jud. possid.* (2)

6. Praeterea sciendum est, posteaquam bona haereditaria bonis haeredis mixta sunt, non posse impetrari separationem: confusis enim bonis et unitis, separatio impetrari non poterit. Quid ergo, si praedia extent, vel mancipia, vel pecora, vel aliud quod separari potest? Hic utique poterit impetrari separatio. l. 1. §. 12.

7. Debitor fidejussori haeres extitit, ejusque bona venierunt; quamvis obligatio fidejussionis extincta sit, nihilominus separatio impetrabitur, petente eo cui fidejussor fuerat obligatus; sive solus sit haereditarius creditor, sive plures. Neque enim ratio juris (*f*) (quae) causam fidejussionis popter principalem obligationem, quae major fuit, exclusit, damno debet adficere creditorem, qui sibi diligenter prospexerat. Quid ergo,

(c) L. 17. in fine. *de rebus auctoritate judicis.*

(2) » I creditori del defunto non possono esercitare il dritto di domandare la separazione del patrimonio del defunto da quello dell' erede, quando vi è novazione del debito coll' aver accettato l' erede per debitore » (*Leg. civ art.* 799).

(f) Non debet eludi providentia creditoris, qui fidejussionem accepit.

si bonis fidejussoris separatis, solidum ex haereditate stipulator consequi non possit? Utrum portio cum caeteris haeredis creditoribus ei quaerenda erit? an contentus esse debebit bonis quae separari maluit? Sed cum stipulator iste non adita fidejussoris a reo haereditate, bonis fidejussoris venditis, in residuum promisceri debitoris creditoribus potuerit; ratio non patitur eum in proposito summoveri. l. 3. d. l. §. 1.

8. Creditoribus quibus ex die, vel sub conditione debetur, et propter hoc nondum pecuniam petere possunt, aeque separatio dabitur: quoniam et ipsis cautione communi consuletur. l. 4. (3)

9. Quoties haeredis bona solvendo non sunt, non solum creditores testatoris, sed etiam eos quibus legatum fuerit, impetrare bonorum separationem aequum est: ita ut cum in creditoribus solidum adquisitum fuerit, legatariis vel solidum, vel portio quaeratur. l. 6.

(3) » Il creditore può, prima che sia verificata la condizione, esercitare tutti gli atti che tendono a conservare il suo diritto. » (*Leg. civ. art.* 1133)

TITULUS VII.

De curatore bonis dando.

SUMMARIA.

1. *Curator bonis datur a judice.*
2. *A curatore gesta rata habentur.*
3. *Si plures curatores eadem gerant, in solidum et agunt, et conveniuntur.*
4. *Non creditor potest esse curator.*

1. De curatore constituendo hoc jure utimur, ut praetor adeatur, isque curatorem curatoresque constituat, ex consensu majoris partis creditorum. l. 2.

2. Quae per eum eosve qui ita creatus creative essent, acta, facta, gestaque sunt, rata habebuntur; eisque actiones, et in eos, utiles competunt. l. 2. §. 1.

3. Si plures autem constituantur curatores, Celsus ait, in solidum eos et agere, et conveniri, non pro portionibus. Quod si per regiones fuerint constituti curatores, unus forte rei Italicae, alius in provincia; puto regiones eos suas conservare debere. l. 2. §. 2.

Si plures ejusdem bonorum curatores facti sunt, in quem eorum vult actor, in solidum ei datur actio, tamquam quivis eorum in solidum aget. l. 3.

4. Nec omnimodo creditorem esse oportet eum qui curator constituitur: sed possunt et non creditores (*a*). l. 2. §. 4. (*b*).

(a) * *Lex* 2. §. 3. *habet*: Quaeritur an invitus curator fieri potest, et Cassius scribit neminem invitum cogendum fieri bonorum curatorum; quod verius est, nisi ex magna necessitate et imperatoris imperio.

(b) V. l. 9. *quibus ex causis in possessionem eatur.*

TITULUS VIII.

Quae in fraudem creditorum facta sunt, ut restituantur.

SUMMARIA.

1. *Facta in fraudem creditorum revocantur.*
2. *Alienatio, acceptilatio, obligatio caeteraque in fraudem creditorum acta evocantur.*
3. *Qui vel se non defendit, vel debitum non petit, fraudandi causa, dat edicto locum.*
4. *Item qui rem suam aut usucapi patitur, aut derelinquit lucrifacturo.*
5. *Fraudem non facit qui suum recepit a debitore qui non est solvendo.*
6. *Post bona possessa quod unus creditorum sibi recepit, revocatur.*
7. *Qui fraudis inscius a debitore suum recipit, non tenetur hac actione.*
8. *Revocatur donatio infraudem creditorum, etiam adversus donatarium inscium fraudis, si locupletior factus sit.*
9. *Qui a fraudatore sciens emit, rem amittit et pretium nisi extet.*
10. *Fraus aestimatur ex consilio et eventu.*
11. *Qui scit fraudatorem habere creditores, non ideo est particeps fraudis.*
12. *Tutore conscio fraudis minor inscius tenetur quatenus ad eum pervenit.*
13. *Fit fraus in repraesentatione debiti in diem.*
14. *Dos in fraudem creditorum constituta revocatur a marito conscio fraudis, non ab inscio.*

15. *Qui debitori fugienti pecuniam sibi debitam aufert, antequam is bonis cesserit, non restituit.*
16. *In hac judicio veniunt fructus, deductis impensis.*
17. *Omnia in integrum restituenda.*
18. *Datur poenalis actio in fraudatorem.*

1. Ait praetor, *quae fraudationis causa gesta erunt, cum eo qui fraudem non ignoraverit, de his curatori bonorum, vel ei cui de ea re actionem dare oportebit ... actionem dabo: idque etiam adversus ipsum qui fraudem fecit, servabo.* Necessario praetor hoc edictum proposuit. Quo edicto consuluit creditoribus, revocando ea quaecumque in fraudem eorum alianata sunt. l. 1. d. l. §. 1.

2. *Quae fraudationis causa gesta erunt.* Haec verba generalia sunt, et continent in se omnem omnino in fraudem factam vel alienationem, vel quemcumque contractum. Quodcumque igitur fraudis causa factum est, videtur his verbis revocari, qualecumque fuerit: nam late ista verba patent. Sive ergo rem alienavit, sive acceptilatione vel pacto aliquem liberavit, idem erit probandum. Et si pignora liberet, vel quem alium in fraudem creditorum praeponat, vel ei praebuit exceptionem sive se obligavit fraudandorum creditorum causa, sive numeravit pecuniam, vel quodcumque aliud fecit in fraudem creditorum; palam est edictum locum habere. l. 1. §. 2. l. 2. et l. 3. V. s. l. 9. §. 5. *de jurej.*

Omnes debitores qui in fraudem creditorum liberantur, per hanc actionem revocantur in pristinam obligationem. l. 17. h. t.

Hac in factum actione non solum dominia revocan-

tur, verum etiam actiones restaurantur. Ea propter competit haec actio et adversus eos, quibus actio competit, ut actione cedant. Proinde si interposuerit quis personam Titii, ut ei fraudotor res tradat, actione mandati cedere debet. l. 14. h. tit.

3. Gesta fraudationis causa accipere debemus, non solum ea quae contrahens gesserit aliquis, verum etiam si forte data opera ad judicium non adfuit (*a*), vel litem mori patiatur, vel a debitore non petit ut tempore liberetur, aut usumfructum vel servitutem umittit (*b*). Et qui aliquid fecit, ut desinat habere quod habet, ad hoc edictum pertinet (c). l. 3. §. 1. et 2.

4. In fraudem facere videri etiam eum qui non facit quod debet facere, intelligendum est; id est, si non utatur servitutibus. Sed et si rem suam pro derelicto habuerit, ut quis eam suam faciat. l. 4. et 5.

5. Apud Labeonem scriptum est, eum qui suum recipiat, nullam videri fraudem facere: hoc est, eum, qui quod sibi debetur, receperat. Eum enim quem praeses invitum solvere cogat, impune non solvere, iniquum esse (*d*). l. 6. §. 6.

Sciendum, Julianum scribere, eoque nos jure uti, ut qui debitam pecuniam recepit, antequam bona debitoris possideantur, quamvis sciens prudensque sol-

(a) V. l. 58. §. 1. *de fidejussoribus*. Defectus, peremptio, praescriptio:

(b) Vel si exceptiones in judicio non opponat, creditor potest eas ex ipsius persona opponere. l. 15. C. *de non numerata pecunia*.

(c) In ordine non collocatur creditor a die contractus, cum post praescriptionem acquisitam debitor debitum occupavit; non collocatur nisi a die novae acceptationis. *Quid* creditor creditoris potest ne agere per declarationem hypothecae contra tertium detentorem?

(d) V. l. ult. *depositi vel contra*.

vendo non esse, recipiat, non timere hoc edictum; sibi enim vigilavit (e). d. l. 6. §. 7.

Vigilavi, meliorem meam conditionem feci. *Jus civile vigilantibus scriptum est.* Ideo (quoque) non revocatur id quod percepi. l. 24 in f.

Alii creditores suae negligentiae expensum ferre debent. d. l. 24.

6. Qui vero post bona possessa debitum suum recepit, hunc in portionem vocandum, exaequandumque caeteris creditoribus. Neque enim debuit praeripere caeteris post bona possessa, cum jam par conditio omnium creditorum facta esset. d. l. 6. §. 7.

Si debitorem meum, et complurium creditorum consecutus essem fugientem, secum ferentem pecuniam (f), et abstulissem ei id quod mihi debeatur, placet Juliani sententia dicentis, multum interesse, antequam in possessionem bonorum ejus creditores mittantur, hoc factum sit, an postea. Si ante, cessare in factum actionem; si postea, huic locum fore. l. 10. §. 16.

7. Hoc edictum eum coercet, qui sciens eum in fraudem creditorum hoc facere, suscepit quod in fraudem creditorum fiebat. Quare si quid in fraudem creditorum factum sit, si tamen is qui cepit, ignoravit, cessare videntur verba edicti. l. 6. §. 8.

8. Simili modo dicimus, et si cui donatum est, non esse quaerendum an sciente eo cui donatum, gestum sit; sed hoc tantum an fraudentur creditores? Nec videtur injuria affici is qui ignoravit; cum lucrum ex-

(e) V. l. 6. §. 2. *de rebus auctoritate judicii.*
(f) Si calvitur pedemve struit manum endo jacito.

torqueatur, non damnum infligatur. In hos tamen qui ignorantes ab eo qui solvendo non sit, liberalitatem acceperunt, hactenus actio erit danda, quatenus locupletiores facti sunt (*a*); ultra non. l. 6. §. 11. V. l. 5. C. *de revoc. his quae in fraud. cred.*

9. Si debitor in fraudem creditorum minore pretio fundum scienti emptori vendiderit; deinde hi, quibus de revocando eo actio datur, eum petant: quaesitum est, an pretium restituere debent (*b*)? Proculus existimat, omnimodo restituendum esse fundum, etiamsi pretium non solvatur. Et rescriptum est secundum Proculi sententiam. l. 7.

Ex his colligi potest, ne quidem portionem emptori reddendam ex pretio. Posse tamen dici, eam rem apud arbitrum ex causa animadvertendam; ut si nummi soluti in bonis extent, jubeat eos reddi: quia ea ratione nemo fraudetur. l. 8.

10. Ita demum revocatur, quod fraudandorum creditorum causa factum est, si eventum fraus habuit (c); scilicet, si hi creditores, quod fraudandorum causa fecit, bona ipsius vendiderunt. Caeterum, si illos dimisit, quorum fraudandorum causa fecit, et alios sortitus est: siquidem simpliciter dimissis prioribus, quos fraudare voluit, postea sortitus est, cessat revocatio. Si autem horum pecunia quos fraudare noluit (*d*), prio-

(a) Si lautius vixit et dilapidavit melioris est conditionis quam is qui servavit. V. l. 25. §. 2. *de haereditatis petitione.*

(b) Sed emptor saltem veniet in tributum ratione pretii soluti cum caeteris creditoribus. V. l. 10. §. 19. et 20.

(c) L. 3. §. 2. *de jure fisci.*

(d) Quid observandae hic stipulationis, et subrogationis solemnitates.

res dimisit, quos fraudare voluit, Marcellus dicit, revocationi locum fore. Secundum hanc distinctionem, et ab imperatore Severo et Antonino rescriptum est. Eoque jure utimur. l. 10. §. 1.

Utrumque in eorundem personam exigimus, et consilium et eventum. l. 15.

Consilium fraudis et eventus damni. l. 1. C. *qui man. non poss.*

11. Quod ait praetor *sciente*, sic accipimus te conscio et fraudem participante. Non enim si simpliciter scio, illum creditores habere, hoc sufficit ad contendentum teneri eum in factum actione; sed si particeps fraudis est. l. 10. §. 2.

Alias autem qui scit aliquem creditores habere, si cum eo contrahat simpliciter, sine fraudis conscientia, non videtur hac actione teneri. d. l. §. 4.

12. Ait praetor, *sciente*, id est, eo qui convenietur hac actione. Quid ergo si forte tutor pupilli scit, ipse pupillus ignoravit? Videamus, an actioni locus sit, ut scientia tutoris noceat. Idem et in curatore furiosi et adolescentis? Et putem hactenus istis nocere conscientiam tutorum sive curatorum, quatenus quid ad eos pervenit. l. 10. §. 5. l. 198. *de re judicata.*

13. Si cum in diem mihi deberetur, fraudator praesens solverit; dicendum erit (quod) in eo quod sensi commodum in repraesentatione (e), in factum actioni locum fore. Nam praetor fraudem intelligit eti-

---

(e) l. 1. §. 10. *ad legem falcidiam.*

am in tempore fieri (*f*). l. 10. §. 12. (*g*).

14. Si cum mulier fraudandorum creditorum consilium iisset, marito suo, eidemque debitori in fraudem creditorum acceptum debitum fecerit, dotis constituendae causa; locum habet haec actio. Et per hanc omnis pecunia quam maritus debuerat, exigitur. Nec mulier de dote habet actionem: neque enim dos in fraudem creditorum constituenda est. Et hoc certo certius est, (h) et saepissime constitutum. l. 10. §. 14. l. 2. C. *de revoc. his quae in fr. cred.*

Si a socero fraudatore sciens gener accepit dotem, tenebitur hac actione. l. 25. §. 1.

In maritum qui ignoraverit, non dandam actionem, non magis quam in creditorem qui a fraudatore quod ei deberetur acceperit (*a*). Cum is indotatam uxorem ducturus non fuerit (*b*). d. §. in f.

(f) Tempore enim plus solvitur sicut et minus. l. 12. §. 1. *de verborum significatione.* V. l. 10. 17. 18. *de condictione indebiti.*

(g) V. l. 17. §. 2. infra.

(h) Nota discrimen. Quando mulier ipsa dotem dat, eripitur marito, licet maritus non fuerit fraudis particeps. Si vero dos ab altera data sit, non aufertur marito, nisi fuerit fraudis conscius maritus.

(a) V. l. 27. *de jure dotium*, quae ait: Mulier bona sua omnia in dotem dedit. Quaero an maritus quasi haeres oneribus respondere cogatur? Paulus respondit, eum quidem qui tota ex repromissione dotis bona mulieris retinuit; a creditoribus conveniri ejus non posse, sed non plus esse in promissione bonorum quam quod supererit deducto aere alieno. Nota. Licet maritus tota uxoris bona retinet post mortem ejus, tamen non tenetur actioni principali proprio nomine, quia non est haeres; sed in rem tenetur; et cogitur restituere quod lucratus erat morte uxoris.

(b) L. 25. §. 1. ait: Quia maritus indotatam uxorem ducturus non fuisset. Dicitur in l. 19. *de obligationibus et actionibus*, dotem esse titulum onerosum.

15. Si debitorem meum et complurium creditorum consecutus essem fugientem, secum ferentem pecuniam; et abstulissem ei id quod mihi debeatur; placet Juliani sententia dicentis, multum interesse antequam in possessionem bonorum ejus creditores mittantur, hoc factum sit, an postea: si ante, cessare in factum actionem; si postea, huic locum fore. l. 10. §. 16. §. 7. et n. 6. supra.

16. Per hanc actionem res restitui debet cum sua scilicet causa; et fructus, non tantum qui percepti sunt, verum etiam hi qui percipi potuerunt a fraudatore, veniunt: sed cum aliquo modo, scilicet, ut sumptus facti deducantur (*c*). Nam arbitrio judicis non prius cogendus est rem restituere, quam si impensas necessarias consequatur. l. 10. §. 19. et 20.

17. Praeterea generaliter sciendum est, ex hac actione restitutionem fieri oportere in pristinum statum; sive res fuerunt, sive obligationes: ut perinde omnia revocentur, ac si liberatio facta non esset (*d*). Propter quod etiam medii temporis commodum, quod quis consequeretur liberatione non facta, praestandum erit. l. 10. §. 22.

18. Haec actio etiam in ipsum fraudatorem datur. Licet Mela non putabat in fraudatorem eam dandam: quia nulla actio in eum ex ante gesto, post bonorum venditionem daretur; et iniquum esset actionem dari in eum cui bona ablata essent. Si vero quaedam disper-

---

(c) Pariter emptor non deberet restituere rem, nisi recepto pretio. V. supra. l. 7. 8

(d) Quid de donatario bonae fidei, restituet ne fructus? Satius est eum non lucrari licet titulum habeat a vero domino cum bona fida, quam creditores in damnoversari. V. supra, n. 8. sed fructus dantur pro cultura et cura, quia publici interest fundos non remanere incultos.

didissit, si nulla restitutione recuperari possent, nihilomini actio in eum dabitur. Et praetor non tantum emolumentum actionis intueri videtur in eo qui exutus est bonis, quam poenam (e). l. ult. §. ult. (1)

(e) Golofr. ait, debitorem fraudatorem in carcerem conjici posse, nec posse bonis cedere.

(1) *Nota*. Questa specie di frode non è considerata espressamente dalle attuali leggi penali del regno tra quelle definite per costituire un delitto: non di meno par che lo venga implicitamente nel §. 5 dell'art. 430, ch'è così concepito » Si commette frode quando siasi fatto un lucro qualunque a danno altrui ».

LIBER XLIII.

TITULUS I.

De interdictis, sive extraordinariis actionibus, quae pro his competunt.

SUMMARIA.

1. *Interdicta, aut exhibitoria, aut prohibitoria, aut restitutoria.*
2. *Interdicta personalia sunt, licet in rem concepta.*
3. *Interdicta ad adipiscendam, aut recuperandam, aut retinendam possessionem.*
5. *Si arboris radices vicinis fundamentis noceant, judex providebit.*

1. Interdictorum tres species sunt: exhibitoria, prohibitoria, restitutoria. l. 1. §. 1. V. l. 1. inst. h. tit.

2. Interdicta omnia, licet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt. l. 1. §. 3.

3. Interdicta, quae ad rem familiarem spectant, aut adpiscendae sunt possessionis, aut recuperandae, aut retinendae. l. 2. §. 3.

4. In interdictis exinde ratio habetur fructuum ex quo edita sunt, non retro. l. 3. V. l. 2. §. 40. *de vi et vi armata.*

5. Cum proponas radicibus arborum in vicina Agathangeli area positis crescentibus, fundamentis domus tuae periculum afferri, praeses rem ad suam aequitatem rediget. l. 1. C. *de interdict.*

TITULUS II. *quorum bonorum.*

TITULUS III.

Quod legatorum.

SUMMARIA.

1. *Non proprie possidetur, sed tenetur ususfructus.*
2. *Legatum ab haerede petere debet legatarius.*

1. Neque ususfructus, neque usus possidetur, sed magis tenetur. l. 1. §. 8.

2. *Quod quis legatorum nomine non ex voluntate haeredis occupavit, id restituat haeredi.* Etenim aequissimum praetori visum est, unumquemque non sibi ipsum jus dicere occupatis legatis (*a*) sed ab haerede petere. l. 1. §. 2. (1)

TITULUS IV.

Ne vis fiat ei qui in possessionem missus erit.

SUMMARIA.

1. *Decreta judicum per manum militarem executioni mandantur, si opus fuerit.*

1. Extra ordinem praetor jure suae potestatis exequitur decretum suum; nonnunquam etiam per manum militarem (*b*). l. 3.

TITULUS V. *De tabulis exibendis.*

(*a*) Atqui legatum recta via transit a testatore in legatarium si sit per vendicationem. Item fructus ei debentur. l. 64. *de usuris.* l. 40. *de acquirendo rerum domino.* l. 43. *de furtis.*

(1) » I legatarj son tenuti a dimandare il rilascio de'beni agli eredi « (*Leggi civ. art.* 965, 968).

(*b*) V. 68. *de rei vindicatione.*

TITULUS VI.

Ne quid in loco sacro fiat.

SUMMARIA.

1. *Nihil in loco sancto faciendum quod noceat.*
2. *Inhabitare muros et portas non licet propter incendia.*

1. In muris, itemque portis et aliis sanctis locis aliquid facere ex quo damnum aut incommodum irrogetur, non permittitur. l. 2.

2. Neque muri, neque portae habitari, sine permissu principis, propter fortuita incendia possunt. l. ult.

TITULUS VII.

De locis et itineribus publicis.

SUMMARIA.

1. *Via vicinalis antiqua pro publica habetur.*

1. Viae vicinales, quae ex agris privatorum collatis factae sunt, quarum memoria non extat (c), publicarum viarum numero sunt. Sed inter eas et caeteras vias militares hoc interest, quod viae militares exitum ad mare, aut in urbes, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent: harum autem vicinalium viarum dissimilis conditio est; nam pars earum in militares vias exitum habent, pars sine ullo exitu intermoriuntur. l. 3. d. l. §. 1.

(c) V. l. 2. §. tit. seq.

TITULUS VIII.

Ne quis in loco publico vel itinere fiat.

SUMMARIA.

1. *Loca publica privatis serviunt.*
2. *Qui publico alium uti prohibet, injuriarum tenetur.*
3. *Ita in publico fieri quid permittitur, ne cui noceatur, nisi a principe impetretur.*
4. *Etiam temere in publico aedificatum, non temere deponitur, nisi noceat, sed solatium imponitur.*
5. *Viae publicae solum publicum est, non privatae.*
6. *Viarum tres species: publicae, vicinales, privatae.*

1. Tam publicis utilitatibus, quam privatorum per hoc (interdictum) prospicitur. Loca enim publica utique privatorum usibus deserviunt, jure scilicet civitatis (*d*), non quasi propria cujusque: et tantum juris habemus ad obtinendum, quantum quilibet ex populo ad prohibendum habet. Propter quod, si (*quod*) forte opus in publico fiet, quod ad privati damnum redundet; prohibitorio interdicto potest conveniri, propter quam rem hoc interdictum propositum est. l. 2. §. 2.

2. (Si quis) in campo publico ludere, vel in publico balineo lavare, aut in theatro spectare arceatur, in omnibus his casibus injuriarum actione utendum est. l. 2. §. 9.

(d) Sed jus prohibendi, fortius est jure faciendi. L. 28. *communi dividundo.* l. 11. *si servitus vindicetur.*

3. Quoties aliquid in publico fieri permittitur, ita oportet permitti, ut sine injuria cujusquam fiat; et ita solet princeps, quoties aliud novi operis instituendum petitur, permittere. l. 2. §. 10.

Si quis a principe simpliciter impetraverit, *ut in publico loco aedificet*, non est credendus sic aedificare, ut cum incommodo alicujus id fiat: neque sic conceditur, nisi forte quis hoc inpetraverit (*a*). l. 2. §. 16.

4. Si quis nemine prohibente in publico aedificaverit, non esse eum cogendum tollere, ne ruinis urbs deformetur; et quia prohibitorium est interdictum, non restitutorium. Si tamen obstet id aedificium publico usui, utique is qui operibus publicis procurat, debebit id deponere: aut si non obstet, solarium ei imponere. Vectigal enim hoc sic appellatur *solarium*, eo quod pro solo pendatur (*b*). l. 2. §. 17.

5. Viae privatae solum alienum est (*c*), jus tantum eundi (et) agendi nobis competit. Viae autem publicae solum publicum est, relictum ad directum certis finibus latitudinis, ab eo qui jus publicandi habuit, ut ea publice iretur, commearetur. l. 2. §. 21.

6. Viarum quaedam publicae sunt, quaedam privatae, quaedam vicinales (*d*). l. 2. §. 22. (*e*).

TITULUS IX. *De loco publico fruendo.*

(a) Duplici princeps gaudet potestate, ordinaria, et absoluta.

(b) L. 31. *de pignoribus.* t. 15. *qui potiores.*

(c) Refectio tamen viae privatae eum spectat ad quem pertinet via privata; non eum cujus forum est.

(d) Publicas vias dicimus quas Graeci *βασιλικας*, id est, regias, nostri praetorias, alii consulares appellant. Privatae quas agrarias quidam dicunt. Vicinales quae in vicis sunt, vel quae in vicos ducunt. Has quoque publicas esse quidam dicunt. Ibid.

(e) V. l. 3. *de locis et itineribus.*

TITULUS X.

De via publica, et si quid in ea factum esse dicatur.

SUMMARIA.

1. *Viae civitatum adaequandae.*
2. *Parietes caduci secundum viam reficiendi.*
3. *Viae refectio et purgatio secundum domos.*
4. *Conductoris mercedi imputatur quod eo nomine impendit.*
5. *Nihil commeantibus in viis noceat.*
6. *Idem.*

1. ÆDiles studeant; ut quae secundum civitatem sunt viae, adaequentur; et effluxiones non noceant domibus; et pontes fiant ubicunque oportet. l. un.

2. Studeant enim ne eorum, aut aliorum parietes, etiam domorum qui viam ducunt, sint caduci. Sed ut oportet emundent domini domorum, et construant. Si autem non emundaverint, neque construxerint, multent eos quousque firmos effecerint. d. l. §. 1.

3. Construat vias publicas unusquisque secundum propriam domum: et aquae ductus purget qui sub dio sunt, id est, caelo libero, et construat ita, ut non prohibeatur vehiculum transire. d. l. §. 3.

4. Quicumque mercede habitant, si non construat dominus, ipsi construentes computent dispendium in mercedem (f). d. l. un. §. 3. in f.

(f) Proprietarius tenetur de publicis oneribus, si e locatario ea exiguntur, is imputat locanti.

5. Studeant (aediles) ut ante officinas nihil projectum sit, vel propositum, praeterquam si fullo vestimenta siccet, aut faber currus exterius ponat. Ponant autem et hi, ut non prohibeant vehiculum ire. d. l. §. 4.

6. Non permittitur autem rixari in viis, neque stercora projicere, neque morticina, neque pelles jacere. d. l. § ult.

TITOLUS XI. *De via publica, et itinere publico reficiendo.*

TITULUS XII.

De fluminibus, ne quid in flumine publico ripave ejus fiat, quo pejus navigetur. (*)

SUMMARIA.

1. *Ripa publici fluminis publica est.*
2. *Cujus fundus flumen dividit, ponte ejus jungere non potest.*

1. Flumina publica quae fluunt, ripaeque eorum, publicae sunt. Ripa ea putatur esse, quae plenissimum flumen continet. l. 3. d. l. §. 1. V. l. 99. et 112. *de verborum significatione.*

2. Quaesitum est, an is qui in utraque ripa fluminis publici domus habeat, pontem privati juris facere potest? Respondit, non posse. l. ult.

(*) *Lex* 1 §. 6. *habet*: Si insula in publico flumine fuerit nata, aut occupantis est, si agri fuerint limitati, aut ejus cujus ripam contingit, aut si in medio alveo nata est, eorum est qui prope utrasque ripas possidet. V. l. 16. *de acquirendo rerum domino*. Quam non servamus. Duperier. l. 2, q. 3.

TITULUS XIII.

Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat, atque uti priore aestate fluxit.

SUMMARIA.

1. *In flumine publico nihil novandum unde accolis noceatur.*
2. *Aestatis aestimatio.*

1. **A**it praetor, *in flumine publico, inve ripa ejus facere, aut in id flumen ripamve ejus immittere, quo aliter aqua fluat, quam priore aestate fluxit, veto*, l. 1.
Si quod vitii accolae ex facto ejus qui convenitur, sentient, interdicto locus erit. d. l. §. 3. in f.
Oportet enim in hujusmodi rebus utilitatem et tutelam facientis spectari sine injuria accolarum. d. l. §. 7. in f.

2. Æstas ad aequinoctium autumnale refertur. l. un. §. 8. V. inf. *de aqua quot. et aest.* l. 1. §. 23.

TITULUS XIV. *Ut in flumine publico navigare liceat.*
TITULUS XV. *De ripa munienda.*

TITULUS XVI.

De vi, et de vi armato.

SUMMARIA.

1. *Omnis vis illicita.*
2. *Vi dejecto damnum omne sarciendum.*
3. *Fructus restituendi ex quo quis dejectus est, quos potuisset percipere.*
4. *In hoc interdicto venit quod interest.*
5. *Hoc interdictum omni possessori competit, etiam non domino.*

1. Hoc interdum proponitur ei qui vi dejectus est. Etenim fuit aequissimum, vi dejecto subvenire: propter quod ad recuperandam possessionem interdictum hoc proponitur. Ne quid autem per vim admittatur, etiam legibus Juliis prospicitur publicorum et privatorum, necnon et constitutionibus principum. l. 1. §. 1. et 2.

2. Qui vi dejectus est, quidquid damni senserit ob hoc quod dejectus est, recuperare debet: pristina enim causa restitui debet (*a*), quam habiturus erat, si non fuisset dejectus. l. 1. §. 31. (*b*).

3. Ex die quo quis dejectus est, fructuum ratio habetur: quamvis in caeteris interdictis, ex quo edita sunt, non retro computantur (*c*). Idem est et in rebus

---

(a) Restituitur ergo interruptio possessionis ad usucapionem tempus quo quis possessione privatus est. Vide quae dixi ad titulum *de acquirenda vel amittenda possessione*- n. 8.

(b) V. l. i. *quod vi dumno.* l. 15. §. 7. eod.

(c) V. l. 3. *de interdictis.*

mobilibus, quae ibi erant: nam et earum fructus computandi sunt, ex quo quis vi dejectus est. l. 1. §. 40. Si de possessione vi dejectus es, eum et lege Julia vis privatae reum postulare, et ad instar interdicti *unde vi*, convenire potes, quo reum causam omnem praestare oportet: in qua fructus etiam quos vetus possessor percipere potuit, non tantum quo praedo percepit, venire non ambigitur, l. 4. Cod. *unde vi.*

4. In interdicto unde vi, tanti condemnatio facienda est, quanti intersit possidere: et hoc jure nos uti Pomponius scribit (*a*); id est, tanti rem videri, quanti actoris intersit. l. 6.

5. Fulcinius dicebat, vi possideri quoties vel non dominus, cum tamen possideret, vi dejectus est (*b*). l. 8.

TITULUS XVII.

Uti possidetis.

SUMMARIA.

1. *Tuendus qui possidet nec vi, nec clam, nec precario.*
2. *Aliud possessio, aliud dominium, inde interdicta possessoria.*
3. *Vel de dominio, vel de possessione, contenditur: si de utroque, prius de possessione agendum.*
4. *Aut ad retinendam possessionem, aut ad restituendam agitur.*

(a) L. ult. *de verborum significatione.*
(b) L. 13. *quod metus causa.*

5. *Possessor est, qui nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possidet. licet injuste possideat adversus caeteros.*

6. *In hoc interdicto uterque actor et reus.*

1. Ait praetor: *uti eas aedes de quibus agitur, nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis: quominus ita possideatis vim fieri veto.* l. 1.

2. Hujus interdicti proponendi causa haec fuit, quod separata esse debet possessio a proprietate: fieri etenim potest ut alter possessor sit, dominus non sit; alter dominus quidem sit, possessor vero non sit: fieri potest ut et possessor idem, et dominus sit. l. 1. §. 2.

3. Inter litigatores ergo quoties est proprietatis controversia, aut convenit inter litigatores uter possessor sit, uter petitor, aut non convenit. Si convenit, absolutum est; ille possessoris commodo, quem convenit possidere, ille petitoris onere fungetur. Sed si inter ipsos contendatur uter possideat, quia alteruter se magis possidere adfirmat, tunc si res soli sit, in cujus possessione contenditur, ad hoc interdictum remittentur. l. 1. §. 3.

Incerti juris non est, orta proprietatis et possessionis lite, prius possessionis decidi oportere quaestionem. l. 3. C. *de interd.* (c)

4. Omnis de possessione controversia aut eo pertinet ut quod non possidemus nobis restituatur, aut ad hoc, ut nobis retinere liceat quod possidemus. l. 1. §. 4.

5. Perpetuo autem hoc interdicto insunt haec, *quod nec vi, nec clam, nec precario, ab illo possides.* l. 1. §. 5.

(c) V. C. *de ordine cognitionum.*

Quod ait praetor in interdicto, *nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis*, hoc eo pertinet, ut si quis possidet vi, aut clam, aut precario, si quidem ab alio, prosit ei possessio; si vero ab adversario suo (*d*), non debeat eum, propter hoc, quod ab eo possidet, vincere: has enim possessiones non debere proficere palam est. l. 1. §. ult.

Justa an injusta adversus caeteros possessio sit, in hoc interdicto nihil refert: qualiscumque enim possessor, hoc ipso, quod possessor est, plus juris habet, quam ille qui non possidet. l. 2.

6. Hoc interdictum duplex est: et hi quibus competit, et actores et rei sunt. l. 3. §. 1.

TITULUS XVIII. *De superficiebus.*

TITULUS XIX.

De itinere, actuque privato.

SUMMARIA.

1. *Possessorem facit anni possessio ante interdictum.*
2. *Per colonum et hospitem et alios possidemus.*
3. *Qui meo jure possidet, licet alia mente possideat, mihi possidet.*
4. *Qui juste primo, deinde clam aut precario possidet, jus interdicti, quod possessorem quemlibet sequitur, non amittit.*
5. *Pristina forma servitutum servanda.*
6. *Servitus longa possessione acquiritur.*

(d) Unusquisque actionem suam subire debet, fiducia juris sui, non defectu juris alieni.

1. Hoc inderdicto praetor non inquirit utrum habuit jure servitutem impositam, an non; sed hoc tantum an itinere actuque hoc anno usus sit non vi, non clam, non precario. Et tuetur eum, licet eo tempore, quo interdictum redditur, usus non sit. l. 1. §. 2.

Annum ex die interdicti retrorsum computare debemus. l. 1. §. 3. V. l. 2. C. *unde vi.*

2. Is cujus colonus, aut hospes, aut quis alius iter (*a*) ad fundum fecit, usus videtur itinere, vel actu, vel via; et idicirco interdictum habebit. l. 1. §. 7.

3. Si ego tibi fundum precario dedero cui via debebatur, et tu rogaveris, precario, ut ea via utaris; nihilominus utile interdictum mihi esse. l. 1. §. 11.

Quoties enim colonus meus, aut is cui precario fundum dedi, via utitur, ego ire intelligor; propter quod et recte dico, me itinere usum (*b*): non enim opinio tua, sed mea quaerenda est. d. 1. §. 11.

4. Si quis supradicto tempore anni non vi, non clam, non precario itinere usus sit, verum postea non sit usus, sed clam precariove, videndum est, an ei noceat; et magis est ut nihil ei noceat quod attinet ad interdictum. Nec enim corrumpi aut mutari quod recte transactum est, superveniente delicto, potest (*c*). l. 1. §. ult. l. 2.

Sicut non nocet ei qui sine vitio usus est, quod eodem anno vitiose usus est; ita emptori, haeredique

---

(a) Lex. 20. *quemadmodum servitutes amittuntur.* n. 3. l. 25, §. 1. *de acquirenda vel amittenda possessione.* n. 17.

(b) Opinio domini non coloni inquiritur.

(c) Delictum superveniens non corrumpit quod recte antea gestum est, aut potius initium possessionis spectatur.

non nocebit, quod ipsi vitiose usi sunt, si testator, venditorve recte usi sunt. l. 6.

5. Reficere sic accipimus, ad pristinam formam iter et actum reducere; hoc est, ne quis dilatet, aut producat, aut deprimat, aut exaggeret: et aliud est enim reficere, longe aliud facere. l. 3. §. 15.

6. Si quis servitutem jure impositam non habeat, habeat autem velut longae possessionis praerogativam, ex eo quod diu usus est servitute, inderdicto hoc uti potest. l. 5. §. 3. V. l. 10. ff. *si serv. vind.* l. 1. Cod. *de servit.* l. 2. Cod. *eod.* V. tit. seq. l. 3. §. 4.

TITULUS XX.

De aqua quotidiana, et aestiva.

SUMMARIA.

1. *Æstas ab aequinoctio verno ad autumnale.*
2. *Aliis horis aqua non ducitur, quam quibus concessa est.*
3. *Aqua duci potest in varios usus, et ob solum amoenitatem.*
4. *Ductus antiquos jus constituit.*

1. ÆStatem incipere sic peritiores tradiderunt ab aequinoctio verno (*d*), et finiri aequinoctio autumnali: et ita senis mensibus aestas, atque hiems dividitur. l. 1. §. 32. V. f. *ne quid in flumine publ.* l. 1. §. 8.

2. Si diuturnarum aut nocturnarum horarum aquae-

(d) Duo tantum anni tempora (*stagioni*) sex menses aestatis sex hiemis.

ductum habeam, non possum alia hora ducere, quam qua jus habeam ducendi. l. 2.

3. Hoc jure utimur, ut etiam non ad irrigandum, sed pecoris causa, vel amoenitatis aqua duci possit. l. 3.

4. Ductus aquae, cujus origo memoriam excessit, jure constituti loco habetur (e). l. 3. §. 4. V. s. Tit. prox. l. 5. §. 3.

TITOLUS XXI.

De rivis.

SUMMARIA.

1. *Cui servitus debetur, commodiorem sibi eam facere potest, dum ne domimo fundi fiat durior.*

1. Si quis novum canalem, vel fistulas in rivo vellit collocare, cum id numquam habuerit, utile ei hoc interdictum futurum, Labeo ait. Nos et hic opinamur, utilitatem ejus qui ducit sine incommoditate (f) ejus cujus ager est, spectandam. l. 3. §. 2.

TITULUS XXII. *De fonte.*

TITULUS XXIII. *De cloacis.*

(e) Minuendarum litium causa vetustas pro lege habetur. leg. 2, *de aqua et aquae pluviae.*

(f) V. l. 1. §. 4. et §. 11. *de aqua et aquae pluviae.*

TITULUS XXIV.

Quod vi aut clam.

SUMMARIA.

1. *Quod vi aut clam quis fecerit restituendum, etsi jus habeat.*
2. *Vi fit quod contra prohibitionem, vel denuntiationem quis fecerit.*
3. *Clam facit qui eum celat, quem prohibiturum existimare debet.*
4. *Quod me invito alius fecit, non ipse tollam, sed tolli patiar.*
5. *Intercidere licet vicinas aedes propter incendium.*
6. *Minus delictum est ejus qui domino, vel ei qui fuit vice domini obtemperavit.*
7. *Haereditas pro domina est.*
8. *Plurium opus singulos obligat in solidum.*
9. *Omne quod interest, et omnis causa restituenda.*

1. Praetor ait: *Quod vi aut clam factum est, qua de re agitur, id cum experiendi potestas est, restituas.* Hoc interdictum restitutorium est: et per hoc occursum est calliditati eorum qui vi aut clam quaedam moliuntur; jubentur enim ea restituere. Et parvi refert utrum jus habuerit faciendi an non (*a*). Sive enim jus habuit, sive non, tamen tenetur interdicto, propter quod vi aut clam fecit: tueri enim jus suum debuit,

(a) Lex 13. *quod metus causa.*

non injuriam comminisci (*b*). l. 1. d. l. §. 1. et 2.

2. Vi factum videri, *Quintus Mucius scripsit*, si quis contra quam prohiberetur fecerit: et mihi videtur plena esse Quinti Mucii definito. l. 1. §. 5.

Sed et si contra testationem, denunciationemque fecerit (*c*), idem esse Cascellius et Trebatius putant. Quod verum est. l. 1. §. 7.

3. Clam facere videri Cassius scribit, eum qui celavit adversarium, neque ei denunciavit; si modo timuit ejus controversiam, aut debuit timere. Idem Aristo putat, eum quoque clam facere qui celandi animo habet eum quem prohibiturum se intellexerit: et id existimat, aut existimare debet, se prohibitum iri. l. 3. §. pen. et ult.

4. Si alius fecerit me invito; teuebor ad hoc, ut patientiam praestem. l. 7.

5. Est et alia exceptio, de qua Celsus dubitat an sit objicienda: ut puta, si incendii arcendi causa, vicini aedes intercidi (*d*), et quod vi aut clam mecum agatur, aut damni injuria. Gallus enim dubitat, an excipi oporteret, *quod incendii defendendi causa factum non sit*? Servius autem ait, si id magistratus fecisset, dandam esse; privato non esse idem concedendum. Si tamen quod vi aut clam factum sit, neque ignis usque eo pervenisset, simpli litem aestimandam; si pervenisset, absolvi eum oportere. l. 7. §. 4. V. s. *ad leg. aquil.* l. 49. §. 1. l. 3. §. 7. *de incendio.*

(b) L. 1. §. 31. *de vi et vi armata.*

(c) Supposito quod adsit jus impediendi.

(d) Hic est casus quo populus jus habet decidendi in judicis absentia, et in quo populus absoluta suprema auctoritate pollet.

6. Ad quaedam quae non habent atrocitatem facinoris vel sceleris (*e*), ignoscitur servis, si vel dominis, vel his qui vice dominorum sunt, obtemperaverint. l. 11. §. 7.

7. Haereditas dominae locum obtinet (*f*). l. 13. §. 5. in f.

8. Opus quod a pluribus pro indiviso factum est, singulos in solidum obligat. l. 15. §. 2.

9. Hoc interdicto tanti lis aestimatur, quanti actoris interest id opus factum esse: officio autem judicis ita oportere fieri restitutionem, judicandum est, ut in omni causa eadem conditio sit actoris (*g*) quae futura esset, si id opus, de quo actum est, neque vi, neque clam factum esset. l. 15. §. 7.

TITULUS XXV. *De remissionibus.*

TITULUS XXVI.

De precario.

SUMMARIA.

1. *Precarium est quod precanti utendum conceditur.*
2. *Qui precario concedit, dat recepturus, non qui donat.*
3. *Simile commodato precarium.*
4. *Precario conceduntur immobilia et mobilia.*
5. *Precario datum ad tempus dominus auferre potest ante tempus.*

(e) Lex. 15. *de re judicata.*
(f) Haereditas acquirit usucapionem aut certe implet.
(g) Lex 1. §. 31. *de vi et vi armata.*

6. *Possidet et qui precario rogavit, et qui dedit: ille corpore, hic animo.*

7. *Duo in solidum possidere non possunt.*

1: Precarium est quod precibus petenti utendum conceditur (tamdiu,) quandiu is qui concessit, patitur. l. 1.

2. Distat (precarium) a donatione, eo quod qui donat, sic dat, ne recipiat: ac qui precario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere. l. 1. §. 2.

3. Est simile (precarium) commodato: nam et qui commodat, rem sic commodat, ut non faciat rem accipientis; sed ut ei uti re commodata permittat. l. 1. §. 3.

4. Habere precario videtur qui possessionem vel corporis, vel juris adeptus est, ex hac solummodo causa. quod preces adhibuit, et impetravit ut sibi possidere, aut uti liceat. Veluti si me precario rogaveris, ut per fundum meum ire vel agere tibi liceat; velut in tectum vel in aream aedium mearum stillicidium, vel tignum in parietem immissum habeas. In rebus etiam mobilibus precarii rogatio constitit. l. 2. §. 3. l. 3. et l. 4.

5. Cum precario aliquid datur, si convenit, *ut in calendas julias precario possideat*, numquid exceptione adjuvandus est, ne ante ei possessio auferatur? sed nulla vis est hujus conventionis, ut rem alienam domino invito possidere liceat. V. l. 10. §. 3. ff. *commod.*

6. Eum qui precario rogaverit, ut sibi possidere liceat, nancisci possessionem non est dubium. An is quoque possideat, qui rogatus sit, dubitatum est? Placet autem, penes utrumque esse eum hominem qui precario datus esset: penes eum qui rogasset, quia possederat

corpore; penes dominum, quia non discesserit animo possessione. l. 15. §. 4.

7. Duo in solidum precario habere non magis possunt, quam duo in solidum vi possidere, aut clam. Nam neque justae neque injustae possessiones duae cuncurrere possunt l. 19. V. l. 3. §. 5. l. 8. §. 5. *de acquirenda vel amittenda possess.*

TITULUS XXVII. *De arboribus caedendis.*

TITULUS XXVIII.

De clande legenda.

SUMMARIA.

1. *Fructus in alieno cadentes legere licet.*

1. Ait praetor: *glandem quae ex illius agro in tuum cadat quominus illi tertio quoque die legere, auferre liceat, vim fieri veto.* Glandis nomine omnes fructus continentur (a). l. un. d. l. §. 1.

TITULUS XXIX. *De homine libero exhibendo.*

(a) Modo arbor nec radices nec ramos agat in tuum fundum: verum etsi radicibus, arbor vicini alitur, tamen ejus est in cujus fundo origo ejus fuerit. l. 6. in fine *arborum furtim caesarum.* V. supra *de interdictis* n. ult.

TITOLUS XXX.

De liberis exhibendis, item ducendis.

SUMMARIA.

1. *Mater interdum patri praefertur ad liberorum educationem.*
2. *Non debet patria potestas turbare concordans matrimonium.*

1. Interdum magis (apud matrem (*b*)) quam apud patrem morari filium debet, ex justissima scilicet causa. l. 1. §. 3. l. 3. §. 5. V. s. *de divort.* n. 2. (1)

2. Certo jure utimur, ne bene concordantia matrimonia jure patriae potestatis turbentur. Quod tamen sic erit adhibendum, ut patri persuadeatur (*c*) ne acerbe patriam potestatem exerceat (*d*). l. 1. §. ult. in f. l. 3. §. 5. in f.

TITULUS XXXI. *De utrubi.*
TITULUS XXXII. *De migrando.*
TITULUS XXXIII. *De Salviano interdicto.*

(b) Vide Titulum, *ubi pupillus educari et morari debet.*

(1) » I figli saranno affidati al conjuge che ha ottenuto la separazione » (*Leggi civ. art.* 232).

(c) Nota leges suasorias et horatorias vanas et inutiles esse, et nullam vim obtinere: frustra est lex quae prohibet et non punit. Hobbes, de Cive 13. 7. sed omni legi poena appensa intelligitur. Idem 8.

(d) Patria enim potestas in pietate non in atrociate consistit. l. 5. *de lege Pompeia de parricidiis.*

LIBER XLIV.

TITULUS I.

De exceptionibus, praescriptionibus, et praejudiciis.

SUMMARIA.

1. *In exceptione reus actor est.*
2. *Exceptio est petitionis exclusio.*
3. *Replicatio est exceptionis exclusio.*
4. *Ulteriores actoris et rei in vicem responsiones et exclusiones.*
5. *Exceptionum aliae differunt actionem, aliae perimunt: hae peremptoriae dicuntur, illae dilatoriae.*
6. *Exceptiones aut perpetuae sunt, aut temporales.*
7. *Pluribus exceptionibus uti permittitur.*
8. *Exceptiones personales ad alios non transeunt, rei cohaerentes transeunt.*
9. *Cum alio judicatum alii non obest, nec ipsi haeredi hoc nomine agenti, quod proprio nomine adversus eum judicatum est.*
10. *Non stat judicatum ex falsis instrumentis.*
11. *Fidejussor rei exceptionibus eo invito utitur.*
12. *Judicatum in quaestione communi facit praejudicium.*
13. *Exceptiones quaedam eximunt a comdemnatione, quaedam minuunt.*
14. *Debitores haereditarii singulis haeredibus portiones debent.*
15. *Replicatio doli bonae fidei judicium facit.*
16. *Semper auditur exceptio peremptoria ante sententiam.*
17. *Dilatoria nonnisi in exordio litis.*
18. *Nec praescriptio fori.*

1. Reus in exceptione actor est. l. 1.

2 *Exceptio* dicta est, quasi quaedam exclusio quae (inter) opponi actioni cujusque rei solet, ad cludendum id quod in intentionem, condemnationemve deductum est. l. 2.

3. *Replicationes* nihil aliud sunt quam exceptiones, et a parte actoris veniunt: quae quidem ideo necessariae sunt, ut exceptiones excludant. Semper enim replicatio idcirco objicitur, ut exceptionem oppugnet. l. 2. §. 1.

4. Sed et contra replicationem solet dari triplicato, et contra triplicationem rursus; et deinceps multiplicantur nomina; dum aut reus aut actor objicit. l. 2. §. 3.

5. Solemus dicere, quasdam exceptiones esse dilatorias, quasdam peremptorias; ut puta dilatoria est exceptio quae differt actionem, veluti procuratoria exceptio dilatoria est: nam qui dicit, non licere procuratorio nomine agi; non prorsus litem inficiatur, sed personam evitat. l. 2. §. 4.

6. Exceptiones aut perpetuae et peremptoriae sunt, aut temporales et dilatoriae. *Perpetuae* atque *peremptoriae* sunt, quae semper locum habent, nec evitari possunt: qualis est doli mali, rei judicatae, et si quid contra leges senatusveconsultum factum esse dicetur: item pacti conventi perpetui, idest, ne omnino pecunia petatur. *Temporales* atquae *dilatoriae* sunt quae non semper locum habent, sed evitari possunt: qualis est pacti conventi temporalis, idest, ne forte intra quinquennium ageretur. l. 3.

7. Is qui dicit *se jurasse*, potest et aliis exceptioni-

bus uti cum exceptione *jurisjurandi*, vel aliis solis; pluribus enim defentionibus uti permittitur. l. 5.

Nemo prohibetur pluribus exceptionibus (*a*) uti, quamvis diversae sunt. l. 8.

8. Exceptiones quae personae cujusque cohaerent, non transeunt ad alios. Veluti ea quam socius habet exceptionem, quod facere possit, vel parens, non competit fidejussori. l. 7. (*b*). Rei autem cohaerentes exceptiones etiam fidejussoribus competunt: ut rei judicatae, doli mali, jurisjurandi, quod metus causa factum est. Igitur et si reus pactus sit in rem, omnimodo competit exceptio fidejussori (*c*). d. l. 7. §. 1.

9. Modestinus respondit: *Res inter alios judicata, aliis non obest.* Nec si is, contra quem judicatum est (*d*), haeres extiterit ei, contra quem nihil pronuntiatum est, haereditariam ei litem inferenti, praescribi ex ea sententia posse quam proprio nomine disceptans, antequam haeres extiterit, excepit. l. 10. V. tit. seq. l. 3. (*a*).

10. Si res judicata esset ex falsis instrumentis, si postea falsa inveniantur, nec rei judicatae praescriptionem opponi. l. 11. (*b*) (2)

11. Omnes exceptiones quae reo competunt (c), fidejussori quoque, etiam invito reo competunt. l. 19.

(a) V. l. 25. *de probationibus.*

(b) Lex 24. *de re judicata.* Nonne socius, parens, donator, tenebuntur in solidum erga fidejussorem qui solverit?

(c) Non utique existimatur confiteri de intentione adversarius quocum agitur, quia exceptione utitur. l. 9.

(d) Lex. *de transactionibus*

(a) V. l. 63. *de re judicata.* l. 1. *de exceptione rei judicatae* et tit. C. *inter alios acta vel judic.*

(b) V. t. 15. *de fidejussor.*

(2) Concorda. (*Leggi di proc. civ. art.* 512).

(c) V. l. ult. *de pactis*

12. Rei majoris pecuniae praejudicium fieri videtur, cum ea quaestio in judicium deducitur, quae vel tota vel ex aliqua parte communis est quaestioni de re majori. l. 21.

13. Exceptio est conditio, quae modo eximit reum damnatione, modo minuit damnationem. l. 22.

14. Debitores quidem haereditarii unicuique haeredum, pro portione haereditaria (*d*), antiqua lege obligati sunt. Sed si eis haeredibus omnem pecuniam exsolvisti quibus nomen patris tui testator in divisione adscripserat, doli mali exceptione adversus alios agentes tueri te potes. l. 1. C. *de except. seu praesc.*

15. Replicatio doli opposita bonae fidei judicium facit, et commentum fraudis repellit. l. 3. C. *eod.*

16. Exceptiones peremptorias (*e*) ante sententiam quandocumque objicere licet. l. 4. et l. 8. C. *eod.*

17. Dilatoria exceptio in exordio litis proponi debet. l. penult. C. *eod.* (3)

18. Praescriptio fori in principio litis opponenda est. l. ult. C. *eod.* (4)

(d) Pariter haeres creditoris non potest petere ab haeredibus debitoris, nisi partes singulas V. l. 1. et 2. *si unus ex pluribus haeredibus*.

(e) * *Lex* 2. C. Sententiam rescindi non posse, *habet* : Peremptorias exceptiones omissa in initio antequam sententia feratur opponi posse ; et judicatum contra majores viginti quinque annis non oppositae praescriptionis velamento, citra remedium appellationis rescindi non posse.

(3) » L' eccezioni dilatorie dovranno proporsi tutte simultaneamente prima di qualunque difesa sul merito » (*Leggi di proc. civ. art.* 280).

(4) Concorda. (*Leggi di proc. civ. art.* 263).

TITULUS II.

De exceptione rei judicatae.

SUMMARIA.

1. *Cum alio judicatum, alii non obest.*
2. *Res judicata non obest, nisi in eadem quaestione, inter easdem personas.*
3. *Exceptio rei judicatae adversus auctores successori nocet.*
4. *Pro judicato id habetur quod ex re, ex jure, ex personis idem est quod jam judicatum dicitur.*
5. *Plura jura in eamdem rem habere possum, sed mea esse pluries non potest.*
6. *Victus in causa possessionis, de proprietate potest agere.*
7. *Cohaeredi nec prodest nec nocet judicatum cum cohaerede.*
8. *Creditori non nocet in causa pignoris judicatum postea contra debitorem.*

1. Res inter alios judicatae, nullum aliis praejudicium faciunt. l. 1. (*f*).

2. Julianus respondit, exceptionem rei judicatae obstare, quoties eadem quaestio inter easdem personas revocatur. Et ideo et singulis rebus petitis haeredita-

(f) L. 63. *de re judicata*, l. 10. *de exceptionibus* Tit. Cod. Inter alios acta vel judic.

tem petat (*g*), vel contra ; exceptione summovebitur. l. 3. (*h*) (1)

3. Julianus scribit, exceptionem rei judicatae a persona auctoris ad emptorem transire solere; retro autem ab emptore ad auctorem reverti non debere (*i*). Quare si haereditariam rem vendideris, ego eandem ab emptore petiero, et vicero; petenti tibi non opponam exceptionem (*k*). l. 9. §. 2.

Exceptio rei judicatae nocebit ei qui in dominium successit ejus qui judicio expertus est. l. 28. (*l*).

4. Cum quaeritur, haec exceptio noceat, necne? inspiciendum est an idem corpus sit; quantitas eadem, idem jus: et an eadem causa petendi, et eadem conditio personarum: quae nisi omnia concurrunt, alia res est. Idem corpus in hac exceptione, non utique omni pristina qualitate vel quantitate servata, nulla adjectione, diminutioneve facta, sed pinguius pro communi utilitate accipitur (*a*). l. 12. l. 13. l. 14. (2)

5. Actiones in personam ab actionibus in rem hoc

(g) V. l. 10. *de exceptionibus.*

(h) V. l. 28. infra. l. 12. 13. 14.

(1) » L' autorità della cosa giudicata non ha luogo se non relativamente a ciò che ha formato l' oggetto della sentenza ; ed è necessario che la domanda sia . . . . tra le medesime parti » (*Leggi civ. art.* 1305).

(i) Secus contra.

(k) Item si victus fuero, tu adversus me exceptionem non habebis. l. 10.

(l) Vide l. 3. supra, l. 13. *communia praediorum*

(*a*) Res aliquando pinguis accipitur in jure.

(2) » L' autorità della cosa giudicata non ha luogo se non relativamente a ciò che ha formato l' oggetto della sentenza. È necessario che la cosa domandata sia la stessa ; che la domanda sia fondata sulla medesima causa, tra le medesime parti, e proposta da esse e contro di esse nella medesima qualità » (*Leggi civ. art.* 1305).

differunt, quod cum eadem res ab eodem mihi debeatur, singulas obligationes, singulae causae sequuntur, nec ulla earum alterius petitione vitiatur: at *cum in rem* ago non expressa causa ex qua rem meam esse dico, omnes causae una petitione adprehenduntur: neque enim amplius quam semel res mea esse potest; saepius autem deberi potest. l. 14. §. 2.

6. Si quis interdicto egerit de possessione, postea in rem agens non repellitur per exceptionem: quoniam in interdicto possessio, in actione proprietas vertitur. l. 14. §. 3.

7. Si cum uno haerede depositi actum sit, tamen et cum caeteris haeredibus recte agetur, nec exceptio rei judicatae eis proderit. Nam et si eadem quaestio in omnibus judiciis vertitur, tamen personarum mutatio, cum quibus singulis suo nomine agitur, aliam atque aliam rem facit l. 22. (*b*).

Judicatae rei praescriptio cohaeredi qui non litigavit, obstare non potest. l. 29.

8. Si debitor de dominio rei, quam pignori dedit, non admonito creditore causam egerit, et contrariam sententiam acceperit, creditor in locum victi successisse non videbitur: cum pignoris conventio sententiam praecesserit (*c*). l. 29. §. 1.

(*b*) V. l. 19. *de inofficioso testamento*. l. 46. *de usufruct.* l. 10. *de exceptionibus*. l. 10. §. *ult. de appellationibus*. l. 25. §. 8. *familiae erciscundae*.

(*c*) Ex sextante haeres institutus qui intestato legitimus esse potest, cum de jure testamenti faceret quaestionem: ab uno ex institutis dimidiam haereditatis petiit, nec obtinuit, videtur in illa petitione etiam partem sextantis vindicasse, et ideo si coeperit ab eodem ex testamento eamdem portionem petere, obstabit ei exceptio rei judicatae. l. 30. *de exceptione rei judicatae*.

TITULUS III.

De diversis temporalibus praescriptionibus, et (de) accessionibus possessionum.

SUMMARIA.

1. *Vitium testatoris legatario non nocet, si ipse usuceperit bona fide: nec donatoris donatario.*
2. *Auctorum et successorum omnium tempora conjunguntur.*
3. *Non usucapit haeres quod defunctus usucapere non potuit.*
4. *Possessio interrupta sequenti non conjungitur, nec prodest.*

1. AN vitium auctoris, vel donatoris, ejusve qui mihi rem legavit (d) mihi noceat, si forte auctor meus justum initium possidendi non habuit, videndum est: Et puto neque nocere, neque prodesse. Nam denique et usucapere possum quod auctor meus usucapere non potuit (e). l. 5. V. s. *de acq. vel amitt. possess.* l. 13. §. 1. V. l. 5. C. *de usucap. pro empt.*

2. Si quam rem tibi vendiderim, rursus a te emam, et Titio vendam; et meam omnem et tuam possessionem Titio accessuram; videlicet quod et tu mihi et ego ei possessionem praestare debemus. l. 6.

(d) Attamen in causa lucrativa dolus auctoris nocet. l. 4. §. 29. Tit. sequenti.

(e) Id obtinet in successore singulari, et modo non utatur accessione auctoris; secus in successore universali. l. 11.

De *accessionibus possessionum* nihil in perpetuum, neque generaliter definire possumus: consistunt enim in sola aequitate. Plane tribuuntur his qui in locum aliorum succedunt, sive ex contractu, sive voluntate. Haeredibus enim, et his qui successorum loco habentur, datur accessio testatoris., l. 14. d. l. §. 1.

Ei, cui haeres rem haereditariam vendidit, et haeredis tempus et defuncti debet accedere. l. 15. §. ult. (1)

3. Cum haeres (*f*) in jus omne defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vitia non excludit (*a*): veluti cum sciens alienum illum, illo, vel precario possedit, Quamvis enim precarium haeredem ignorantem non teneat, nec interdicto recte conveniatur; tamen usucapere non poterit, quod defunctus non potuit. Idem juris est cum de longa possessione quaeritur. Neque enim recte defendetur: cum exordium ei bonae fidei ratio non tueatur (*b*). l. 11. V. s. *de usurp. et usucap.* n. 20.

4. Accessio possessionis fit non solum temporis, quod apud eum fuit, unde is emit; sed et qui ei vendidit unde tu emisti. Sed si melius (*) aliquis ex auctoribus non possederit, praecedentium auctorum possessio non proderit, quia conjuncta non est (*c*): sicut nec ei qui

---

(1) » Per compiere la prescrizione, può il possessore unire al proprio possesso quello del suo autore, in qualunque modo gli sia succeduto » (*Leggi civ. art.* 2141).

(f) Secus de successore singulari. l. 5. supra.

(a) * *Lex* 43. de usurpationibus, *habet*: Haeres, ejus qui bona fide rem emit, usu non capiet sciens alienam.

(b) V. l. 11. §. 2. *de publiciana*. In usucapione ita servatur ut etiam si minimo momento novissimi diei possessa sit res, nihilominus repleatur usucapio, nec totus dies exigitur ad explendum constitutum tempus. l. 15. in princ. V. contra L. 6. *de obligationibus et actionibus*:

(*) Medius.

(c) Verum quaero an possint tempora computari et conjungi de-

non possidet, auctoris possessio accedere potest. (d). l. 15. §. 1. V. s. *de acq. vel amitt. poss.* l. 13. §. 4.

TITULUS IV.

De doli mali, et metus exceptione.

SUMMARIA.

1. *Dolus ex facto apparet.*
2. *Doceri debet de dolo, et cujus dolo factum sit.*
3. *Dolo petitur quod exceptione repellendum novit petitor.*
4. *Ex dolo tutoris datur exceptio.*
5. *Et ex dolo minoris, et pupilli doli capacis.*
6. *Exceptio rei cohaerens possessori nocet.*
7. *Dolus auctoris rei non cohaerens emptori non nocet.*
8. *In causa lucrativa dolus auctoris nocet.*
9. *Bonae fidei emptor non patitur exceptionem doli auctoris.*
10. *Metus exceptio semper rei cohaeret, a quolibet illatus sit metus.*
11. *Tamdiu durat exceptio quamdiu actio.*

1. An dolo quid actum sit, ex facto intelligitur (e). l. 1. §. 2.

2. Docere debet is qui objicit doli exceptionem, dolo malo actoris factum, nec sufficiet ei ostendere in re

---

ducto saltem medio? an vero sit omnino interrupta possessio? Deciditur in hac lege tempus praecedens non computari, unde praescriptio de novo post interruptionem est inchoanda. Secus in interruptione, quae fit per minorem aetatem, quia est dumtaxat suspensio.

(d) Ratio discriminis quod favorabilior sit usucapio, quia in ea occurrit possessio.

(e) Dolum ex judiciis probari convenit. l. 9. C. *de dolo.*

esse dolum. Aut si alterius dicat dolo factum, eorum personas specialiter debebit enumerare (*f*): dummodo hae sint, quarum dolus noceat (*g*). l. 2. §. 2. V. inf. l. 4. §. 33.

3. Dolo facit quicumque id quod quaqua exceptione elidi potest, petit. Nam et si inter initia nihil dolo malo facit, attamen nunc petendo facit dolose: nisi et talis sit ignorantia in eo, ut dolo careat. l. 2. §. 5.

Dolo facit, qui petit quod redditurus est (*h*).

4. Opinor de dolo tutoris exceptionem pupillo esse abjiciendam. Quae in tutore diximus, eadem in curatore quoque furiosi dicenda erunt; sed et in prodigi (*i*) vel minoris viginti quinque annis. l. 4. §. 24. in fin. et 25.

5. De dolo minoris viginti quinque annis exceptio utique locum habebit. Nam et de pupilli dolo interdum esse excipiendum (*k*) nequaquam ambigendum est, ex ea aetate quae dolo non careat. Denique Julianus quoque saepissime scripsit, doli pupillos, qui prope pubertatem sunt, capaces esse. l. 4. §. 26.

6. Rei cohaerens exceptio etiam emptori nocet. Eam autem quae ex delicto personae oriatur, nocere non oportet. l. 4. §. 27. in fin.

(f) Quia non licet in tanto errore vagari. l. 16. *de dolo.*

(g) Si quis sine causa ab aliquo fuerit stipulatus, deinde ex ea stipulatione experiatur, exceptio utique doli mali ei nocebit. l. 2. §. 3. l. 7. §. 4. *de pactis.*

(h) * *Lex 2.* §. 6. *habet*: Accipiens usuras in futurum videtur convenisse se non petiturum interea.

(i) * *Lex 4.* § 3. *habet*: Iniquum est communem malitiam petitori quidem praemio, reo vero poenae esse. Ex dolo tutoris datur exceptio adversus pupillum non vero actio: et sic intellige. l. 198. *de re judicata.*

(k) V. l. 111. *de re judicata.* l. 23. *de furtis.*

7. Si cum legitima haereditas Gaii Seii ad te perveniret (a), et ego essem haeres institutus, persuaseris mihi per dolum malum ne adeam haereditatem: et posteaquam ego repudiavi haereditatem, tu eam Sempronio cesseris, pretio accepto, isque a me petat haereditatem (b); exceptionem doli mali ejus qui ei cessit non potest pati (c). l. 4. §. 28.

8. Si quis ex causa legati vindicet, aut is cui ex causa donationis res praestita est, vindicet, an de dolo exceptionem patiatur ex causa ejus in cujus locum successerit (d)? et magis putat Pomponius summovendum. Et ego puto exceptione eos esse repellendos; cum lucrativam causam sint nacti: aliud est enim emere, aliud ex his causis succedere (e). l. 4. §. 29.

Ex quacumque alia causa quae prope lucrativam habet acquisitionem, quaesisse quis videatur, patietur exceptionem doli ex persona ejus in cujus locum successit. l. 4. §. 31.

9. Qui pretium dedit, vel vice pretii, cum sit bona fide emptor, non patitur doli exceptionem ex persona auctoris: utique si ipse dolo caret. Caeterum si ipse

---

(a) Exceptio doli non est scripta in rem: secus exceptio metus. l. 4. §. 33.

(b) Quam tamen possideo non obstante mea repudiatione. l. 36. *de verborum obligationibus.*

(c) Cessionarius majus habet jus quam cedens: et id valet in omnibus exceptionibus doli.

(d) Attamen currit praescriptio. l. 5. *de diversis temporalibus.* Discrimen est inter vindicationem et praescriptionem. Non datur vindicatio quidem ei qui titulo gratuito acquisivit, sed acquiritur ei praescriptio si sit bonae fidei, ut se possit defendere. Praescriptio est favorabilis nam est titulus qui omnes alios extinguit, et impedit incertitudinem possessionum.

(e) V. *de rei vindicatione.* n. 26.

dolo non careat, pervenietur ad doli exceptionem et patietur de dolo suo exceptionem. l. 4. §. 31. in f. V. s. d. l. §. 27. et 28.

10. Metus causa exceptio in rem scripta est (f), *si in ea re nihil metus causa factum est*: ut non inspiciamus an is qui agit metus causa fecit aliquid, sed an omnino metus causa factum est in hac re, a quocumque, non tantum ab eo qui agit. Et quamvis de dolo auctoris exceptio non objiciatur (g), verumtamen hoc jure utimur, ut de metu non tantum ab auctore, verum a quocumque adhibito exceptio objici possit. lex 4. §. 33. inf. V. s. l. 2. §. 11. V. l. 4. §. 3. ff. *quod met. caus.*

11. Non sicut de dolo actio certo tempore finitur, ita etiam exceptio eodem tempore danda est. Nam haec perpetuo competit: cum actor quidem in sua potestate habeat quando utatur suo jure, is autem cum quo agitur, non habeat potestatem quando conveniatur (h). l. 5. §. ult. V. l. 6. Cod. *de except. seu praescr.*

(f) Secus de doli exceptione quae non est scripta in rem. l. 4. §. 28.

(g) Quaenam est diversitatis ratio, nam et in metu facto dolus inest? V. l. 2. §. 1. 2. supra. Gotofr. ad l. 4. §. 33. ait: Exceptio doli est in rem ex parte opponentis, in personam ex parte ejus cui opponitur. Exceptio vero metus ex utraque parte est in rem. Zoesius hanc diversitatis rationem affert, scilicet propter delicti atrocitatem quam in se vis vel metus habent. Haec ergo summa est exceptionis doli, ut reus probet dolum in hac re ab actore commissum esse, licet adversus ipsum reum commissus non sit.

(h) * *Lex* 17. §. 1. h. t. *habet*: Avus nepotibus ex filia legavit singulis 100. et adjecit haec verba: Ignoscite, nam potueram vobis amplius relinquere, nisi me Fronto pater vester male accepisset, cui dederam mutua quindecim quae ab eo recipere non potui. Quaesitum est an si avi haeres ab his nepotibus patris sui haeredibus petat quindecim contra voluntatem defuncti facere videatur, et doli,

TITULUS V.

Quarum rerum actio non detur (*).

SUMMARIA.

1. *Jusjurandum rei judicatae vicem obtinet.*

1. Jusjurandum vicem rei judicatae obtinet, non immerito: cum ipse quis judicem adversarium suum (*a*) de causa sua fecerit, deferendo eis jusjurandum. l. 1.

TITULUS VI. *De litigiosis.*

TITULUS VII.

De obligationibus et actionibus.

SUMMARIA.

1. *Variis ex causis ligamur.*
2. *Obligamur re, aut consensu.*
3. *Re obligamur in mutuo, commodato, deposito, pignore.*
4. *Mutuo dantur quae pondere, numero, mensura constant.*

---

mali exceptio summoveatur? Respondit exceptione obstaturam. *Lex* 9. *habet*: Turpiter accepta pecunia justius penes eum est qui deceptus est quam qui decipit. *Lex* 11. *habet*: Litis contestatae res procuratoris fit: eamque suo jam quodammodo nomine exequitur.

(*) Hic titulus respui debet aut mutari ita ut dicatur. Quarum rerum exceptio non detur, Freigius * *Lex* 2 §. 1. *habet*. Si in alea rem vendam ut ludam, et evicta re conveniat, exceptione summovebitur emptor.

(a) V. l. 1. *de jurejurando*.

5. *In commodato res ipsamet restituitur, nisi casu perierit: in mutuo aliud pro alio.*

6. *Qui utendum quid accepit exactissimam diligentiam praestat; imo et casum, si culpa ejus contigerit.*

7. *Qui depositum suscepit, de magna negligentia tenetur.*

8. *Proprio nomine obligatur reus debendi; alieno fidejussor.*

9. *Inutiliter quod dari non possit stipulamur.*

10. *Idem erit si sub conditione impossibili.*

11. *Consensu fiunt obligationes: in quibus causis sufficit consentire ut obligetur.*

12. *Absentes consensu contrahunt.*

13. *Mutuae praestationes ex bono et aequo veniunt in obligationibus ex consensu.*

14. *Obligamur ad dandum quid, vel faciendum, vel praestandum.*

15. *Obligationem constituit animus obligandi.*

16. *Ex maleficiis re obligamur.*

17. *Ex negotiis gestis nascitur utrinque obligatio.*

18. *Ex tutela mutua oritur obligatio.*

19. *Haeres obligatur ex testamento.*

20. *Indebitum accipiens obligatur.*

21. *Judex qui litem suam facit, quasi ex maleficio obligatur.*

22. *Ob effusa vel dejecta quasi ex maleficio contrahitur obligatio.*

23. *Exercitor tenetur de damno in nave dato quasi ex maleficio.*

24. *In temporalibus actionibus totus ultimus dies in termino est.*

25. *Sub conditione, si volam, nulla est obligatio.*

26. *Ex naturali debito solutum non repetitur.*
27. *Per alterum alteri non acquiritur obligatio.*
28. *In contractibus ex dolo defuncti tenetur haeres.*
29. *Eidem res eadem non quaeritur ex duabus causis lucrativis.*
30 *Aliud ex causa lucrativa et ex non lucrativa.*
31. *Dos non est causa lucrativa.*
32. *Ibi quis contraxisse intelligitur, ubi promisit se soluturum.*
33. *In sententia arbitri, et in lege commissoria, modicum spatium datur ad solvendum.*
34. *Actionum genera duo: in rem, cum rem nostram a possessore petimur; in personam ex obligatione.*
35. *Ad haeredem transit actio poenalis, si defunctus conventus sit.*
36. *Obligatio inutilis auctoritate judicis aut legis non convalescit.*
37. *Mixtae actiones sunt in quibus uterque actor est.*
38. *Haereditaria actio est ex legato, licet ab haerede incipiat.*
39. *Creditor est qui actionem habet non elisam exceptione.*
40. *In obligationibus haec spectanda, dies, conditio, modus, accessio.*
41. *Aut ex die incipit obligatio, aut confertur in diem.*
42. *Conditio aut firmat, aut solvit obligationem.*
43. *Modus est si altera fit obligatio.*
44. *Accessio aut rei fit aut personae.*
45. *Obligatio faciendi, re non facta, transfertur in obligationem dandi.*
46. *Furiosus et pupillus ex re obligantur.*
47. *In dubio propensiores esse debemus ad liberationem.*
48. *Surdus qui consentire potest, recte contrahit.*

49. *Qui in anno debet, quolibet anni die solvere potest.*
50. *Actio est jus persequendi quod sibi debetur.*
51. *Interdum nutu obligamur.*
52. *Non consentiunt qui errant, et ideo nec contrahunt.*
53. *Lis contestata ad haeredem et alios transit.*
54. *Poena poenam non costituit.*
55. *Ex personis causisque eastimandum an actio danda sit.*
56. *In contractibus bona fides spectanda.*
57. *Contrahere liberum; stare contractui necessarium.*
58. *Pignoris persecutione actio personalis non tollitur.*
59. *Incipit obligatio ab haerede, et contra eum.*
60. *Alium nemo obligat.*

1. Obligationes aut ex cotractu nascuntur, aut ex maleficio, aut proprio quodam jure ex variis causarum figuris. l. 1.

2. Obligationes ex contractu, aut re contrahuntur, aut consensu. l. 1. §. 1. V. l. 52.

3. Re contrahitur obligatio mutui datione. l. 1. §. 2.

Is quoque cui rem aliquam commodamus, re nobis obligatur. d. l. 1. §. 3.

Is quoque apud quem rem aliquam deponimus, re nobis tenetur. d. l. 1. §. 5.

Creditor quoque qui pignus accepit, re tenetur. l. 1. §. 6.

4. Mutui datio consistit in his rebus quae pondere, numero, mensurave constant: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata; quas res in hoc damus ut fiant accipientis, postea alias recepturi ejusdem generis et qualitatis. d. l. 1. §. 2. (1)

(1) Il mutuo ha per oggetto le cose che si consumano coll'uso,

5. Is cui rem aliquam commodamus, re nobis obligatur. Sed is de ea ipsa re, quam acceperit, restituenda tenetur (*b*). Et ille quidem qui mutuum accepit, si quolibet casu quod accepit, amiserit; nihilominus obligatus permanet. Is vero qui utendum accepit, si majore casu, cui humana infirmitas resistere non potest (veluti incendio, ruina, naufragio) rem quam accepit amiserit, securus est. l. 1. §. 3. in f. et §. 4. (2)

6. Exactissimam diligentiam custodiendae rei praestare compellitur (*qui utendum accepit*): nec sufficit ei eandem diligentiam adhibere, quam suis rebus adhibet, si alius diligentior custodire poterit. Sed et in majoribus casibus, si culpa ejus interveniat, tenetur: veluti, si quasi amicos ad coenam invitaturus, argentum quod in eam rem utendum acceperit, peregre proficiscens, secum portare voluerit, et id aut naufragio aut praedonum (c), hostiumve incursu amiserit. l. 1. §. 4.

7. Is quoque apud quem rem aliquam deponimus, re nobis tenetur: qui et ipse de ea re quam acceperit restituenda tenetur. Sed is etiam si negligenter rem custoditam amiserit, securus est: quia enim non sua gratia accepit, sed ejus a quo accipit; in eo solo tenetur, si quid dolo perierit. Negligentiae vero nomine ideo non tenetur, quia *qui negligenti amico rem custodiendam*

---

per essere restituite in altrettanto della medesima specie quantità e qualità. — In forza del mutuo il mutuatario diviene padrone della cosa mutuata, la quale, venendo in qualunque modo a perire, perisce per di lui conto (*Leggi civ art.* 1764, 1765, 1774.)

(b) Lex 5. §. 7. l. 18. *commodati vel contra.*

(2) Il comodato ha per oggetto le cose che si restituiscono le stesse dopo che se n' è servito. — Il comodante ritiene la proprietà della cosa data in prestanza (*Leggi civ. art.* 1747, 1749.)

(c) V. l. 18. *commodati vel contra.*

committit, de se quaeri debet. Magnam tamen negligentiam placuit in doli crimine cadere (*d*). l. 1. §. 5. V. l. 32. ff. *de poss.* (3)

8. Aut proprio nomine quisque obligatur, aut alieno; qui autem alieno nomine obligatur, fidejussor vocatur. Et plerumque ab eo quem proprio nomine obligamus, alios accipimus qui eadem obligatione teneantur, dum curamus ut quod in obligationem deduximus, tutius nobis debeatur. l. 1. §. 8.

9. Si id quod dari stipulemur tale sit, ut dari non possit, palam est naturali ratione inutilem esse stipulationem. l. 1. §. 9.

Veluti si quis locum sacrum aut religiosum dari sibi stipulatus fuerit. d. §. in fine.

10. Sub impossibili conditione factam stipulationem, constat inutilem esse. l. 1. §. 11.

Non solum stipulationes impossibili conditioni adplicatae, nullius momenti sunt (*a*), sed etiam caeteri quoque contractus, veluti emptiones, locationes, impossibili conditione interposita, aeque nullius momenti sunt. Quia in ea re quae ex duorum pluriumve consensu agitur, omnium voluntas spectetur (*b*); quorum procul dubio in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existiment apposita ea conditione quam sciant esse impossibilem. l. 31.

11. *Consensu* fiunt obligationes in emptionibus ven-

(d) Lata culpa dolo aequiparatur.

(3) Concorda. (*Leggi civ. art.* 1799 e seg.)

(a) V. l. 58. *de condictione indebiti*, et ibi. Gotofr. l. 3. *de conditionibus et demonstrationibus.*

(b) Contrahentes intelliguntur locuti.

ditionibus, locationibus condictionibus, societatibus mandatis. Ideo autem istis modis consensu dicimus obligationem contrahi, quia neque verborum neque scripturae ulla proprietas desideratur: sed sufficit eos qui negotia gerunt, consentire. l. 2. §. 1.

12. Inter absentes quoque talia negotia contrahuntur; veluti per epistolam, vel per nuncium. l. 2. §. 2.

13. In his contractibus alter alteri obligatur de eo quod alterum alteri ex bono et aequo praestare oportet (*c*). l. 2. §. 3.

14. Obligationum substantia non in eo consistit, ut aliquod corpus nostrum, aut servitutem nostram faciat: sed ut alium nobis obstringat, ad dandum aliquid, vel faciendum, vel prestandum. 3.

15. Non satis autem est dantis esse nummos, et fieri accipientis, ut obbligatio nascatur: sed etiam hoc animo dari et accipi, ut obbligatio constituatur. Itaque si quis pocuniam suam donandi causa dederit mihi; quamquam et donantis fuerit (*d*), et mea fiat, tamen non obligabor ei, quia non hoc inter nos actum est. l. 3. §. 1.

In omnibus rebus, quae dominium transferant, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium. Nam sive ea venditio, sive donatio, sive conductio, sive quaelibet alia causa contrahendi fuit, nisi animus utriusque consensit, perduci ad effectum id quod inchoatur, non potest. l. 55.

16. Ex maleficio nascuntur obligationes, veluti ex furto,

(*c*) Lex 3. *de rebus creditis*.
(*d*) Lex 57. *h*.

ex damno, ex rapina, ex injuria: quae omnia unius generis sunt. Nam hae re tantum consistunt, id est, ipso maleficio. Cum alioquin ex contractu obligationes non tantum re consistant, sed etiam consensu. l. 4.

17. Si quis absentis negotia gesserit, si quidem ex mandatu, palam est ex contractu nasci inter eos actiones mandati, quibus invicem experiri possunt de eo quod alterum alteri ex bona fide praestare oportet. Si vero sine mandatu, placuit quidem sane eos invicem obligari; eoque nomine proditae sunt actiones, quas appellamus *negotiorum gestorum*, quibus aeque invicem experiri possunt de eo quod ex bona fide alterum alteri praestari eportet. Sed neque ex contractu, neque ex maleficio actiones nascuntur; neque enim is qui gessit, cum absente creditur ante contraxisse: neque ullum maleficium est, sine mandatu suscipere negotiorum administrationem, longe magis is, cujus negotia gesta sunt, ignorans, aut contraxisse aut deliquisse intelligi potest. Sed utilitatis causa receptum est, invicem eos obligari. Ideo autem id ita receptum est, quia plerumque homines eo animo peregre proficiscuntur, quasi statim redituri, nec ob id ulli curam negotiorum suorum mandant: deinde novis causis intervenientibus, ex necessitate diutius absunt, quorum negotia desperire iniquum erat; quae sane desperirent, si vel is qui obtulisset se negotiis gerendis, nullam habiturus esset actionem de eo quod utiliter de suo impendisset, vel is cujus gesta essent, adversus eum qui invasisset negotia ejus, nullo jure agere posset. l. 5.

18. *Tutelae judicio* qui tenentur, non proprie ex contractu obligati intelliguntur; nullum enim negotium

inter tutorem et pupillum contrahitur. Sed quia sane non ex maleficio tenentur, quasi ex contractu teneri videntur. Et hoc autem casu mutuae sunt actiones : non tantum enim pupillus cum tutore, sed et contra tutor cum pupillo habet actionem, si vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem suam creditori ejus obligaverit. l. 5. §. 1.

19. Haeres quoque qui legatum debet, neque ex contractu, neque ex maleficio obligatus esse intelligitur : nam neque cum defuncto neque cum haerede contraxisse quicquam legatarius intelligitur: maleficium autem nullum in ea re esse, plusquam manifestum est. l. 5. §. 2.

20. Is quoque *qui non debitum accipit* per errorem solventis, obligatur quidem quasi ex mutui datione; et eadem actione tenetur qua debitores creditoribus. Sed non potest intelligi is, qui ex ea causa tenetur, ex contractu obligatus esse: qui enim solvit per errorem, magis distrahendae obligationis animo, quam contrahendae dare videtur. l. 5. §. 3.

21. Si judex *litem suam fecerit*, non proprie ex maleficio obligatus videtur; sed quia neque ex contractu obligatus est (*a*), et utique peccasse aliquid intelligitur, licet per imprudentiam, ideo videtur quasi ex maleficio teneri. l. 5. §. 4.

22. Is quoque, ex cujus caenaculo, vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo gratis habitabat, dejectum effusumve aliquid est, ita ut alicui noceret, quasi ex maleficio teneri videtur. Ideo autem non proprie ex

---

(a) L. 15. et 16. *de judiciis*.

maleficio obligatus intelligitur, quia plerumque ob alterius culpam tenetur, aut servi, aut liberi: cui similis est is qui ea parte, qua vulgo iter fieri solet, id positum aut suspensum habet, quod potest, si ceciderit, alicui nocere. l. 5. §. 5.

23. Item exercitor navis, aut cauponae, aut stabuli, de damno aut furto quod in nave, aut caupona, aut stabulo factum sit, quasi ex maleficio teneri videtur: si modo ipsius nullum est maleficium, sed alicujus eorum quorum opera navem, aut cauponam, aut stabulum exerceret. Cum enim neque ex contractu sit adversus eum constituta haec actio, et aliquatenus culpae reus est, quod opera malorum hominum uteretur: ideo quasi ex maleficio teneri videtur. l. 5. §. ult.

24. In omnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus totus dies compleatur, non finit obligationem (*b*). l. 6.

Qui *ante kalendas proximas* stipuletur, similis est ei qui kalendis stipulatur. l. 13. ff. *de verb. obl.* V. inf. l. 50.

25. Sub hac conditione, *si volam*, nulla fit obligatio. Pro non dicto enim est, quod dare, nisi velis, cogi non possis: nam nec haeres promissoris ejus qui numquam dare voluerit, tenetur (*c*): quia haec conditio in ipsum promissorem numquam extitit. l. 8.

26. Naturales obligationes non eo solo aestimantur, si actio aliqua earum nomine competit, verum etiam eo, si soluta pecunia repeti non possit. l. 10.

(b) V. contra. l. 15. *de diversis temporalibus.* Verum lex 6. *de obligationibus et actionibus* non loquitur de praescriptionibus. l. 50. infra l. 13. 8. *de verborum obligationibus*, et l. 3. §. 3. *de minoribus.*

(c) V. authenticam, Si quando. C. *de constituta pecunia.*

V. inf. *de fidei*. l. 16. §. 4. (4)

27 Quaecumque gerimus, cum ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra persona obligationis initium sumant, inanem actum nostrum efficiunt: et ideo neque stipulari (a), neque emere, vendere, contrahere, ut alter suo nomine recte agat, possumus. l. 11.

28. Ex depositi, et commodati, et mandati, et tutelae, et negotiorum gestorum, ob dolum malum defuncti haeres in solidum tenetur. l. 12.

Ex contractibus venientes actiones in haeredes dantur, licet delictum quoque versetur: veluti cum tutor in tutela gerenda dolo fecerit, aut is apud quem depositum est. l. 49. V. inf. l. 33.

29. Omnes debitores, qui speciem ex causa lucrativa debent, liberantur, cum ea species ex causa lucrativa ad creditores pervenisset. l. 17. V. l. seq.

30. Si is qui Stichum dari stipulatus fuerat, haeres extiterit ei cui ex testamento idem Stichus debebatur; si ex testamento Stichum petierit, non consumet stipulationem. Et contra si ex stipulatu Stichum petierit, actionem ex testamento salvam habebit: quia initio ita constiterint hae duae obligationes, ut altera in judicium deducta, altera nihilominus integra remaneret. l. 18. V. l. seq.

31. Ex permissione dotis non videbitur lucrativa causa esse (c), sed quodammodo creditor aut emptor intelli-

---

(4) » La ripetizione del pagamento non si ammette riguardo alle obbligazioni naturali che si sieno volontariamente adempiute » (*Leggi civ.* 1188.)

(a) Quia stipulationes in id dumtaxat inventae sunt, ut unusquisque quod sua interest persequeretur, non quod alterius. l. 38. §. 17. *de verborum obligationibus*.

(b) Duae causae lucrativae non concurrunt. l. 19. h.

gitur qui dotem petit. Porro cum creditor vel emptor ex lucrativa causa rem habere coeperit, nihilominus integras actiones retinet: sicut ex contrario, qui non ex lucrativa causa rem habere coepit, eandem non prohibetur ex lucrativa causa petere. l. 19.

32. Contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo, ut solveret, se obligavit. l. 21. (5)

33. Servius rectissime existimavit, si quando dies, qua pecunia daretur (*d*), sententia arbitri comprehensa non esset, modicum spatium datum videri. Hoc idem dicendum et cum quid ea lege venierit, ut nisi ad diem pretium solutum fuerit, inempta res fiat. l. 23. in f.

34. Actionum genera sunt duo: in rem, quae dicitur, *vindicatio*; et in personam, quae *condictio* appellatur. In rem actio est, per quam rem nostram quae ab alio possidetur, petimus; et semper adversus eum est qui rem possidet. In personam actio est, qua cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid, vel dandum; et semper adversus eumdem locum habet. l. 25.

35. Omnes poenales actiones post litem inchoatam, et ad haeredes transeunt. l. 26.

Constitutionibus quibus ostenditur *haeredes poena non teneri*, placuit, si vivus conventus fuerat, etiam poe-

---

(5) Il reciproco è questo » Il pagamento debbe effettuarsi nel luogo destinato dalla convenzione: non essendovi destinazione di luogo, il pagamento dee farsi nel luogo ove al tempo del contratto si trova la cosa che ne forma l' oggetto » (*Leggi civ. art.* 1200.)

(c) Lex 10. *quae in fraudem creditorum*. Indotatam uxorem maritus ducturus non fuisset. l. 25. §. 1. eod.

(d) V. l. 105. *de solutionibus*. l. 21. §. 1. *de pecunia constituta*. l. 14. *de re judicata*, et l. 21. *de judiciis*.

nae persecutionem transmissam videri quasi lite contestata cum mortuo. l. 33.

Jure canonico, quod sequimur, tenetur omnino haeres sarcire damnum ex delicto defuncti. 16. *q.* 6. *c.* 3. 12. *l.* 2. *c.* 36. 1. *q.* 4. *c.* 11. *Item peccato Israelitarum qu. f. c. ult. de sepult. c.* 5. *de rapt. et incend.*

Cur enim quod in principalibus personis justum est, non ad haeredes et adversus eos transmittatur? l. 13. C. *de contr. et committ. stipul.*

Haeres vitiorum defuncti successor. l. 11. §. 2. in fin. ff. *de public. in rem act.* l. 2. in f. C. *de fruct. et lit. exp.*

Licet non ea sit harum legum sententia, quae in causa delicti adversus haeredem aptari possit; ratio ipsa legum juri canonico convenit, et nostris moribus.

36. Obligationes quae non propriis viribus consistunt, neque officio judicis, neque praetoris imperio, neque legis potestate, confirmantur. l. 27.

37. *Mixtae* sunt *actiones*, in quibus uterque actor est: puta finium regundorum, familiae erciscundae, communi dividundo, interdictum Uti possidetis, Utrubi. l. 37. §. 1.

38. Haereditariarum actionum loco habentur et legata; quamvis ab haerede coeperint. l. 40.

39. Creditores eos accipere debemus, qui aliquam actionem habent: sic tamen nec exceptione summoveantur. l. 42. §. 1.

40. Obligationum fere quatuor causae sunt: aut enim dies in his est, aut conditio, aut modus, aut accessio. l. 44.

41. Circa diem duplex inspectio est: nam vel ex die incipit obligatio, aut confertur in diem. Ex die, veluti, *kalendis martiis dare spondes?* Cujus natura haec est,

ut ante diem non exigatur. Ad diem autem, *usque ad kalendas dare spondes?* l. 44. §. 1.

42. Conditio vero efficax est, quae in constituenda obligatione inseritur, non quae post perfectam eam ponitur: veluti *centum dare spondes, nisi navis ex Asia venerit?* Sed hoc casu, existente conditione, locus erit exceptioni pacti conventi, vel doli mali. l. 44. §. 2.

43. Modus obligationis est, cum stipulamur decem, aut ominem (*a*): nam alterius solutio totam obligationem interimit; nec alter peti potest: utique quamdiu utrumque est. l. 44. §. 3.

44. Accessio vero in obligatione, aut personae, aut rei fit: personae, cum mihi aut Titio stipulor: rei cum mihi decem, aut Titio hominem stipulor: ubi quaeritur, an ipso jure fiat liberatio homine soluto Titio. l. 44. §. 4.

45. Si ita stipulatus sim, *si fundum non dederis, centum dare spondes?* sola centum in stipulatione sunt: in exsolutione, fundus (*b*). Sed si navem fieri stipulatus sum, et si non feceris, centum: videndum utrum duae stipulationes sint, pura, et conditionalis, et existens sequentis conditio non tollat priorem; an vero trasferat in se, et quasi novatio prioris fiat? Quod magis verum est. l. 44. §. penul. et ult.

46. Furiosus et pupillus, ubi ex re actio venit, obligantur, etiam sine curatore, vel tutoris auctoritate. Veluti si communem fundum habeo cum his, et aliquid in eum impendero: vel damnum in eo pupillus

---

(a) Lex 17. §. ult. *de conditionibus et demonstrationibus.*
(b) Et quasi nova actio est.

cederit. Nam judicio communi dividundo obligabuntur. l. 46.

47. Arrianus ait, multum interesse, quaeras utrum aliquis obligetur, an aliquis liberetur? Ubi de obligando quaeritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem ad negandum (c). Ubi de liberando, ex diverso, ut facilior sis ad liberationem. l. 47.

48. In quibuscumque negotiis sermone opus non est, sufficiente consensu, iis etiam surdus intervenire potest: quia potest intelligere et consentire. Veluti in locationibus conductionibus, emptionibus, et caeteris. l. 48.

49. Quod quis aliquo anno dare promittit, aut dare damnatur, ei potestas est quolibet ejus anni die dandi (d). l. 50. (e)

50. Nihil aliud est actio, quam jus, quod sibi debeatur, judicio persequendi. l. 51.

51. Nutu solo pleraque consistunt. l. 52. §. ult.

52. In omnibus negotiis contrahendis, sive bona fide sint, sive non sint, si error aliquis intervenit, ut aliud sentiat (puta) qui emit, aut qui conducit (a), aliud qui cum his contrahit; nihil valet quod acti sit. Et idem in societate quoque coeunda respondendum est, ut si dissentiant, aliud alio existimante, nihil valet ea societas, quae in consensu consistit. l. 57. (b).

53. Sciendum est ex omnibus causis lites contestatas et in haeredem, similesque personas transire. l. 58.

(c) V. l. 109. *de verborum obligationibus*. l. 138. eod.

(d) V. l. 6. supra. Quid, potestne solvere ante diem praefixum si forte momenta imminutionem patiatur?

(e) L. 70. *de solutionibus*.

(a) L. 15. *de jurisdictione*.

(b) L. 3 §. 1. h. l. 83. §. 1. *de verborum obligationibus*. l. 66. *de judiciis*.

54. Nunquam actiones paenales de eadem pecunia concurrentes alia aliam consumit. l. 60.

55. Seja cum salarium constituere vellet, ita epistolam emisit: *Lucio Titio salutem. Si (in) eodem animo et eadem affectione circa me es qui semper fuisti* (c), *ex continenti acceptis litteris meis, distracta re tua, veni: hoc tibi quamdiu vivam praestabo, annuos decem: scio enim quia valde me bene ames.* Quaero, cum et rem suam distraxerit Lucius Titius, et ad eam profectus sit, et ex eo cum ea sit; an ei ex his epistolis salarium annuum debeatur? Respondit ex personis causisque, eum cujus notio sit, aestimaturum an actio danda sit. l. ult. §. 1.

56. Bonam fidem in contractibus considerari aequum est. l. 4. C. *de obl. et act.*

57. Sicut initio libera potestas unicuique est habendi vel non habendi contractus; ita renuntiare semel constitutae obligationi, adversario non consentiente, nemo potest. Quapropter intelligere debetis, voluntariae obligationis semel vos nexos, ab hac, non consentiente altera parte, de cujus precibus fecistis mentionem, minime posse discedere. l. 5. C. eod.

58. Adversus debitorem electis pignoribus (personalis) actio non tollitur, sed eo quod de pretio servari potuit in debitum computato, de residuo manet integra. l. 10. C. eod.

59. Ab haeredibus et contra haeredes incipiunt actiones et obligationes. l. un. Cod. *ut act. et ab haered. et contr. haered. inc.*

60. Certissimum est alterius contractu neminem obligari. l. 3. in f. C. *ne ux. pro mar. vel mar. pro. ux*

(c) Epistola obligationem parit.

LIBER XLV.

TITULUS I.

De verborum obligationibus.

SUMMARIA.

1. *Stipulationes quaedam in dando, quaedam in faciendo: aliae dividuae, aliae individuae.*
2. *Satisdare est dare ad promissorem.*
3. *Paena stipulationis et compromissi cum defuncto, adversus omnes haeredes committitur, si vel ab uno commissa sit.*
4. *In stipulatione sub conditione et in diem, post conditionis eventum expectanda dies.*
5. *Si res legata post moram haeredis perierit, ipse tenetur.*
6. *Turpis stipulatio reprobatur.*
7. *Error in nomine, si de re constet, stipulationi non nocet.*
8. *Si res ante diem perierit, liberatur promissor.*
9. *Ex dolo personali, et eo quem dicunt dolum reipsa, sic.*
10. *Alteri inutiliter stipulor, nisi mea intersit.*
11. *Contra stipulatorem fit interpretatio.*
12. *Statim debetur quod sine die debetur.*
13. *Si quid in arbitrium tertii collatum sit, idque non arbitretur; non valebit stipulatio.*
14. *Haec verba* (cum petiero) *conditionem non faciunt, et mortuo stipulatore debetur haeredi.*

15. *Conventio judicialis interpretem habet praetorem.*
16. *Doli clausula ad non expressa pertinet.*
17. *Res aestimatio ejus temporis facienda quo dari debuit.*
18. *In disjunctivis conditionibus, alterius eventu committitur stipulatio.*
19. *Purae stipulationi accedit necessaria ex ipsa re dilatio.*
20. *Post moram oblatio moram purgat.*
21. *In stipulationem deducimus vel certum aliquid vel incertum.*
22. *Stipulatoris electio transit ad haeredem.*
23. *Paena stipulationis etiam ante diem mortuo promissore committitur.*
24. *Tempus contractus spectandum.*
25. *Ambigua sic accipimus, ut id de quo agitur in tuto sit.*
26. *Si res post moram promissoris perierit, obligatio quae rei interitu erat peritura perpetuatur.*
27. *Fidejussori nocet mora rei.*
28. *Ubi de bono et aequo agitur, cavendum ne juris auctoritate erretur.*
29. *Secundum promissorem stipulationem obscuram interpretamur.*
30. *Conditio in praesens aut in praeteritum relata statim effectum habet.*
31. *In stipulationibus obligatio alternativa ad minus redigitur.*
32. *An variare possit cui est jus eligendi, a verbis pendet.*
33. *Stipulatio ad tempus mortis, de morte naturali intelligitur.*
34. *Praefationum habenda ratio.*
35. *Multa judicis arbitrio relinquenda.*
36. *In stipulationibus faciendis is diligentiae modus exi-*

gitur, quem pro locis et temporibus vir bonus arbitretur.

37. *Cui diebus nundinarum debetur, non primo die, sed quamdiu exiguum tempus superest petere potest.*

38. *Promissor alterutrius variare potest.*

39. *Quibuscumque verbis de consensu constet recte contrahitur.*

40. *Omnis stipulatio ad haeredes, et in haredes transit.*

41. *Reprobatur stipulatio de futura successione.*

1 STipulationum quaedam in dando, quaedam in faciendo consistunt: et harum omnium quaedam partium praestationem recipiunt, veluti cum *decem* dari stipulamur; quaedam non recipiunt, ut in his quae natura divisionem non admittunt, veluti *cum viam, iter, actum* stipulamur (*a*). l. 2. d. l. §. 1. (1)

2. Satis acceptio est stipulatio quae ita obligat promissorem, ut ad promissores quoque ab eo accipiantur: id est qui idem promittunt. l. 5. §. 2.

3. Si *sortem* promiseris, *et si ea soluta non esset, paenam*, etiam si unus ex haeredibus tuis portionem suam ex sorte solverit, nihilominus poenam committet, donec portio cohaeredis solvatur (*b*). Idemque est de

---

(a) Ex persona haeredum conditio obligationis non immutatur. l. 2. §. 2. Ergo nomina non deberent passive dividi inter plures haeredes debitoris, licet active dividantur ex l. 12. Tab. dividuntur etiam passive. l. 1. et 2. C. *si unus ex pluribus haeredibus*. In Neustria nomina et actiones non dividuntur inter haeredes debitoris; sicut in quibusdam aliis consuetudinibus.

(1) » L' obbligazione è *divisibile* o *indivisibile*, secondo la cosa che si dee consegnare, o il fatto che si dee prestare » (*Leggi civ. art.* 1170)

(b) Quid de haeredibus subditi pro fide ?

poena ex compromisso, si unus paruerit, alter non paruerit sententiae judicis (c): sed a cohaerede ei satisfieri debet. Nec enim aliud in his stipulationibus sine injuria stipulatoris constitui potest. l. 5. in f.

4. In illa stipulatione; *si calendis Stichum non dederis, decem dare spondes* (d)? Mortuo homine quaeritur an statim ante calendas agi possit? Sabinus et Proculus expectandum diem actori putant; quod est verius. Tota enim obligatio sub conditione, et in diem collata est: et licet ad conditionem committi videatur, dies tamen superest. l. 8. (2)

5. Si ex legati causa, aut ex stipulatu hominem certum mihi debeas (e), non aliter post mortem ejus tenearis mihi, quam si per te steterit, quominus vivo eo, eum mihi dares (*f*): quod ita fit, si aut interpellatus non dedisti, aut occidisti eum. l. 23. V. l. 33. et l. 82. §. 1.

6. Generaliter novimus turpes stipulationes nullius

(c) Qui non paret, poenam integram debet, non potest partem offerre cum plures sint. Qui autem paret, nil debet; nec enim iniqua conditio alteri per alterum inferri debet. l. 6. ait: Is cui bonis interdictum est, stipulando sibi acquirit; tradere vero non potest vel promittendo obligari; et ideo nec fidejussor pro eo intervenire poterit, sicut nec pro furioso. V. contra l. 25. *De fidejussor.* Quid si fidejussor se se in solidum et tanquam principalem debitorem obliget?

(d) Idem in legatis, ubi tempus et conditio sunt in favorem haeredis. V. l. 3. §. 3. *de usuris.*

(2) » Ciò che si dee a tempo determinato, non può esigersi prima della scadenza del termine » (*Legge civ. art.* 1139)

(e) * *Lex.* 19 *habet*: Contenti esse debemus poenis legum comprehensis. Hinc est, quod cum agitur de pecunia adjudicari non possunt plusquam usurae pro damnis et interesse.

(f) Qui moram commisit, tenetur de casu fortuito. Moram fecisse videtur qui litigare maluit quam restituere. l. 82. §. 1.

esse momenti. l. 26. l. 15. *de conditionibus institutionum*. (3)

7. Si in nomine servi, quem stipularemur dari, erratum fuisset, cum de corpore constituisset; placet stipulationem valere (g). l. 32. (4)

8. Si Stichus certo die dari promissus, ante diem moriatur, non tenetur promissor (a). l. 33. V. s. l. 23. et l. 82. §. 1. (5)

9. Si quis, cum aliter eum convenisset obligari, aliter per machinationem obligatus est, erit quidem subtilitati juris obstrictus, sed doli exceptione uti potest. Quia enim per dolum obligatus est, competit ei exceptio. Idem est, et si nullus dolus intercessit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habet (b). Cum enim quis petat ex ea stipulatione, hoc ipse dolo facit quod petit. l. 36. (6)

10. *Alteri* stipulari nemo potest. l. 38. §. 17. Inventae sunt enim hujusmodi obligationes ad hoc,

---

(3) » L' obbligazione fondata sopra una causa illecita, non può avere alcun effetto » (*Leggi civ. art.* 1085)

(g) Quia nomina duntaxat inventa sunt ad res significandas, si indubitabili signo eum demonstraverit. l. 9. §. 8. *de haeredibus instituendis*.

(4) « L' errore non produce la nullità della convenzione, se non quando cade sopra la sostanza stessa della cosa che ne forma l' oggetto. (*Leggi civ. art.* 1064)

(a) Debitor interitu rei debitae liberatur.

(5) » Quando una certa e determinata cosa che formava l' oggetto della obbligazione, venga a perire, l' obbligazione si estingue, se la cosa sia perita senza colpa del debitore, e prima ch' egli sia in mora » (*Leggi civ. art.* 1256)

(b) V. l. 4. §. 28. *de excep. do.*

(6) » Il dolo è causa di nullità della convenzione, quando i raggiri praticati da uno de' contraenti sieno evidentemente tali che senza di essi l' altra parte non avrebbe contrattato » (*Leggi civ. art.* 1070)

ut unusquisque sibi adquirat quod sua interest (c). Caeterum ut alii detur nihil interest mea. l. 38. §. 17.

Si stipuler *alii*, cum mea interesset, videamus an stipulatio committetur? Et ait Marcellus stipulationem valere in specie hujusmodi. l. 38. §. 20. (7)

11. In stipulationibus cum quaeritur quid actum sit, verba contra stipulatorem interpretanda sunt. l. 38. §. 18. V. l. 39. ff. *de pact.* l. 21. et 33. ff. *de contr. empt.* l. 59. ff. *de act. empt. et vend.* V.° inf. l. 99. (8)

12. Quoties in obligationibus dies non ponitur (d), praesenti die pecunia debetur: nisi si locus adjectus spatium temporis inducat, quo illo possit perveniri. l. 41. §. 1. l. 73.

13. Si quis *arbitratu* (puta) *Lucii Titii restitui sibi* stipulatus est, deinde ipse stipulator moram fecerit, quominus arbitretur Titius; promissor, quasi moram fecerit, non tenetur. Quid ergo si ipse qui arbitrari debuit, moram fecerit (e)? magis probandum est a persona non esse recedendum ejus cujus arbitrium incertum est. Et ideo, si omnino non arbitretur, nihil valet stipulatio: ideo ut et si poena adjecta sit, ne ipsa quidem committatur. l. 43. et 44. (9)

(c) Lex 11. *de obligationibus et actionibus.*

(7) » Niuno in generale può obbligarsi o stipulare nel suo proprio nome, fuorchè per se medesimo » (*Leggi civ. art.* 1073)

(8) » Nel dubbio la convenzione s' interpetra contra colui che ha stipulato, ed a favore di quello che ha contratto l'obbligazione » (*Leggi civ. art.* 1115)

(d) Lex 14. *de re judicata.* V. l. 105. *de solutionibus.* l. 21. *de pecunia constituta.* §. 1. Neque enim magnum damnum est in mora modici temporis. Nec quis cum sacco venire debet, sed decem dies sunt indulgendi.

(e) Quia hicce igitur industria personae, non aequitas in genere. l. 76 77 78 79. *pro socio.* l. 24. *locati conducti.*

(9) Concorda. (*Leggi proc. civ. art.* 1088)

14. Si decem *cum petiero*, dari fuero stipulatus, admonitionem magis quandam, quo celerius reddantur, et quasi sine mora, quam conditionem habet stipulatio, et ideo licet decessero prius quam petiero, non videtur defecisse conditio. l. 48.

15. In conventionalibus stipulationibus contractui formam contrahentes dant. Enim vero praetoriae stipulationes legem accipiunt de mente praetoris, qui eas proposuit. Denique praetoris stipulationibus, nihil immutare licet, neque addere, neque detrahere: l. 5. l. 9. *in fin. de stip. praet.*

16. Stipulationes commodissimum est ita componere, ut quaecumque specialiter comprehendi possint, contineantur: doli autem clausula ad ea pertineat, quae in praesentia occurrere non possint, et ad incertos casus pertinent. l. 53. l. 110. (10)

17. Quoties *in diem*, vel *sub conditione oleum* quis stipulatur (*f*), ejus aestimationem eo tempore spectari oportet, quo dies obligationis venit: tunc enim ab eo peti potest. Alioquin (alias) rei captio erit. Idem erit, et *si Capuae certum olei pondo dari* quis stipulatus sit: nam ejus temporis fit aestimatio, cum peti potest. Peti autem potest, quo primum in locum perveniri potuit. l. 59. et 60.

18. Si quis ita stipuletur, *sive navis ex Asia venerit, sive Titius Consul factus fuerit*, utra prius conditio extitisset, stipulatio committetur, et amplius committi non

(10) » Qualunque condizione di una cosa contraria ai buoni costumi o proibita dalla legge, è nulla, e rende nulla la convenzione che ne dipende » (*Leggi civ. art.* 1120)

(f) V. l. 2. *de rebus creditis.*

potest: sed enim cum ex duabus disiunctivis conditionibus altera defecerit, necesse est ut ea quae extiterit stipulationem committat. l. 63.

Iterdum pura stipulatio ex re ipsa dilationem capit. l. 73. Sic qui *Carthagini dari* stipulatur, cum Romae sit, tacite tempus complecti videtur, quo perveniri Cartaginem potest. d. l. 73. V. inf. l. 137. §. 2. l. 41

20. Stichi promissor, post moram offerendo purgat moram (*a*): certe enim doli mali exceptio nocebit ei qui pecuniam oblatam accipere noluit. l. 73. §. ult.

21. Stipulationum quaedam certae sunt, quaedam incertae. *Certum* est quod ex ipsa pronuntiatione apparet (*b*), quid, quale, quantumque sit; ut ecce aurei decem, fundus Tusculanus, homo Stichus, tritici Africi optimi modii centum, vini Campani optimi amphorae centum. Ubi autem non apparet quid, quale, quantumque est in stipulatione, incertam esse stipulationem dicendum est. Ergo si quis *fundum* sine propria appellatione, vel *hominem* generaliter sine proprio nomine, aut *vinum frumentumve* sine qualitate, dari sibi stipulatur; incertum deducit in obligationem. Usque adeo ut si quis ita stipulatus sit, *tritici Africi boni modios centum; vini Campani boni amphoras centum?* incertum videatur stipulari: quia bono melius inveniri potest. Quo fit ut *boni* appellatio non sit certae rei significativa; cum id quod bono melius sit, ipsum quoque bonum sit. At cum *optimum* quisque stipulatur, id stipulari intelligitur, cujus bonitas principalem gra-

(a) L. 17. *de periculo et com.* l. 51. *de actione emptitia*: V. l. 19. C. *de usuris.* l. 102. *de solutionibus.* l. 71. *eod.*
(b) Quid dicatur certum. V. l. 6. *de rebus creditis.*

dum bonitatis habet : quae res efficit, ut ea appellatio certi significativa sit. l. 74. l. 75. d. l. §. 1. et 2.

22. Si stipulatus fuerim illud aut illud, quod ego voluero; haec electio personalis est. l. 76. In haeredes tamen transit obligatio, et ante electionem mortuo stipulatore. d. l. 76. V. n. 40.

23. Ad diem sub poena pecunia promissa(c), et ante diem mortuo promissore, committetur poena, licet non sit haereditas ejus adita. l. 77. l. 82. §. 1.

24. In stipulationibus id tempus spectatur quo contrahimus. l. 78. l. 144. ff. *de regul. jur.* l. 18. eod.

25. Quoties in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, qua de agitur (*d*), in tuto sit. l. 80. (11)

26. Si post moram promissoris homo decesserit, tenetur nihilominus, perinde ac si homo viveret (*e*). l. 82. §. 1. V. s. l. 23. et l. 33.

(c) Contra in l. Æmilius *de minoribus.*

(d) Magis ut actus valeat.

(11) » Nelle convenzioni si dee indagare quale sia stata la comune intenzione delle parti contraenti, anzi che attenersi al senso letterale delle parole. — Quando una clausola è suscettiva di due sensi, si debbe intendere in quello con cui può aver qualche effetto, piuttosto che in quello con cui non ne potrebbe produrre alcuno. — Le parole suscettive di due sensi debbono essere intese nel senso più conveniente alla materia del contratto » (*Leggi civ. art.* 1109, 1110, 1111)

(e) Si stichum stipulatus de alio sentiam, tu de alio, nil actum erit; quod in judiciis Aristo existimavit; sed hic magis est ut is petitus videatur de quo actor sensit : nam stipulatio ex utriusque consensu valet; judicium autem etiam in invitum redditur, et ideo actori potius credendum est, alioquin semper negabit reus se consensisse. l. 83. §. 1. h. t. V. l. 66. *de judiciis.* l. 57. *de obligationibus et actionibus.* l. 15. *de jurisdictione.*

Quoties culpa intervenit, debitoris perpetuatur obligatio (*f*). l. 91. §. 3. (12)

27. Mora rei fidejussori quoque nocet (*a*). l. 88. (13)

28. (*In quaestionibus de bono et aequo*) *plerumque, sub auctoritate juris, scientiae perniciose erratur. l.* 91. §. 3.

29. Quidquid adstringendae obligationis est, id nisi palam verbis exprimitur (*b*), omissum intelligendum est; ac fere secundum promissorem interpretamur: quia stipulatori liberum fuit verba late concipere. l. 99. V. n. 31. (*c*). (14)

30. Conditio in praeteritum non tantum in praesens tempus relata, statim aut peremit obligationem, aut omnino non differt. l. 100.

31. Si ita stipulatus fuero, *post annum aut biennium dabis*, post biennium debentur: quia in stipulationibus

---

(f) * *Lex* 83. §. 5. *habet*: Casum adversamque fortunam hominis liberi expectare neque civile, neque naturale est. l. 34. §. 2. *de contrahenda emptione. Lex* 85. *habet*: In executione obligationis sciendum est quatuor causas esse. Nam interdum est aliquid quod a singulis haeredibus divisum conseqoi possumus. Aliud quod totum peti necesse est, nec divisom praestari potest. Aliud quod pro parte petitur, sed solvi nisi totum non potest. Aliod quod solidum petendum est, licet in solutionem admittat solutionem-

(12) Concorda. (*Leggi civ. art.* 1256, 1257)

(a) Unda usurae currunt adversus fidejussorem ex mora rei, modo fidejussor in omnem causam intercesserit. l. 54. *locati conducti*. Cujac. ad l. 21. §. 1. *de usuris*. l. 2. §. 2. *de administratione rerum ad civitates pertinentium*. l. 10. C. *de fidejussoribus*. V. l. 68. *de fidejussoribus*. l. 10. *rem pupilli vel adolescentis salvam fore*.

(13) Concorda. *Leggi civ. art.* 1883)

(b) Omissum in contractu, habetur pro omisso.

(c) V. supra. l. 38. §. 18. l. 39. *de pactis*. l. 21. *de contrahenda emptione*. et 26. *de rebus creditis*.

(14) Vedi le note 8. ed 11.

id servatur, ut quod minus esset quodque longius (*d*), esse videtur in obligationem deductum. l. 109. (*e*)

32. Si quis stipulatus sit, *Stichum aut Pamphilum utrum ipse vellet*, quem elegerit petet: et is erit solus in obligatione. An autem mutare voluntatem possit et ad alterius petitionem transire, quaerentibus respiciendus erit sermo stipulationis (*f*). l. 112. V. inf. l. 138. §. 1.

33. In insulam deportato rei promittendi, stipulatio ita concepta, *cum morieris dari?* non nisi moriente eo committitur. l. 121. §. 2.

34. Plerumque ea quae praefationibus convenisse concipiuntur, etiam in stipulatione reposita creduntur (*g*). l. 134. §. 1.

35. Plura ad judicis cognitionem remittenda sunt (*h*). l. 135. §. 2. in f.

36. Cum stipulatus sum *Ephesi dari*; inest tempus. Quod autem accipi debeat, quaeritur? Et magis est ut totam eam rem ad judicem, id est, ad virum bonum remittamus, qui aestimet quanto tempore diligens paterfamilias conficere possit quod facturum se promiserit. l. 137. §. 2. (*i*).

(d) V. l. 47. *de obligationibus et actionibus.*

(e) L. 238.

(f) V. l. 20, *de optione legata.*

(g) * *Lex* 134. in fin. princ. *habet*: Inhonestum visum est vinculo paenae matrimonia obstringi sive futura sive jam contracta.

(h) Hobbes *de Cive.* 13. 15.

(i) * *Lex* §. *addit*: Ut qui Ephesi daturum se promiserit, neque duplomate, diebus ac noctibus, et omni tempestante contempta, iter continuare cogatur, neque tam delicate progredi debeat, ut reprehensione dignus sit. Duplomata sunt codicilli qui dantur cursu publico utentibus. l. 27. in fine *ad legem Corn. de falsis.* Duplomate uti, correr la posta. Goth.

Item, qui *insulam fieri* spopondit, non utique conquisitis undique fabris, et plurimis operis adhibitis, festinare debet: nec rursus utroque (*) aut altero contentus esse: sed modus adhibendus est secundum rationem diligentis aedificatoris, et temporum locorumque. l. 137. §. 3.

37. Eum qui *certarum nundinarum diebus dari* stipuletur (k), primo die petere posse, Sabinus ait: Proculus autem et caeteri diversae scholae auctores, quamdiu vel exiguum tempus ex nundinarum spatio superesset; peti posse existimant: sed ego cum Proculo sentio. l. 138. (l)

38. Cum pure stipulatus sum, *illud aut illud dari*, licebit tibi, quoties voles, mutare voluntatem in eo quod praestaturus sis: quia adversa causa est voluntatis expressae, et ejus quae inest. l. 138. §. 1. V. s. l. 112.

39. Omnes stipulationes, etiam si non solemnibus, vel directis, sed quibuscumque verbis consensu contrahentium compositae sunt, vel legibus cognitae suam habeant firmitatem. l. 10. C. *de contr. et comm. stip.*

40. Sancimus omnem stipulationem sive in dando, sive in faciendo, sive mixta ex dando et faciendo inveniatur, et ad haeredes (n), et contra haeredes transmitti, sive specialis haeredum fiat mentio, sive non. Cur enim quod in principalibus personis justum est, non

---

(*) Uno aut altero.
(k) Imo totus novissimus dies arbitrio solventis est. V. l. 70. *de solutionibus.*
(l) V. l. 47. *de obligationibus.* l. 109. h.
(n) Non solum nobis, sed et haeredibus nostris contrahimus.

ad haeredes, et adversus eos transmittatur? l. 13. C. *de contr. et comm. stipul.*

41. Ex eo instrumento nullam vos habere actionem, in quo contra bonos mores de successione futura interposita fuit stipulatio, manifestum est: cum omnia quae contra bonos morest vel in pactum, vel in stipulationem deducuntur, nullius momenti sint. l. 4. C. *de inutil. stipul.* (*b*) (15)

TITULUS II.

De duobus reis constituendis.

SUMMARIA.

1. *Reus alter stipulandi, alter promittendi.*
2. *Simul idem promittentes in solidum singuli debent : simul idem stipulantibus in solidum singulis debetur.*
3. *Secundus promissor priori accedens, licet ex intervallo, non facit novationem : sed fit correus.*
4. *Ab uno correorum in solidum totum peti potest: isque ab altero recipit, quod pro eo solvit.*
5. *Correorum alter pure, sub conditione alter, vel in diem obligari potest.*
6. *Ex omni contractu, imo et ex testamento et stipulatione praetoria correi in solidum fieri possunt.*
7. *Nec stipulatio, nec promissio fit in solidum, nisi id agatur.*
8. *Si correus debendi correo haeres extiterit, duas su-*

(b) Lex ultima C. *de pactis.* l. 29 et 30. *de donationibus.*

(15) » Non si può fare alcuna stipulazione intorno alla successione non ancora aperta » (*Leggi civ. art.* 1084)

stinet obligationes: non reus fidejussori succedens aut fidejussor reo, accedit enim fidejussio obligationi.

9. *Uno reorum stipulandi petente, non recte alteri solvitur.*

10. *Factum correi correo nocet.*

11. *Mors civilis alterius correorum alterius obligationem non minuit.*

12. *Unius stipulatorum, vel unius promissorum facto, obligationis praescriptio interrumpitur.*

13. *Obligatis in solidum conceditur beneficium dividendae obligationis: sic tamen ut si qui non sint solvendo, caeteri teneantur.*

1. Qui stipulatur, reus stipulandi dicitur; qui promittit, reus promittendi habetur. l. 1.

2. Cum duo eandem pecuniam aut promiserint aut stipulati sunt; ipso jure et singuli (*) in solidum debentur, et singuli debent. l. 2. V. infr. l. 11. §. 1. (1)

3. In duobus reis promittendi frustra timetur novatio. Nam licet ante prior responderit, posterior etsi ex intervallo accipiatur; consequens est dicere pristinam obligationem durare, et sequentem accedere; et parvi refert simul spondeant, an separatim promittant: cum

(*) Singulis in solidum debetur.

(1) » L'obbligazione solidale tra più creditori attribuisce a ciascun di essi il diritto di chiere il pagamento dell'intero credito. — L'obbligazione solidale per parte dei debitori è in maniera che ciascheduno possa essere astretto per l'intero » (*Leggi civ. art.* 1150, 1153)

hoc actum inter eos fit ut duo rei constituantur, neque ulla novatio fiet. l. 3.

4. Ubi duo rei facti sunt, potest vel ab uno eorum solidum peti : hoc est enim duorum reorum, ut unusquisque eorum in solidum sit obligatus, possitque ab alterutro peti. l. 3. §. 1.

Creditor prohiberi non potest exigere debitum (c), cum sint duo rei promittendi ejusdem pecuniae, a quo velit. Et ideo, si probaveris te conventum in solidum exolvisse, rector provinciae adjuvare te adversus eum, cum quo communiter mutuam pecuniam accepisti, non cunctabitur (*d*). l. 2. C. eod. V. inf. n. ult. (2)

5. Ex duobus reis promittendi alius in diem vel sub conditione obligari potest : nec enim impedimento erit dies aut conditio quominus ab eo qui pure obligatus est, petatur. l. 7. (3)

6. Eandem rem apud duos pariter deposui (e), utri-

(c) Si quis e coobligatis solverit cum cessione donationum creditoris, potest solidarium recursum exercere contra alios sua parte confusa? etc.

(d) Contra olim, quia proprium quis non alienum negotium gesserat. V. infra *de fidejussoribus*. n. 14. et n. 20. Est hic Tribonianismus, Aoton. Fab. conject. Duperier. l. 3 q. 15.

(2) » Il debitore di una obligazione solidale può rivolgersi contra quello dei debitori che gli piaccia di scegliere, senza che il debitore possa opporgli il beneficio della divisione. — Il condebitore di un debito solidale che lo ha pagato per intero, può ripetere dagli altri la quota e porzione di ciascuno » (*Leggi civ. art.* 1156, 1167)

(3) » L'obbligazione può essere solidale ancorchè uno dei debitori sia obbligato in modo diverso dall'altro al pagamento della medesima cosa : per esempio, se l'uno è obbligato condizionalmente, mentre l'obbligazione dell'altro è pura e semplice ; ovvero se l'uno abbia preso un termine a pagare, che non è accordato all'altro, (*Leggi civ. art.* 1154)

(e) Vide consilium a Demosthene depositario suggestum.

usque fidem in solidum secutus (*f*); vel eandem rem duobus similiter commodavi (*g*): fiunt duo rei promittendi: quia non tantum verbis stipulationis, sed et caeteris contractibus, veluti emptione, venditione, locatione, conductione, deposito, commodato, testamento, ut puta, si pluribus haeredibus institutis testator dixit, *Titius et Maevius Sempronio decem dato*. c. l. 9.

Et stipulationum Praetoriarum duo rei fieri possunt. l. 14.

7. Cum tabulis esset comprehensum, *illum et illum centum aureos stipulatos*, neque adjectum, ita ut duo rei stipulandi essent; virilem partem singuli stipulari videbantur. Et e contrario cum ita cautum inveniretur, *tot aureos recte dari stipulatus est Julius Carpus, spopondimus ego Antonius Achilleus et Cornelius Dius*, partes viriles deberi: quia non fuerat adjectum singulos in solidum spopondisse, ita ut duo rei promittendi fierent (*a*) l. 11. §. 1. 2.

Exprimere debueras tuis precibus utrumve *in partem* an *in solidum* singuli vos obligaveritis, ac duo rei promittendi extiteritis: cum, siquidem ab initio unusquisque pro parte sit obligatus, egredi contractus fidem non possit: si vero in solidum, electio rescripto

---

(f) V. l. 47. *locati conducti*.

(g) * *Lex* 10 *habet*. Si duo rei promittendi socii non sint, non proderit alteri quod stipulator alteri reo pecuniam debet. *Lex* 11. *habet*: Reos promittendi vice mutua fidejussores non inutiliter accipi convenit.

(a) V. contra l. 2. supra, in qua tamen de pecunia agitur. Vix est ut concilientur leges Digestorum circa soliditatem. Locum habet in mandato, deposito, commodato, et quando quis duorum fidem in solidum secutus est. Hic vero exigitur ut expresse adjecta fuerit. Idem in Nov. 99. quam sequimur.

adimi non debeat. l. 3. C. *de duob. reis et prom.* (4)

8. Si reus promittendi altero (*) reo haeres extiterit, duas obligationes eum sustinere dicendum est (b). Nam ubi quidem altera (*) differentia obligationum esse possit, ut in fidejussore et reo principali, constitit alteram ab altera perimi (c): cum vero ejusdem duae potestatis sint, non potest reperiri qua altera potius quam alteram consummari. Ideoque etsi reus stipulandi haeres extiterit, duas species obligationis eum sustinere. l. 13. V. l. 5. in f. *de fidejuss.*

9. Ex duobus reis stipulandi (*d*), si semel unus egerit, alteri promissor offerendo pecuniam, nihil agit. l. 16. (5)

10. Ex duobus reis ejusdem Stichi promittendi factis, alterius factum alteri quoque nocet. l. 18. V. inf. n. 12. (6)

11. Cum duo eandem pecuniam debent, si unus ca-

---

(4) » La solidalità non si presume ma debbe essere stipulata » (*Leggi civ. art.* 1155)

(*) Alteri.

(b) L. 3. §. 2. *de solutionibus.*

(*) Aliqua

(c) Et de nova cavendum est. l. 8. §. 3. *qui satisdare coguntur.*

(d) Primo agenti solvendum est: sed nonne is partiri debet cum altero, si quidem in correis debendi, qui totum solvit, regressum habet. l. 2. C. h. t. V. l. 1. §. 13. *de tutelae rationibus nisi socii sint.*

(5) » Il debitore ha la scelta di pagare o all'uno o all'altro dei creditori solidali, quando non sia stato prevenuto da uno di essi con giudiziale domanda (*Leggi civ. art.* 1151)

(6) » Se la cosa dovuta è perita per colpa o durante la mora di uno o più debitori solidali, gli altri condebitori non vengono discaricati dall'obbligo di pagare il prezzo; ma questi non sono tenuti ai danni ed agl'interessi » (*Leggi civ. art.* 1158)

pitis diminutione exemptus est obligatione, alter non liberatur: multum enim interest, utrum res ipsa solvatur, an persona liberetur. Cum persona liberatur, manente obligatione, alter durat obligatus: et ideo si aqua et igni interdictum est alicui, fidejussor postea ab eo datus tenetur. l. ult.

12. Si reus stipulandi, vel plurium stipulandi correorum unus, promissorem, vel plurium promissorum unum interpellaverit, aut si promissor, vel unus promissorum sponte agnoverit debitum uni stipulatorum, tota obligatio omnibus stipulatoribus adversus omnes promissores integra perpetuatur (*e*). l. ult. C. *de duob. reis stip. et prom.* (*f*). (7)

(e) V. l. 48. *de fidejussoribus*, et l. 47. *eod.* Id verum est inter correos dumtaxat, id est, qui se invicem et mutuo obligaverunt principaliter: secus inter eos qui in solidum quidem obligati sunt; veluti tutores, derelinquentes, etc. sed quid si reciprocam non subierunt obligationem, neque inter realiter tantum obligatos? Quid inter realiter obligatos in solidum, si alter totum solvat? Regressum habet adversus alterum. Verum regressus iste exerceri debet intra triginta annos (a die obligationis) sicut et ipsa actio principalis moveri debet intra triginta annos, adeo ut per eosdem triginta annos et actio principalis et actio regressus nomine extinguitur; ne solutio ab uno facta alteri noceat postquam hic per praescriptionem liberatus est: nam praescriptio pro solutione est. Regulariter et jure antiquo, qui totum solvit, regressum non habet, quia suum negotium gessit; datur dumtaxat iste regressus benignitatis nomine. Verum ista benignitas verti non debet in praejudicium alterius, ita ut postquam liberatus est ab actione principali, teneatur adhuc regressus nomine, licet a compossessores pulsatus inquietudine litis non fuerit. V. Molin. *de usuris*. q. 89 n. 671. et seqq.

(f) V. Lonet. l. P. n. 2.

(7) Qualunque atto che interrompe la prescrizione relativamente ad uno de' creditori solidali, giova egualmente agli altri creditori.— Le domande giudiziali contro uno dei debitori solidali interrompono la prescrizione per tutti » (*Leggi civ. art.* 1152, 1159)

13. Si duo vel plures in solidum promiserint (a), non in solidum tamen singuli, pro sua quisque parte convenientur. Verum quod a quibusdam exigi non potuerit, caeterorum onus erit. Nov. 99. (8)

TITULUS III. *De stipulatione servorum.*

(a) Quid? ex ista Novel. Divisio facta estne inter creditores sicut inter debitores? Respondeo affirmative. Vide Duperier. l. 3 q. 14 et 17.

(8) » Il debitore solidale non può opporre al creditore il beneficio della divisione. — L'obbligazione contratta solidalmente verso il creditore si divide *ipso jure* fra i debitori, ciascun de' quali non è tenuto verso gli altri se non per la propria porzione; — e se uno o più di essi divenissero non solventi, la porzione di costoro sarà per contributo ripartita tra tutti gli altri » (*Leggi civ. art.* 1156, 1166, 1168)

LIBER XLVI.

TITULUS I.

De fidejussoribus et mandatoribus.

SUMMARIA.

1. *Omni obligationi etiam ex deposito, et commodato, et delicto fidejussor accedere potest.*
2. *Non accipitur fidejussor, nisi qui obligari possit et conveniri.*
3. *Qui semel fidejussorem probavit, licet non idoneum, reprobare non potest.*
4. *Futurae obligationis fidejussor accipi potest et praecedentis: et aut pure aut sub conditione, aut ex die.*
5. *Fidejussoris obligatio transit ad ejus haeredem.*
6. *Fidejussor in leviorem causam quam reus, obligari potest, non in duriorem.*
7. *Fidejussoris fidejussor datur.*
8. *Fidejussori solventi debet creditor praestare actionem adversus reum.*
9. *Fidejussor, non nisi discussis rei facultatibus convenitur.*
10. *Invito reo ejus exceptionibus utitur fidejussor.*
11. *Non alii obligatur fidejussor, quam cui reus.*
12. *Naturalis obligatio ea est ex qua debitum non exigitur, sed solutum non repetitur.*
13. *Conditionis fidejussoriae eventus non antevertit ejus obligationem, si pendeat rei obligatio.*

14. *Uni fidejussorum solvendi solidum, creditor actiones cedere compelletur.*

15. *Si fidejussorem acceperit haeres restituturus haereditatem, manebit in suo statu fidejussoris obligatio.*

16. *Dividitur obligatio inter fidejussores qui solvendo sunt.*

17. *Beneficia fidejussorum eorum haeredibus competunt.*

18. *Pro ignorante fidejubere quis potest.*

19. *Fidejussor solvens ante diem non aget nisi post diem.*

20. *Fidejussor solvens a confidejussore non repetit nisi ei cedat creditor actionem.*

21. *Si eo qui minor fuit cessante, curator desinerit esse solvendo, non temere dabitur actio in fidejussorem, in id acceptum, quod a fidejussore servari non possit.*

Non potest fidejussor creditorem cogere, ut in reum agat.

22. *Qui obligationi a lege prohibitae fidejussor accessit, liberatur.*

23. *Si alter fidejussorum obligari non potuit, totam obligationem subibit alter.*

24. *Conveniri potest fidejussor omisso vignore; et si ad tertium pignus pervenerit, prius conveniri debet fidejussor, quam pignoris possessor.*

25. *Non succurritur usu jure communi.*

26. *Facto rei obligatio et proinde fidejussio perpetuatur.*

27. *Fidjeussio perseverat, si supersit debitum naturale, (sed novatione perimitur).*

Ideoque minoris fidejussor, eo restituto, non liberatur.

28. *Fidejussor ejus qui administratione reipublicae fungitur, ad paenam vel mulctam non obligatur.*

29. *Fidejussor accipi potest in paenam maleficii.*

30. *Contra unum reum, vel unum fidejussorem agens, actionem non amittit contra caeteros.*

1. Omni obligationi fidejussor accedere potest. l. 1. Et commodati, et depositi fidejussor accipi potest, et tenetur. l. 2.

Et generaliter omnium obligationum fidejussorem accipi posse, nemini dubium est (*b*). l. 8. §. 6.

Sed et si ex delicto oriatur actio, magis putamus teneri fidejussorem. l. 8. §. 5. V. l. 70. §. ult.

2. Qui *satisdare* promisit, ita demum implesse stipulationem satisdationi videtur, si eum dederit accessionis loco, qui obligari potest, et conveniri (*c*). l. 5. (1)

3. Plane si non idoneum fidejussorem dederit, magis est ut satisfactum sit; quia qui admisit eum fidejubentem, idoneum esse comprobavit (*d*). l. 3. in f. (2)

4. Potest accipi fidejussor ejus actionis quam habiturus sum adversus eum pro quo fidejussi, vel mandati, vel negotiorum gestorum (*e*). l. 4.

(b) Excipe casum interdicti. l. 6. *de verborum obligationibus.*

(c) Fidejussor debet renunciare privilegio fori. l. 2. *qui satisdare coguntur.* l. 7 in p. *eod.*

(1) » Il debitore obbligato a dar fidejussione dee prestar persona capace di contrattare. — Se si tratta di una sicurtà giudiziaria il mallevadore dee in oltre esser tale da potersi personalmente arrestare » (*Leggi civ. art.* 1890, 1912)

(d) L. 10. *qui satisdare coguntur.* l. 3 et 4. Ut in possessionem legatorum.

(2) » Quando il fidejussore accettato dal creditore volontariamente o giudizialmente, sia divenuto insolvibile, se ne dee dare un altro » (*Leggi civ. art.* 1892)

(e) Fidejussor in antecessum obligationis; at fidejussoris bona hypotheeata non erunt nisi a die obligationis contractae a debitore, qui motuum caepit. *V. l.* 3 *l.* 8 *l.* 11. §. 1. *Qui potiores*, et obligatio accessoria non potest subsistere sine principali. *Quid*, potestne

Stipulatus sum a reo, nec accepi fidejussorem; postea volo adjicere fidejussorem; si adjecero, fidejussor obligatur. Et parvi refert, utrum pure fidejussorem obligem, an ex die, an sub conditione. Adhiberi autem fidejussor tam futurae, quam praecedenti obligationi potest; dummodo sit aliqua, vel naturalis futura obligatio. l. 6. d. l. §. 1. et 2.

5. Fidejussor et ipse obligatur, et haeredem obligatum relinquit, cum rei locum obtineat. l. 4. §. 1. (3)

6. Illud commune est in universis qui pro aliis obligantur, quod si fuerint in duriorem causam adhibiti, placuit eos omnino non obligari (f). In leviorem plane causam accipi possunt. Propter quod in minorem summam recte fidejussor accipietur. Item accepto reo pure, ipse ex die vel sub conditione accipi potest. Enim vero si reus sub conditione sit acceptus, fidejussor pure, non obligabitur. l. 8. §. 7. (4)

7. Pro fidejussore fidejussorem accipi, nequaquam dubium est. l. 8. §. ult. (5)

---

opponi a fidejussore non dependere quin teneatur; et quod fidejussoris obligatio sit conditionata, et conditio habet effectum retroactivum? Aliunde petest hypotheca haberi in fidejussoris bona quin hypotheca habeatur in bona debitoris, si cautio per tabellionem est exarata, et quod debitor non obligetur nisi sub privata subscriptione. Consilium hocce melius est, et principali loco est, quod fidejussor, pignus et hypotheca possunt accipi in antecessum futurae obligationis. Vide l. 16 infra. et l. 8. §. 4. h.

(3) » Le obbligazioni de' fidejussori passano ai loro eredi, ad eccezione di quella relativa all' arresto personale » (*Leggi civ. art.* 1889)

(f) Obligantur saltem in veram causam. l. 22. *mandati vel contra*.

(4) » La fidejussione non può eccedere ciò ch' è dovuto dal debitore, nè essere contratta sotto condizioni più gravi. Può prestarsi per una parte soltanto del debito, ed a condizioni meno onerosa » (*Leggi civ. art.* 1885)

(5) » Può ciascuno costituirsi fidejussore non solo del debitor principale, ma anche del suo fidejussore » (*Leggi civ. art.* 1886)

8. Si, mandatu meo, Titio decem credideris (*a*), et mecum mandati egeris, non liberatur Titius; sed ego tibi non aliter condemnari debebo, quam si actiones quas adversus Titius habes, mihi praestiteris. l. 13. (6)

9. Si cum Titio (*debitore*) egeris, ego (*mandator*) non liberabor; sed in id duntaxat tibi obligatus ero quod a Titio servare non potueris. l. 13. in f. l. 68. §. 1. in. f.

Hoc primum fidejussorum beneficium: alia duo vide inf. n. 14. et n. 16.

Prius debitor conveniendus, et quod ab eo creditor non potuerit recipere, secundum hoc ad fidejussorem, aut sponsorem, aut mandatorem veniat, et ab illo quod reliquum est sumat. Nov. 4. c. 1. (7)

10. Si stipulatus esses a me sine causa, et fidejussorem dedissem (*b*), et nollem eum exceptione uti, sed potius solvere, ut mecum mandati judicio ageret; fidejussori, etiam invito me, exceptio dari debet. Interest enim ejus, pecuniam retinere potius, quam solutam stipulari a reo repetere. l. 15.

Ex persona rei, et quidem invito reo, exceptio et caetera rei commoda fidejussori, caeterisque accessionibus competere potest. l. 32. (8)

(a) Beneficium cedendarum actionum. l. 17.

(6) » Il fidejussore che ha pagato il debito, subentra in tutte le ragioni che aveva il creditore contra il debitore » (*Leggi civ. art.* 1901)

(7) » Il fidejussore non è tenuto a pagare il creditore se non in mancanza del debitor principale, il quale dee preventivamente essere escusso sopra i suoi beni » (*Leggi civ. art.* 1893)

(b) V. legem 19. *de exceptionibus.* l. ult. *de pactis.*

(8) » Il fidejussore può opporre contra il creditore tutte le eccezioni che competono al debitore principale, e che sono inerenti al debito » (*Leggi civ. art.* 1908)

11. Fidejussor obligari non potest ei apud quem reus promittendi obligatus non est. l. 16.

12. Naturales obligationes non eo solo aestimantur, si actio aliqua eorum nomine competit, verum etiam cum soluta pecunia repeti non potest. Nam licet minus proprie debere dicantur naturales debitores, per abusionem intelligi possunt debitores: et qui ab his pecuniam recipiunt, debitum sibi recepisse. l. 16. §. 4. V. l. *de obl. et act.* n. 26. (9)

13. Stipulatione, in diem concepta, fidejusor si sub conditione acceptus fuerit, jus ejus in pendenti erit: ut si ante diem conditio impleta fuerit, non obligetur: si concurret dies et conditio, vel etiam diem conditio secuta fuerit, obligetur. l. 16. §. 5.

14. Fidejussoribus succurri solet, uti stipulator compellatur ei qui solidum solvere paratus est, vendere caeterorum nomina (c). l. 17. V. l. 39. l. 41. §. 1. l. 13.

Cum is, qui et reum et fidejussores habens, ab uno ex fidejussoribus accepta pecunia, praestet actiones, poterit quidem dici nullas jam esse, cum suum perceperit, et perceptione omnes liberati sunt. Sed non ita est: non enim in solutum accipit, sed quodammodo nomen debitoris vendidit, et ideo habet actiones, quia tenetur ad id ipsum ut praestet actiones. l. 36. l. 76. *de solutionibus.* l. 28. *mandati vel contra.*

Cum alter ex fidejussoribus in solidum debito satis-

---

(9) » La ripetizione non si ammette riguardo alle obbligazioni naturali che si sieno volontariamente adempiute » (*Leggi civ. art.* 1188)

(c) Quid possuntne actiones cedi ex intervallo propter legem 76. *de solutionibus*? V. l. 57. *de legatis* 1.

faciat, actio ei adversus eum qui una fide jussit non competit (d). Potuisti sane, cum fisco solveres, desiderare ut jus pignoris quod fiscus habuit in te transferretur, et si hoc ita factum est, cessis actionibus uti poteris, quod et in privatis debitis observandum est. l. 11. C. *de fidejuss.* (10)

15. Haeres a debitore haereditario fidejussorem accepit, deinde haereditatem ex Trebelliano restituit: fidejussoris obligationem in suo statu manere ait. Idemque in hac causa servandum, quod servaretur cum haeres contra quem emancipatus filius bonorum possessionem accepit, fidejussorem accepit. Ideoque in utraque specie transeunt actiones (a). l. 21.

16. Inter fidejussores non ipso jure dividitur obligatio *ex epistola Divi Hadriani*: et ideo si quis eorum, ante exactam a se partem, sive haerede decesserit, vel ad inopiam pervenerit, pars ejus ad caeterorum onus respicit (b). l. 26.

Ut autem is qui cum altero fidejussit, non solus con-

(d) Quia fidejussor suum proprium non alienum negotium gessit. Idem olim in correis; secus hodie. l. 2. C. *de duobus reis*. V. n. 4. 5. *de duobus reis*, et infra l. 39.

(10) » Quando più persone abbiano fatto sicurtà per uno stesso debitore e per un medesimo debito, il fidejussore che avrà pagato il debito, ha il regresso contra gli altri mallevadori per la loro rispettiva porzione » (*Leggi civ. art* 1905)

(a) L. 25. ait: si quis pro pupillo sine tutoris auctoritate obligato, prodigove, vel furioso fidejusserit; magis esse ut ei non subveniatur: quoniam his mandati actio non competit. V. contra, l. 6. *de verborum obligationibus*. Gotofredus legit: Quamvis ei mandati actio non competit. V. l. 46. h.

(b) Nonne distinguendum est inter eos qui simul uno actu fidejusserunt, et eos quorum alter post alterum fidejussit? tunc enim primus accessit alienae obligationi integrae et solus. Secundus autem potuit ignorare primum fidejussisse.

veniatur, sed dividatur actio inter eos qui solvendo sunt, ante condemnationem ex ordine postulari solet. l. 10. §. 1. C. *de fidejuss.* V. §. 4. Inst. *eod.* (11)

17. Sicut ipsi fidejussori, ita haeredibus quoque eorum succurrendum. l. 27. §. 3.

18. Fidejubere pro alio potest quisque, etiam si promissor ignoret. l. 30. (12)

19. Si fidejussor, vel quis alius pro reo ante diem creditori solverit, expectare debebit diem quo eum solvere oportuit. l. 31.

20. Ut fidejussor adversus confidejussorem suum agat, danda actio non est. Ideoque si ex duobus fidejussoribus ejusdem quantitatis, cum alter electus a creditore totum ei exsolvet (*c*), nec ei cessae sint actiones; alter nec a creditore, nec a confidejussore convenietur. l. 39.

21. Si fidejussores *in id accepti sunt, quod a curatore servari non possit*, et post impletam legitimam aetatem, tam ab ipso curatore, quam ab haeredibus ejus in solidum servari potuit (*d*); et cessante eo qui pupillus fuit (*e*), solvendo esse desierit, non temere (*f*) utilem in fidejussores actionem competere. l. 41.

(11) » Quando nel tempo in cui uno de' fidejussori abbia ottenuto la divisione, ve ne siano alcuni non solventi, questo fidejussore è tenuto in proporzione per tale insolvibilità: ma non può essere più molestato per causa della insolvibilità sopravvenuta dopo la divisione » (*Leggi civ. art.* 1898)

(12) » Può ciascuno rendersi fidejussore, senza ordine ed anche senza saputa di colui pel quale si obbliga » (*Leggi civ. art.* 1886)

(c) V. supra n. 14. in fine.

(d) Parentes pupilli vel judex fidejussorem pro pupillo acceperunt ab ejus curatore, sed subsidiarium dumtaxat, id est, in id quod a curatore servari non posset.

(e) Conciliat has duas leges distinguendo fidejussorem subsidiarium, et fidejussorem purum et simplicem.

(f) Facile.

Si fidejussor creditori denunciaverit, ut debitorem ad solvendam pecuniam compelleret, vel pignus distraheret, isque cessaverit; an possit eum fidejussor doli mali exceptione summovere? respondit, non posse. l. 62. (13)

22. Cum lex venditionibus occurrere voluerit (g) fidejussor quoque liberatur (h): eo magis quod per ejusmodi actionem ad reum pervenitur (i). l. 46. (14)

23. Si Titius et Seja pro Maevio fidejusserint, subducta muliere dabimus in solidum adversus Titium actionem: cum scire potuerit aut ignorare non debuerit, mulierem frustra intercedere (k). l. 48. V. ult. *de duobus geis.*

---

(13) » Il fidejussore giudiziario non può domandare la escussione del debitor principale » (*Leggi civ. art.* 1914)

(g) V. l. 25. h.

(h) E. G. Si vidua iterum nubens douat bona parta ex priori communione eum cautione. Gotofr. ait: Puta de donationibus inter conjuges quae vetitae sunt.

(i) Quid de Fidejussore mulieris conjugatae quae inscio conjuge se obligat? Id locum habet in fidejussore minoris. Vide n. 27.

(14) » La fidejussione non può sussistere se non è valida l'obbligazione: . . . . non già quando possa essere annullata in forza di una eccezione meramente personale all' obbligato, siccome è il caso della minore età » (*Leggi civ. art.* 1884)

(k) *Lex 47. habet*: Si debitori deportatio irrogata est, non posse pro eo fidejussorem accipi, scribit Jul. quasi obligatio extincta sit. V. Duperier, l. 1 q. 6. Ratio quia condemnatus intelligitur mortuus civiliter et haereditatem habet, unde sicut bonis exuitur, ita et omni aere alieno liberatur. V. l 6. *de verborum obligationibus.* * *Lex 47. habet*: Si debitori deportatio irrogata est non posse pro eo fidejussorem accipi scribit Julianus, quasi tota obligatio contra eum extincta sit. Duperier. l. 1 q. 6. hoc limitat ad obligationem contractam ante deportationem, quia deportatus exuitur bonis, et successorem accipit: secus si post condemnationem mortuum acceperit et fidejussorem dederit, quia remanet capax juris naturalis et gentium. Obligatur saltem naturaliter, et obligatio naturalis sufficit ad fidejussionem. l. 16 §. 3. *de fidejussoribus.* Quid de minore si restituatur adversus fidejussorem? Vide §. 1 cujus distinctioni non plaudo.

24. Creditor pignus distrahere non cogitur, si fidejussorem simpliciter acceptum, omisso pignore, velit convenire. l. 51. §. 3.

Sed neque ad res debitorum quae ab aliis detinentur veniat prius, antequam transeat viam super personalibus contra mandatores, et fidejussores, et sponsores. Nov. 4. C. 2.

25. Non deceptus videtur jure communi usus. l. 51. §. 4. ult. c. *de in integrum restitutionibus.*

26. Cum facto suo reus principalis obligationem perpetuat (*a*), etiam fidejussoris durat obligatio: veluti si moram fecit in Sticho solvendo (*b*), et is decessit. l. 58. §. 1.

27. Ubicumque reus ita liberatur a creditore, ut natura debitum maneat; teneri fidejussorem respondit (*c*). Cum vero genere novationis transeat obligatio, fidejussorem aut jure, aut exceptione liberandum. l. 60.

Minoris fidejussor, eo restituto, non liberatur; nisi intervenerit dolus creditoris. l. 1. et 2. C. *de fidejuss. min.* (*d*).

28. Fidejussores magistratuum in poenam, vel mul-

(a) Debitor potest peremptione tutari in praejudicium fidejussoris. *Quid*, si illa importat praescriptionem? V. l. 3 §. 1. Quae in fraudem creditorum, sed dumtaxat debitor hic jure suo non usus est, sed fidejussor potest adesse liti ne col. ludatur. Authent. Nunc. C. *de litig.*

(b) Reus potest perpetuare obligationem mora sua: Quid potestne augere usuras ex mora? V. l. 88. *de verborum obligationibus.*

(c) Quid post praescriptionem debitori acquisitam? Fidejussor liberatur. Si debitor perperam a judice absolutus sit, liberatur fidejussor propter auctoritatem judiciorum.

(d) V. l. 10. *rem pupilli salvam* ubi fidejussor tutoris debet usuras. l. 2. §. 2. *de administratione rerum ad civ. pertinent.*

tam quam non spopondissent, non debere conveniri decrevit. l. 68. (*e*)

Fidejussores magistratuum in his quae ad reipublicae administrationem pertinent, teneri; non in his quae ob culpam vel delictum eis poenae nomine irrogentur, tam mihi quam divo Severo patri meo placuit. l. un. C. *de peric. eor. qui pro mag. interv.*

29. Id quod vulgo dictum est (*f*), *maleficiorum fidejussorem accipi non posse*, non sic intelligi debet, ut in poenam furti, is cui furtum factum est, fidejussorem accipere non possit. l. 70. §. ult. V. l. 8. §. 5.

30. Si vel unum e reis, vel unum e fidejussoribus creditor convenerit, non amittit jus agendi contra caeteros. l. 28. C. *de fidejuss. et mand.* (15)

(e) Cautio locationis tenebitur ad damna et interesse incendii. *Secus* de simplici cautione locatorum. Dargentre, l. 54. *locati*. Quid de usuris quae ex mora veniont. V. l. 88. *de verborum obligationibus*. l. 54. *locati*. l. ult. *de magistrat. convenieudis*. l. 17 §. ult. *ad municip.* l. 21 §. 1 cod, l. 10. *rem pupil. sal.*

(f) V. l. 68 §. 1. Quae multum obtinet in praxi ubi fidejussor tenetur de secunda summa, non de prima, si forte debitor solvendo sit in prima summa, non fidejussor, et creditores nullam securitatem in cautione invenerunt.

(15) » Le istanze giudiziali fatte contra uno dei debitori non tolgono al creditore il diritto di farne delle simili contra gli altri » (*Leggi civ. art.* 1157)

TITULUS II.

De novationibus et delegationibus.

SUMMARIA.

1. *Novatio est prioris obligationis in aliam translatio.*
2. *Omnis obligatio in aliam novari potest.*
3. *Non fit novatio nisi hoc agatur ut novetur, et prior obligatio extinguatur.*
4. *Bonis interdictus novare non potest, nisi in melius.*
5. *Non novat qui fidejussorem accipit.*
6. *Legata novari possunt, et in stipulationem deduci.*
7. *Invitum liberat qui ejus obligationem in se novandi transfert.*
8. *Conditio certo extatura puram facit ogligationem.*
9. *Delegatio est mutatio debitoris a reo facta.*
10. *Novatione et delegatione tollitur prior obligationum hypothecis, et omni accessione.*
11. *Delegatus amittit exceptiones quas delegans habuit adversus priorem creditorem.*
12. *Tutor novare potest, si id expediat.*
13. *Procurator omnium bonorum novat, vel cui id mandatum.*
14. *Item et curator.*
15. *Extincta per delegationem obligatione, res prioris debitoris secundus non obligat.*
16. *Alter correorum stipulandi recte petit, recipit, novat.*
17. *Plures obligationes una novantur.*
18. *Invitus non delegatur, sed inviti nomen venditur.*
19. *Qui in debitorem mandavit actiones, exigere potest ante denuntiationem, et rebus integris.*

20. *Delegatione liberatur debitor, quamvis cesset creditor exigere a delegato.*

1. Novatio est prioris debiti in aliam obligationem vel civilem, vel naturalem transfusio atque translatio (*a*): hoc est, cum ex praecedenti causa ita nova constituuntur, ut prior perimatur. Novatio enim a *novo* nomen accepit, et a nova obligatione. l. 1.

2. Illud non interest qualis *processit* obligatio, utrum naturalis, an civilis, an honoraria: et utrum verbis, an re, an consensu; qualiscumque igitur obligatio sit quae praecessit, novari verbis potest; dummodo sequens obligatio, aut civiliter teneat, aut naturaliter: ut puta si pupillus sine tutoris auctoritate promiserit. l. 1. §. 1.

3. Novatio ita demum fit, si hoc agatur, ut novetur obligatio. Caeterum si non hoc agatur (*b*), duae erunt obligationes. l. 2. in f. (*c*)

Novationum nocentia corrigentes volumina, et veteris juris ambiguitates resecantes, sancimus, si quis vel aliam personam adhibuerit, vel mutaverit, vel pignus

---

(a) Nulla novatio in l. 33 §. 3. *de donationibus*. In l. 24. *de mortis causa donationibus*; in l. 17 in fine princ. *de rebus auctoritate judicis possidendis*; l. 11 §. 1. *de pigneratitia actione*; in l. 1 § 10. *de separationibus*; in l. 3. *de duobus reis*, l. 6 hic Cujacius 11 ob. C. 32. ait novatione obligationem mutari, superioris temporis ordinem non mutari. Loyseau, *de haereditatis abdicatione*, l. 6 C. 7 n. 8, ait hanc clausulam, *quin praejudicium hypothecae inferatur*, plerumque esse superfluam in contractibus.

(b) Quare si in stipulatum funeris impensa deducta est, dicendum est locum esse privilegio, si modo quis non objiciendi privilegii causa stipulatus est. l. 17 in fine princ. *de rebus auctoritate judicis*.

(c) V. ibi l. 8 §. 1 hic., l. ult. *qui potiores*, n. 5.

acceperit, vel quantitatem augendam, vel minuendam esse crediderit, vel conditionem, seu tempus addiderit, vel detraxerit, vel cautionem minorem acceperit, vel aliquid fecerit ex quo veteris juris conditores introducebant novationes, nihil penitus prioris cautelae innovari, sed anteriora stare et posteriora incrementum illis accedere (d): nisi ipsi specialiter remiserint quidem priorem obligationem, et hoc expresserint, *quod secundum magis pro anterioribus elegerint*. Et generaliter definimus voluntate solum esse non lege novandum; etsi non verbis exprimatur, ut sine novatione (quod solito vocabulo ἀνεοκαινώτερος Graeci dicunt) causa procedat (e). Hoc enim naturalibus inesse rebus volumus, et non verbis extrinsecus supervenire. l. ult. C. *eod.*

4. Cui bonis interdictum est, novare obligationem suam non potest, nisi meliorem suam conditionem fecerit. l. 3. (1)

5. Si ita fuero stipulatus, *quanto minus a Titio debitorem exegissem, tantum fidejubes?* Non fit novatio; quia non hoc agitur ut novetur. l. 6. (2)

6. Legata vel fideicommissa, si in stipulationem fuerint deducta, et hoc actum ut novetur, fiet novatio. l. 8. §. 1. V. s. l. 2. in fine.

(d) Licet utraque subsistat obligatio, idem tamen non bis datur.

(e) Jure distinguitur. Non fit novatio nisi hoc actum sit. Jure vero Cod. Nisi expressum sit. Actum autem intelligitur tam ex metu debitoris quam creditoris, et apud nos novatio locum habet, nisi hypotheca prioris obligationis expresse retenta fuerit. Vide tamen Louet, l. N. c. 7.

(1) » La novazione non può aver effetto se non tra persone capaci di contrattare » (*Leggi civ. art.* 1226)

(2) » La semplice indicazione fatta dal debitore, di una persona che debba pagare in sua vece, non produce novazione » (*Leggi civ. art.* 1231)

7. Quod ego debeo si alius promittat, liberare me potest, si novationis causa hoc fiat. l. 8. §. ult.

Me is qui quod debeo promittit, etiam si nolim, liberat. d. §. in fin. V. inf. *de solut.* l. 23. (3)

8. Qui sub conditione stipulatur, *quae omnimodo extatura est*, pure videtur stipulari. l. 9. §. 1.

9. *Delegare* est vice sua alium reum dare creditori, vel cui jusserit. l. 11.

10. Novatione legittime facta, liberantur hypothecae (*a*), et pignus: usurae non currunt (*b*). l. 18.

Ex contractu pecuniae creditae, actio inefficax dirigitur, si delegatione personae rite facta, jure novationis vetustior contractus evanuit. l. 2. C. *eod.* (4)

11. Doli exceptio quae poterat deleganti opponi, cessat in persona creditoris, cui quis delegatus est. Idemque est, et in caeteris similibus exceptionibus. l. 19.

(*Qui*) jam excessit aetatem vigintiquinque annorum, quamvis adhuc possit restitui adversus priorem creditorem, (*delegatione exceptionem amittit*). Ideo autem denegantur exceptiones adversus secundum creditorem; quia in privatis contractibus et pactionibus non facile

---

(3) » La novazione che si fa col sostituire un nuovo debitore, può effettuarsi senza il consenso del primo » (*Leggi civ. art.* 1228)

(a) V. l. 11. §. 1. *de pigneratitia actione*, l. 17. in fine princ. *de rebus auctoritate judicis possidendis.* * *Lex 27 habet* : Emptor cum delegante venditore pecuniam ita promittit quidquid ex vendito dare facere oportet novatione secuta usuras neutri post. insecuti temporis debet. *Nota* Venditio fundi parit usuras ipso jure, l. 2 C. *de usuris*, l. 5 C. *de actione emptitia.*

(b) Cujacius ad l. 6. Si certum petatur, *habet* : Pecunia aliunde veniens veluti ex venditione vel ex mandato potest transire in mutuum partium conventione, nec illa tamen novatio impedit usuras.

(4) » I privilegj e le ipoteche dell'antico credito non possono in quello che gli è sostituito » (*Leggi civ. art.* 1232)

scire petitor potest quid inter eum qui delegatus est (*c*) et debitorem actum est; aut etiam si sciat, dissimulare debet, ne curiosus videatur (*d*): et ideo merito denegandum est adversus eum exceptionem ex persona debitoris. d. l. 29.

Si Titius donare mihi volens, delegatus a me creditori meo stipulandi spopondit, non habebit adversus eum illam exceptionem, ut, quatenus facere potest, condemnetur. Nam adversus me tali defensione merito utebatur, quia donatum ab eo petebam; creditor autem debitum persequitur (*e*). l. 33.

12. Tutor (novare) potest, si hoc pupillo expediat (*f*). l. 20. §. 1.

13. Novare possumus aut ipsi, si sui juris sumus, aut per alios, qui voluntate nostra stipulantur. l. 20.

Procurator omnium bonorum (novare potest). d. l. 20. §. 1. in f. V. contra l. 60. ff. *de procuratoribus*.

14. Agnatum furiosi, aut prodigi curatorem, novandi jus habere minime dubitandum est, si hoc furioso vel prodigo expediat. l. ult. §. 1.

15. Paulus respondit, si creditor a Sempronio novandi animo stipulatus esset, ita ut a prima obligatione in universum discenderetur, rursum easdem res a

---

(c) Creditor curiosus esse debet in l. 3 §. 9. *de in rem verso*, l. ult. *de exercitoria*.

(d) Vide l. 33 §. 5 *de donationibus*, l. 41. *de re judicata*.

(e) Secus via simplicis cessionis sine formali delegatione.

(f) V. contra l. 96. *de solutionibus*. Ubi potest tutor delegare, licet non expediat pupillo, modo non malo consilio fecerit. Revera domini loco habetur, l. 2. *de administratione et periculo tutorum*.

posteriore debitore, sine consensu prioris, obligari non posse. l. 30. (5)

16. Si duo rei stipulandi sint (*g*), an alter jus novandi habeat, quaeritur; et quid juris unusquisque sibi adquisierit? Fere autem convenit, et uni recte solvi, et unum judicium petentem totam rem in litem deducere (*h*): item unius acceptilatione perimi utriusque obligationem: ex quibus colligitur (*i*), unumquemque perinde sibi acquisisse ac si solus stipulatus esset: excepto eo, quod etiam facto ejus, cum quo comune jus stipulantis est, amittere debitorem potest. Secundum quae si unus ab aliquo stipuletur, novatione quoque liberare eum ab altero poterit, cum id specialiter agit. l. 31. §. 1. (6)

17. In summa admonendi sumus nihil vetare, una stipulatione plures obligationes novari; veluti si ita stipulemur, *Quod Titium et Sejum mihi dare oportet, id dari spondes?* Licet enim ex diversis causis singuli fuerant obligati, utrique tamen novationis jure liberantur:

---

(5) » Il creditore che ha liberato il debitore da cui fu fatta la delegazione, non ha regresso contro di lui, se il delegato diviene insolvibile; purchè l'atto non ne contenga una espressa riserva » (*Leggi civ. art.* 1230)

(g) L. 27. *de pactis contra.*

(h) L. 13 §. ult. *de acceptilatione*, l. 16 cod.

(i) Si alter e correis credendi praevenit, debitor non potest alteri solvere. Verum qui totum accepit debet partem alteri inferre. Arg. L. 2 C. *de duobus reis.* Ergo ante solutionem totius potest debitor mediam partem alteri non petenti solvere. Item potest hujusce mediae partis compensationem petenti solidum opponere. V. l. 16. *de duobus reis.* Nota semper ipso jure inesse societatem in hac parte.

(6) » Colla novazione fatta tra 'l creditore ed uno dei debitori solidali, i condebitori restano liberati » (*Leggi civ. art.* 1235)

cum utriusque obligatio in unius personam, a quo nunc stipulemur, confluat. l. ult. §. 2.

18. Delegatio debiti, nisi consentiente et stipulanti promittente debitore, jure perfici non posse (a). Nominis autem venditio, et ignorante vel invito eo adversus quem actiones mandantur, contrahi solet. l. 1. C. *de novat. et deleg.*

19. Si delegatio non est interposita debitoris tui, ac propterea actiones apud te remanserunt, quamvis creditori tuo adversus eum solutionis causa mandaveris actiones: tamen antequam lis confluetur, vel aliquid ex debito accipiat, vel debitori tuo denuntiaverit, exigere a debitore tuo debitam quantitatem non vetaris: et eo modo tui creditoris exactionem contra eum inhibere. l. 3. C. *eod.*

20. Si delegatione facta jure novationis tu liberatus es, frustra vereris, ne eo quod quasi a cliente (b) suo non faciat exactionem, ad te periculum redundet: cum per verborum obligationem voluntate novationis interposita, a debito liberatus sis. l. 3. in f. C. *eod.* (7)

(a) Discrimen cessionis et delegationis.

(b) Istud verbum non est appositum. Revera non est jurisconsultorum sed imperatorum.

(7) Vedi la nota 5

TITULUS III.

De solutionibus et liberationibus.

SUMMARIA.

1. *Ex pluribus causis obligatus in quam velit solutum imputat.*
2. *Non eligente debitore in quam causam solvat, eligit creditor, sed in duriorem imputare debet.*
3. *Ordo imputationum in varias causas; ut quaeque durior.*
4. *Prius in usuras, si quae debentur accepto fertur.*
5. *Quod in sortem et usuras solvitur, prius in usuras imputatur, reliquum in sortem.*
6. *Procuratori recte solvitur generali scilicet, vel cui id mandatum sit.*
7. *Qui solvit procuratori, nesciens revocatum, liberatur: aliud si sciens.*
8. *Varia tutorum genera: sunt honorarii, sunt notitiae gratia, sunt qui gerant.*
9. *Uni tutorum recte solvitur.*
10. *Et curatori.*
11. *Creditor qui bona fide consumpsit acceptos a debitore nummos alterius debitoris, pro quo is solvere debuerat, dantem liberat.*
12. *Solutione ignorans et invitus liberatur.*
13. *Gerenti pro tutore solvens non liberatur, nisi in rem pupilli versum sit.*
14. *Interest a quo artifice fiat opus.*
15. *Inutiliter solvitur non procuratori qui pro eo se gerit, nisi dominus ratum habuerit.*

16. *Reo criminis postulato, recte solvitur, et reus ipse recte solvit.*
17. *Soluta obligatione, solvuntur fidejussiones et pignora.*
18. *Liberato per confusionem fidejussore, non liberatur.*
19. *Ex una solutione duae liberationes.*
20. *Evicta re quae pro alia soluta est, manet pristina obligatio: idem erit parte evicta.*
21. *Solvit qui satisfacit, aut quoquomodo se liberat.*
22. *Debiti solutio quae stet, et unde nihil absit creditori, facit liberationem.*
23. *Meo creditori mihi debitum solvens, et me et se liberat.*
24. *Ante diem solvi potest, nam medium tempus ad solvendum datur.*
25. *Inutilis actionum cessio post solutionem.*
26. *Depositum parti haeredum per magistratum tutius redditur.*
27. *Si obligatio principalis principali accedat, stabit utraque: si accessoria principali, confundentur.*
28. *In obligatione alternativa, si res altera perierit, altera debetur.*
29. *Si creditoris culpa debitor liberatus sit, sibi imputabit, non mandatori.*
30. *Si detur idem pignus simul in duas obligationes in utramque imputabitur: si prius in unam, hac soluta, residuum alteri cedet.*
31. *Obligatio in perpetuum extincta non reviviscit.*
32. *Damnum passurus alterius formae nummos accipere non cogitur.*
33. *Si creditor solutionem in aliam diem distulit, sublato interim oblatae pecuniae usu, non tenebitur.*
Nec tutor qui pecuniam pupillarum servare debuerat ut collocarentur.

34. *Quod ex debito compensatur, usuras non parit.*
35. *Obsignatione solemni et suo loco facta, liberatur debitor.*
36. *Plus probat apocha solutionem quam si reddatur instrumentum.*
37. *Aliud pro alio invito non solvitur.*
38. *Alius pro alio solvere potest.*
Non aliud pro alio solvi, nisi volenti.
39. *Et lucrum non tollendum, qui damnum erat passurus.*
40. *Solutionem allegans probare debet.*

1. Quoties quis debitor ex pluribus causis unum debitum solvit, est in arbitrio solventis dicere, quod potius debitum voluerit solutum; et quod dixerit, id erit solutum. Possumus enim certam legem dicere ei quod solvimus. l. 1. (1)

In potestate ejus est qui ex pluribus contractibus pecuniam debet, tempore solutionis exprimere in quam causam reddat. l. 1. C. *eod.*

2. Quoties vero non dicimus id quod solutum sit, in arbitrio est accipientis, cui potius debito acceptum ferat; dummodo in id constituat solutum, in quod ipse, si deberet, esset soluturus, quoque debito se exoneraturus esset, si deberet (c): id est, in id debitum, quod non est in controversia, aut in illud quod pro alio quis fidejusserat, aut cujus dies nondum venerat: ae-

---

(1) » Il debitore che ha più debiti, ha diritto di dichiarare, quando paga, qual debito intenda di soddisfare » (*Leggi civ. art.* 1206)

(c) Idque juxta praeceptum *alteri ne feceris*, etc. tam praeclara humanitatis principia.

quissimum enim visum est, creditorem ita rem agere debitoris, ut suam ageret. Permittitur ergo creditori constituere, in quod velit solutum; dummodo sic constituamus, ut in re sua constitueret: sed constituere in re praesenti, hoc est statim atque solutum est (*d*). Dum in re agenda hoc fiat, ut vel creditori liberum sit non accipere, vel debitori non dare, si alio modo exsolutum quis eorum velit. Caeterum postea non permittitur. Haec res efficiet, ut in duriorem causam (*e*) semper videatur sibi debere accepto ferre: ita enim et in suo constitueret nomine. l. 1. 2. 3.

3. Quod si forte a neutro dictum sit, in his quidem nominibus, quae diem (vel conditionem) habuerunt, id videtur solutum, cujus dies venit: et magis quod meo nomine, quam quod pro alio fidejussorio nomine debeo: et potius quod cum poena, quam quod sine poena debetur: et potius quod satisdato, quam quod sine satisdatione debeo. l. 3. §. 1. et l. 4.

Cum ex pluribus causis debitor pecuniam solvit, utriusque demostratione cessante, potior habebitur causa ejus pecuniae quae sub infamia debetur: mox ejus quae poenam continet (*a*): tertio quae sub hypotheca vel

(d) V. l. 73.

(e) V. l. 10 §. 1 h. t. et l. 35. *de pigneratitia actione*. In dicta l. 101. Creditor qui pignus distrahit, pretium imputat in quamlibet causam. Arg. tit. C. *Etiam ob chirogr. pecun. pig.* Item ad puniendam contumaciam debitoris, et ut indemnis evadat creditor. V. tamen l. 103 quod haeredi applicari potest qui debet ex capite defuncti, et ex suo proprio. Si titulus, qui erat contra defunctum non est declaratos exequutorius contra haeredem, imputare oportebit quod haeres persolvit supra id quod debebat ex proprio capite, *qui nondum compelli poterat*. *Idem* si haeres non erat, nisi ex beneficio, cum titulus fuisset exequutorius.

(a) Sed quod proprio nomine debetur etiam sine hypotheca durius est eo quod debetur nomine fidejossorio cum hypotheca. Quod cum poena vel usuris debetur durius est quam cum fidejussore.

pignore contracta est. Post hunc ordinem potior habebitur propria, quam aliena causa, veluti fidejussoris; quod veteres ideo definierunt, quod verisimile videretur diligentem debitorem admonitum ita negotium suum gesturum fuisse. Si nihil eorum interveniat, vetustior contractus ante solvetur (*b*). Si major. pecunia numerata sit, quam ratio singulorum exposcit, nihilominus, primo contractu soluto, qui potior erit (*c*), superfluum ordini secundo, vel in totum, vel pro parte minuendo videbitur datum. l. 97.

In his quae praesenti die debentur, constat quoties indistincte quid solvitur, in graviorem causam videri solutum: si autem nullam praegravet, id est, si omnia nomina similia fuerint, in antiquiorem (*d*). Gravior videtur, quae et sub satisdatione videtur, quam ea quae pura est. l. 5.

Si quid ex famosa causa et non famosa debeatur, id solutum videtur quod ex famosa causa debetur; proinde si quid ex causa judicati, et non judicati (*e*) de-

(b) Si sint duo vel plures contractus ejusdem temporis, in singulos imputabitur pro rata, l. 96 §. 3. l. 8 *eod.*

(c) Quid potest de solvi et recipi in antecessionem pensionum non persolutarum contractus constitutionis, quia debitor possit consequenter facere ut ea imputentur principali ad minuendum? Posset ne creditor dicere, quod ipsi mens non erat infrusta secandi quod suo principali competebat, et quod debitor non poterat ejus partem solvere? *Lex* 2 §. 6. De doli exceptione, *habet*: Accipiendo usuras in futurum distulisse videtur petitionem in id tampus quod est post diem usurarum praestitarum, et tacite convenisse interim se non petiturum. Distinguendum inter id quod exigitur, et quod sponte persolvitur.

(d) Contra debitoris interest nova debita extinguere, nam facilius pecuniam praestare poterit ad antiqua extinguenda subrogationem dando; at haec est nimia subtilitas.

(e)* *Lex* 6 *habet*: Nec ordo scripturae spectatur, sed potius

betur, id putem solutum quod ex causa judicati (*f*) debetur (*g*). l. 7. (2)

4. Quod generaliter constitutum est (*h*), *prius in usuras nummum solutum accepto ferendum*, ad eas usuras videtur pertinere, quas debitor exsolvere cogitur (*i*). l. 5. §. 2. in f. (*k*).

Si forte usurarum rationem arbiter dotis recuperandae habere debuerit (*l*), ita est computandum, ut prout quidque ad mulierem pervenit, non ex universa summa decedat, sed prius in eam quantitatem quam usurarum nomine mulierem consequi oportebat; quod non est iniquum. l. 48. (3)

---

ex jure sumitur quod agi videtur. Idem in l. 77 §. 12. *de legatis* 2. Causa judicati durior erat. 1. Quia inficiatio rei judicatae crescebat in duplum. Cujacius, ad l. 36. *familiae erciscundae*. 2. Propter usuras rei judicatae quae sunt centesimae, l. ult. C. *de usuris rei judicatae*.

(f) Paris, art. 111.

(g) L. 24 hic loquitur de fidejussore duorum debitorum qui solvit aliquid, solutio imputatur in antiquius debitum.

(2) » Quando la quitanza non esprima veruna imputazione, il pagamento si dee imputare nel debito che a quell'epoca il debitore avea maggior interesse di estinguere fra quelli che fossero egualmente maturi: altrimenti s'imputerà nel debito scaduto, quantunque meno oneroso di quelli non per anco scaduti — Se i debiti sieno di egual natura, l'imputazione si fa sopra il più antico: in parità di cose si fa *pro rata*. (*Leggi civ. art.* 1209)

(h) L. 35. *de pigneratitia actione*.

(i) V. l. 5 §. 21. *ut in possessionem legatorum*.

(k) V. l. 103.

(l) Prima imputatio est pro debitore *in graviorem*: seconda pro creditore *in usuras*. §. ultimus legis 5 habet: Si quis ita caverit debitori in sortem et usuras se accipere non sorti et usuris pro rata decedere, sed prius in usuras, tunc deinde si quid superfuerit in sortem cedat. *Lex 6 habet*: Nec enim ordo scripturae spectatur, sed potius ex jure sumitur id quod agi videtur. Gotofr. ait 1. Volumus contrahentium expressa. 2 Juris dispositio. 3. Ordo scripturae inspicitur et sic voluntas tacita.

(3) » Il debitore di un debito che produce frutti o interessi, non può senza il consenso del creditore imputar nel capitale, in preferenza de' frutti e degl'interessi, ciò ch'egli paga » (*Leggi civ. art.* 1207)

5. Apud Marcellum quaeritur, si quis ita caverit debitori, *in sortem et usuras se accipere*, utrum pro rata et sorti, et usuris decedat, an vero prius in usuras, et si quid superest, in sorte? Sed ego non dubito quin haec cautio, *in sorte et in usuras*, prius usuras admittat; tunc deinde, si quid superfuerit, in sortem cedat (a). l. 5. §. ult. (4)

6. Vero procuratori recte solvitur. *Verum* autem accipere debemus eum, cui mandatum est, vel specialiter, vel cui omnium negotiorum administratio mandata est (b). l. 12. (c) (5)

7. Sed et si quis mandaverit, ut Titio solvam, deinde vetuerit eum accipere, si ignorans prohibitum eum accipere, solvam, liberabor; sed si sciero, non liberabor (d). l. 12. §. 2. V. n. 17.

Si Titium omnibus negotiis meis praeposuero, deinde vetuero eum, ignorantibus debitoribus, admistrare

(a) Distinguitur nunc, cum usurae sunt ita antiquae uti sors.

(4) » Il pagamento fatto in conto del capitale e degl' interessi, se non è integrale, s' imputa prima negl' interessi » (*Leggi civ. art.* 1207)

(b) Cum debitor *ex pluribus causis* debet, imputatio fit in ejus favorem. Cum debet *ex eadem causa*, at sortem et usuras, ea fit in favorem creditoris *prius in usuras*, modo usurae sint ita antiquae uti sors. Cum usurae debentur ex sententia, dici potest, quod haec sit *diversa causa a sorte principali*, ita ut aliquibus in locis hypotheca usurarum, locum non habeat, nisi a die sententiae: sic in imputando super principalem, id est imputare super causam duriorem, et antiquiorem.

(c) Non autem procuratori ad lites, l. 86 h. V. l. 58 59 *de procuratoribus*.

(5) » Concorda. (*Leggi civ. art.* 1192)

(d) Idem in caeteris contractibus, empti venditi, locati conducti, etc. At qua utendum praecautione ad significandam toti Orbi terrarum revocationem? Sibi enim imputet qui mandatum dedit. Hoc jure utimur ut litis procuratori non recte solvatur, l. 86.

negotia mea, debitores ei solvendo liberabuntur. Nam is qui omnibus negotiis suis aliquem proponit, intelligitur etiam debitoribus mandare, ut procuratori solvant. l. 34. §. 3.

8. Sunt quidam tutores qui *honorarii* appellantur; sunt qui rei *notitiae gratia* dantur; sunt qui ad hoc dantur, ut gerant; et hoc vel pater adjicit ut uns (puta) gerat, et vel voluntate tutorum uni committitur gestus, vel praetor ita decernit. l. 14. §. 1.

9. Sive legitimi sunt (*tutores*), sive testamentarii, sive ex inquisitione dati, recte vel uni solvitur. l. 14. §. 5.

10. Curatori quoque furiosi recte solvitur: item curatori sibi non sufficientis vel per aetatem, vel per aliam justam causam: sed et pupilli curatori recte solvi constat. l. 14. §. 7.

11. Cassius ait: si cui pecuniam dedi, ut eam creditori meo solveret, in suo nomine dederit, neutrum liberari: me, quia non meo nomine data sit; illum, quia alienam dederit. Caeterum mandati eum teneri: sed si creditor eos nummos sine dolo malo consumpsisset, is qui suo nomine eos solvisset, liberatur: ne, si aliter observaretur, creditor in lucro versaretur (e). l. 17. (6)

12. Solutione pro nobis et inviti, et ignorantes liberari possumus. l. 23.

(e) Et creditor de praeda magis quam de damno sollicitus esset, l. 25 in fine. *de administratione et periculo tutorum.*

(6) » Non si può ripetere il pagamento di una somma di danaro, o di altra cosa che si consumi coll' uso, contra il creditore che l' abbia consumata in buona fede, quantunque il pagamento sia stato fatto da chi non era proprietario, o non era capace di alienarla » (*Leggi civ. art.* 1191).

Solvere pro ignorante et invito cuique licet; cum sit jure civili constitutum, licere etiam ignorantis invitique meliorem conditionem facere (*f*). l. 53. V. inf. n. 40.

13. Debitores solvendo ei qui pro tutore negotia gerit, liberantur, si pecunia in rem pupilli pervenit. l. 28.

14. Inter artifices longa differentia est; et ingenii, et naturae, et doctrinae, et institutionis. Ideo si *navem a se fabricandam* quis promiserit, vel *insulam aedificandam fossamve faciendam*, et hoc specialiter actum est, *ut suis operis id perficiat*, fidejussor ipse aedificans vel fossam fodiens, non consentiente stipulatore, non liberabit reum. l. 31. (7)

15. Si nullo mandato intercedente debitor falso existimaverit voluntate mea pecuniam se numerare, non liberabitur. Et ideo procuratori qui se ultro alienis negotiis offert, solvendo nemo liberabitur. l. 34. §. 4.

Si quis offerenti se negotiis alienis bona fide solverit, quando liberetur? Et ait Julianus, cum dominus ratum habuerit, tunc liberari. l. 58. (8)

16. Reo criminis postulato, interim nihil prohibet recte pecuniam a debitoribus solvi: alioquin plerique innocentium nacessario sumptu egebunt (*a*). Sed nec illud prohibitum videtur, ne a reo creditori solvatur (*b*). l. 41. et 42.

(f) V. C. l. 69. *de re judicata.*

(7) » L'obbligazione di fare non può adempirsi da un terzo contra la volontà del creditore, ove questi abbia interesse che venga adempiuta dal debitore medesimo » (*Leggi civ. art.* 1190)

(8) » Il pagamento fatto a colui che non abbia facoltà di riceverlo pel creditore, divien valido, quando costui lo ratifichi o ne abbia profittato » (*Leggi civ. art.* 1192)

(a) V. l. *de donationibus*, l. 46 §. 6. *de jure fisci*, l. 20. *de accusat.* l. 15 *qui et a quibus maj.* contrarium dicit in crimine Majest.

(b) Sed curandum ne reo qui profugit aliquid a debitoribus ejus solvatur, ne per hoc fuga ejus instruatur, l. ult. *de requirendis reis.*

17. In omnibus speciebus liberationum etiam accessiones liberantur: puta adpromissores, hypothecae, pignora. l. 43.

18. Inter creditorem et adpromissores confusione facta reus non liberatur. l. 43. in fine. (9)

19. In numerationibus aliquando evenit, ut una numeratione duae obligationes tollantur uno momento. Veluti si quis pignus pro debito vendiderit creditori. Evenit enim, ut et ex vendito tollatur obligatio et debiti. Item si pupillo, qui sine tutoris auctoritate mutuam pecuniam accepit, legatum a creditore fuerit sub ea conditione, *si eam pecuniam numeravit*, in duas causas videri eum numerasse, et in debitum suum ut in falcidiam haeredi imputetur; et conditionis gratia, ut legatum consequatur. l. 44. V. inf. l. 64.

20. Si quis aliam rem pro alia volenti solverit, et evicta fuerit (res), manet pristina obligatio; et si pro parte fuerit evicta, tamen pro solido durat obligatio (c): nam non accepisset re integra creditor, nisi pro solido ejus fieret. l. 46.

21. Satisfactio pro solutione est. l. 52.

Solutionis verbum pertinet ad omnem liberationem quoquomodo factam: magisque ad substantiam obligationis refertur, quam ad nummorum solutionem. l. 54.

22. In perpetuum quoties id quod tibi debeam, ad te pervenit, et tibi nihil absit, nec quod solutum est repeti possit, competit liberatio. l. 61.

---

(9) » La confusione che succede in persona del fidejussore, non estingue l'obbligazion principale » (*Leggi civ. art.* 1255)

(c) Item non puto hic fidejussorem liberari quando solutum non durat solutum. V. l. fin. l. 47 §. 1. *de regulis juris.*

23. Cum jussu meo, id quod mihi debes, solvis creditori meo; et tu a me, et ego a creditore meo liberor. l. 64.

24. Quod certa die promissum est, vel statim dari potest (d): totum enim medium tempus ad solvendum promissori liberum relinqui intelligitur. l. 70. (e)

25. Modestinus respondit: si post solutum sine ullo pacto omne quod ex causa tutelae debeatur, actiones post aliquod intervallum cessae sint, nihil ea cessione actum, cum nulla actio superfuerit (f): quod si ante solutionem hoc factum est, vel cum convenisset, *ut mandarentur actiones* (g), tunc solutio facta esset, man-

---

(d) Quid si immineat monetae imminutio. Puto non posse solvi ante diem locationis: alioquin captaretur jus civile tanquam ex aucupio syllabarum contra mentem legis.

(e) V. l. 138. *de verborum obligationibus*, l. 50. *de obligationibus et actionibus.*

(f) Couet, *de hypothecis*, P. III. p. 196 *distinguit aeque ac Louet.* V. l. 5 *de legatis* 1. L. 25 *de administratione et periculo tutorum.* L. 23 *de peculio legato.*

(g) Vide Louet loco citato, num. 38 qui distinguit si is qui solvit potest ad id cogi, ipse accipere potest cessionem juris ex intervallo: secus contra glos. V. l. 1 et 3 C. *de his qui in priorum creditorem locum succedunt.* L. 25 *de administratione, et periculo tutorum.* L. 1 C. *de contrario judicio tutelae.* L. 25 ff. *de administratione et periculo tutorum: le Pretre, centur.* 1 c. 99 *distinguit* inter debitorem et extraneum. Lex 95 §. 10 h. t. habet: Si mandatu meo Titio pecuniam credidisset, mandatore damnato, quamquam pecunia soluta sit, non liberari debitorem ratio suadet, sed et praestare debet creditor actiones mandatori adversus debitorem, ut ei satisfiat. Lex 28. *mandati* idem dicit. Molinaeus *de usuris* 176. *Dumoulin* ad L. Modestinus, qui est prima doli lectio, contendit, quod qui creditori principaliter, vel realiter obligatus solvit cum cogi posset ipso jure actiones ejus cessas habere intelligitur, licet de hoc in solutione nulla mentio facta sit. Vid. *le Pretre et Gueret, cent.* 1 *c.* 69. *Maynard* contra in L. 5 *de censibus.* Fiscus mandat actiones suas ex intervallo, et post solutionem acceptam quia novum venditorum pretio acceptum videtur.

darum subsecutum est, salvas esse mandatas actiones. Cum novissimo quoque casu (*a*), pretium magis mandatarum actionum solutum, quam actio quae fuit, perempta videatur. l. 76. (*b*).

26. Si lancem apud me deposuerit Titius, et pluribus haeredibus relictis decesserit (*c*); si pars haeredum me interpellet, optimum quidem esse, si praetor aditus jussisset me parti haeredum eam lancem tradere: quo casu depositi me reliquis cohaeredibus non teneri. Sed et si sine praetore sine dolo malo hoc fecero, liberabor (*d*): aut, quod verius est, non incidam in obligationem: optimum autem est id per magistratum facere. l. 81. §. 1.

27. Quasi generale quid retinendum est (*e*), ut ubi ei obligationi quae sequelae locum obtinet, principalis accedit, confusa sit obligatio (*f*); quoties duae sint principales, altera alteri potius adjicitur ad actionem, quam confusionem parere. l. 93. §. 2.

28. *Stichum aut Pamphilum, utrum ego velim, dare spondes?* Altero mortuo, qui vivit solus petetur: nisi (si) mora facta sit in eo mortuo quem petitor elegit:

(a) Lex 28 *mandati*, ait quod mandator solvens reum ipso jure non liberat quia supersunt actiones quas creditor potest ex intervallo cedere saltem mandatori non extraneo.

(b) L. *de fidejussoribus*.

(c) Vide optimum consilium e Demosthene depositario traditum, qui ab eo qui depositum crediderat deceptus fuit. L. ult. C. *depositi*.

(d) Solvere ex judicis auctoritate.

(e) L. 13 *de duobus reis* ubi dixi de novo cavendum esse, l. 8 §. 3. *qui satisdare coguntur*.

(f) Remanet etiam beneficium separationis bonorum, l. 3 §. 1 *de separationibus*.

tunc enim perinde solus ille qui decessit, praebetur (*g*), ac si solus in obligationem deductus fuisset. l. 95.

29. Si creditor a debitore culpa sua causa ceciderit, prope est ut actione mandati nihil a mandatore consequi debeat; cum ipsius vitio acciderit, ne mandatori possit actionibus cedere. l. 95. §. 11. (*h*)

30. Cum eodem tempore pignora duobus contractibus obligantur, pretium eorum pro modo pecuniae cujusque contractus creditor accepto facere debet: nec in arbitrio ejus electio erit, cum debitor pretium pignoris consortioni subjecerit. Quod si temporibus discretis superfluum pignorum obligari placuit, prius debitum pretio pignorum jure solvetur, secundum superfluo compensabitur. l. 96. §. 3. (*i*). V. n. 3.

31. In perpetuum sublata obligatio restitui non potest. l. 98. §. 8. l. ult. *de pact.*

32. Debitorem (*a*)(*) non esse cogendum in aliam

(g) Saltem aestimatio.

(h) V. l. 67 *de fidejussoribus*. Ubi ultima verba expungenda sunt. Cujacius 6 ad Afr.

(i) V. L. 36 in princ. quae ait: pupillo debitor tutore delegante creditori tutoris solvit, liberatur si non malo consilio factum est. V. l. 20 §. 1 *de novationibus*. Ratio, quia tutor poterat ipse recipere debitum: secus autem si debitor nondum solvit: nam pupillus aut ejus curator poterit impedire solutionem. V. l. 23 *de compensationibus*. Duperier 315.

(a) L. 101 §. 1 ait: Paulus respondit aliam causam esse debitoris solventis, aliam creditoris pignus distrahentis, nam cum debitor solvit pecuniam in potestate ejus esse commemorare in quam causam solveret; cum autem creditor pignus distraheret, licere ei pretium in acceptum referre etiam in eam quantitatem quae natura tantum debebatur, et ideo deducto eo tantum debitum peti posse. l. 5 §. 2 hic; l. 35 *de pigneratitia actione*, l. 103 ait: Cum ex pluribus causis debitor pecuniam solvit, Julianus putat eum ex has causa videri solvisse ex qua tunc compelli poterat.

(*) Creditorem.

formam nummos accipere, si ex ea re dammum aliquod passurus sit. l. 99.

33. Creditor oblatam a debitore pecuniam (*b*), ut alia die accepturus, distulit; mox pecunia, qua illa respublica utebatur, quasi aerosa jussu praesidis sublata est: item pupillaris pecunia, ut possit idoneis nominibus credi, servata, ita interempta est: *quaesitum est* (*c*), cujus detrimentum esset? Respondi, secundum ea quae proponerentur, nec creditoris, nec tutoris detrimentum esse (*d*). l. 102.

34. Ejus quantitatis cujus petitionem ratio compensationis excludit, usuras non posse reposci manifestum est. l. 7. Cod. *de solut. et lib.* (*e*).

35. Obsignatione totius debitae pecuniae solemniter facta, liberationem contingere manifestum est. Sed ita demum oblatio debiti liberationem parit, si eo loco quo debetur solutio fuerit celebrata. l. 9. C. *eod.* (10)

36. Pecunia solutae (*f*) professio collata instrumento majorem rei gestae probationem continet, quam si chirographum acceptae pecuniae mutuae fuisset redditum. l. 14. C. *eod.*

(b) Cambol. 2 24.

(c) V. L. ult. hic et Cujacium 1 Obs. 38.

(d) Quod dicimus in eo haerede sui fidejussori testatoris id quod ante aditam haereditatem ab eo solutum est, debere statim solvere, cum aliquo scilicet temperamento temporis intelligendum esse, nec cum cum sacco adire debet, l. 105, l. 23 in fine. *de obligationibus et actionibus*, l. 21 §. 1 *de pecunia constituta*, l. 21 *de judiciis.* Quia debitor debebat pecuniam solemniter oblatam obsignare. V. n. 34. l. 19 C. *de usuris*, l. 73 §. ult. *de verborum obligationibus.*

(e) V. l. 11 *de compensationibus*, l. 4 et 5 C. eod.

(10) » L' offerta reale seguita da un deposito libera il debitore: essa tien luogo di pagamento riguardo a lui, quando sia fatta validamente » (*Leggi civ. art.* 1210)

(f) V. l. 1 §. 1 *de pactis.*

37. Eum a quo mutuam sumpsisti pecuniam in solutum nolentem suscipere nomen debitoris tui, compelli juris ratio non permittit. l. 16. C. *eod.*

38. Manifesti juris est tam alio pro debitore solvente, quam rebus pro numerata pecunia, consentiente creditore, datis, tolli paratam obligationem. l. 17. C. *eod.* V. s. l. 23. Nov. 4. c. 3. et s. tit. *de cess. bon.*

39. Cum pro pecunia quam (mutuo) acceperas, secundum dedisse profitearis: ejus industriam, vel eventum meliorem, tibi non ipsi prodesse, contrarium non postulaturus, si minoris distraxisset, non juste petis. l. 24. C. *eod.*

40. Solutionem asseveranti probationis onus incumbit: quo facto chirographum condicere potest. l. ult. Cod. *eod.*

TITULUS IV.

De acceptilatione.

SUMMARIA.

1. *Plura debita una acceptilatione tolluntur.*
2. *Acquirit qui liberatur.*
3. *Unus correorum stipulandi solus acceptum faciens liberat.*
4. *Qui unum correorum debendi acceptilatione liberat, omnes liberat.*
5. *Acceptilatio extinguit obligationem.*

1. Pluribus stipulationibus factis, si promissor ita accepto rogasset: *quod ego tibi promisi habesne acceptum?* Si quidem apparet quid actum est, id solum per acceptilationem sublatum est; si non apparet, omnes stipulationes solutae sunt. l. 6.

Et, uno et pluribus contractibus, vel certis vel incertis, vel quibusdam, exceptis caeteris, et omnibus ex causis una acceptilatio et liberatio fieri potest. l. 18.

2. Species acquirendi est liberari obligatione. l. 11.

3. Ex pluribus reis stipulandi, si unus acceptum fecerit (*a*), liberatio contingit in solidum. l. 13. §. ult.

4. Si ex pluribus obligatis uni accepto feratur, non ipse solus liberatur, sed et hi qui secum obligantur. Nam cum ex duobus pluribusque ejusdem obligationis participibus uni accepto fertur, caeteri quoque liberantur, non quoniam ipsis accepto latum est, sed quoniam velut solvisse videtur (*b*) is qui acceptilatione solutus est. l. 16.

5. Per Aquilianam stipulationem pacto subditam obligatione praecedente sublata, et acceptilatione quae fuit inducta, perempta, ei qui ex nulla causa restitui potest, omnis agendi via praecluditur. l. ult. C. *de acceptil.*

TITULUS V.

De stipulationibus praetoriis.

SUMMARIA.

1. *In stipulationibus praetoriis statuit praetor stipulationis modum.*
2. *Satisdatio praetoria solo personae interventu adimpletur, non pignoribus.*

(a) L. 31 §. 1 *de novationibus.*

(b) L. 3 §. 3 *de liberatione legata.* Si res sit indivisibilis, veluti servitus, acceptilatio in partem est inutilis, l. 13 §. 1 et ff. h. t.

3. *Praetoriae stipulationis interpres praetor.*
4. *In stipulatione quanti res est, expedit certam summam comprehendere.*

1. Si quid vel addi, vel detrahi, vel immutari in stipulatione oporteat, praetoriae erit jurisdictionis. l. 1. §. ult.

2. Praetoriae satisdationes personas desiderant pro se intervenientium: et neque pignoribus quis, neque pecuniae, vel auri, vel argenti depositione, in vicem satisdationis fungitur. l. 7 (c)

3. In praetoriis stipulationibus, si ambiguus sermo acciderit, praetoris erit interpretatio: ejus enim mens aestimanda est. l. 9. V. l. 9. *de verborum obligationibus.*

4. In ejusmodi stipulationbus, quae *quanti res est*

(c) Lex 8 ait: Paulus notat. Qui sub conditione institutus est agnita bonorum possessione, cogitur substituto in diem cavere loogiorem. Praetor enim beneficium suum nemini vult esse captiosum, nec potest videri calumniose satis petere quem alius antecedit, l. 8. Species est: Titius haeres esto, si navis ex Asia venerit: si non venerit, Cajus haeres esto. Omni casu haeres legitimus excluditur, sive navis venerit, sive non: unde institutus admittitur ad possessionem bonorum, non autem haeres legitimus, sed institutus admittitur tantum ex beneficio praetoris, quia revera nondum est dominus et incerta est conditio. Poset autem bec dilapidare interea, unde tenetur satisdare costituto vulgariter, ne beneficium praetoris noceat substitoto. DD. ad hanc l. quaerunt utrum gravatus teneatur satisdare substituto. Cambol 4 15. Cujac. 9 ob. 5. Nota defectus conditionis ex parte instituti, retrotrahitur ad tempus mortis testatoris in favorem substituti, licet substitutus decesserit ante defectum conditionis, et ita potest transmittere, quia agnovit judicium defuncti quando satispetiit. Verum ipse potiori jure frui deberet: nam videtur jure institutus, cum primus institutus vocatur tantum sub conditione; et ipsi dari dberet possessio potius quam instituto. Lex ita sequitur potius ordinem verborum quam mentem testantis.

promissionem habent, commodius est certam summam comprehendere: quoniam plerumque difficilis probatio est, quanti cujusque intersit, et ad exiguam summam deducitur. l. ult. Vid. l. 24. *de re judicata.*

TITULUS VI.

Rem pupilli, vel adolescentis, salvam fore.

SUMMARIA.

1. *Tutor moram faciens in restituenda tutela, fructus praestat et usuras.*

1. Si posteaquam pupillus ad pubertatem pervenerit tutor in restituenda tutela aliquandiu moram fecerit (*d*), certum est et fructuum nomine, et usurarum medii temporis, tam fidejussores ejus, quam ipsum teneri (*e*). l. 10. (1).

(d) Mora rei nocet fidejussori, l. 88 *de verborum obligationibus*, l. 68 *de fidejussoribus*, quae est tantum de fidejussore subsidiario.

(e) Ergo fidejussor tutelae in omnem casum fidejubet.

(1) Qualunque tutore, finita la tutela, é tenuto a render conto della sua amministrazione. — La somma a cui mmonterà il residuo del debito del tutore, produrrò interesse dal giorno della ultimazione del contoa, senz che occorra di farne la domanda. (*Leggi civ. art.* 392, 397)

TITULUS VII.

Judicatum solvi.

SUMMARIA.

1. *Fidejussor judicatum solvi non alias habet inducias quam ipse reus.*

1. In stipulatione judicatum solvi, post rem judicatam statim dies cedit: sed exactio in tempus reo principali indultum differtur. l. 1. V. instit, *de satisd.* et l. ult. C. *de usur.*

TITULUS VIII.

Ratam rem haberi, et de ratihabitione.

SUMMARIA.

1. *Ratihabitionis interponendae spatium intellectu aestimandum.*
2. *Domino ratum non habente, agitur in id quod interest.*

1. Julianus ait, interesse quando dominus ratam habere debere solutionem in procuratorem factam, an tunc demum cum primum certior factus esset? hoc autem ἐν πλάτει, id est, *cum laxamento et amplitudine* accipiendum, et cum spatio quodam temporis nec minimo, nec maximo (et) quod magis intellectu percipi, quam elocutione exprimi possit. l. 12. §. 2.

2. Si commissa est stipulatio, *ratam rem dominum habiturum* (*a*), in tantum competit, in quantum mea interfuit: id est, quantum mihi abest, quantumque lucrari potuit. l. 13.

In stipulatione qua procurator cavet *ratam rem dominum habiturum*, id continetur quod intersit stipulatoris. l. 19.

(a) Lucrum cessans, damnum emergens, l. 2 §. ult. *de eo quod certo loco.* Saepius ex stipulatione, rem ratam haberi agi potest, prout intersit agentis quod litigat, quod consumit, quod advocat, quod damnatus solvit, l. 18 contra in l. 6 § 4 *nautae, caupones.* Lucrum continetur in aestimatione damni, l. 30 et 33 *locati*, l. 7. C. *arbitrium tutelae.*

LIBER XLVII.

TITULUS I.

De privatis delictis.

SUMMARIA.

1. *Actiones poenales in haeredes non transeunt.*
2. *Rei persecutio ex delicto, ad haeredem transit.*
3. *Non actio injuriarum.*
4. *In pluribus delictis unius poena poenam alterius non consumit.*

1. Civilis constitutio est, *poenalibus actionibus haeredes non teneri, nec caeteros quidem successores.* Idcirco nec furti conveniri possunt (*b*). l. 1. V. s. l. 26. *de oblig. et act.*

2. Haeredem autem furti agere posse aeque constat; executio enim quorumdam delictorum haeredibus da ta est. Ita et legis Aquiliae actionem haeres habet. l. 1. §. 1.

3. Sed injuriarum actio haeredi non competit (*c*). l. 1. §. 1. in f.

4. Numquam plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur: neque enim delictum ob aliud delictum minuit poenam. Qui igitur hominem subripuit, et occidit: quia subripuit, furti; quia occidit, Aquilia

(b) Contra apud nos, quia debemus exonerare animas parentum.

(c) Quia poenae non irrogatae indignatio solam duritiem continet, l. 7 *de servis exportandis.*

tenetur : neque altera harum actionum alteram consumit. Idem dicendum si rapuit et occidit : nam et vi bonorum raptorum, et Aquilia tenebitur. l. 2. d. l. §. 1. et 2.

TITULUS II.

De furtis.

SUMMARIA.

1. *Sola cogitatio non facit furem.*
2. *Furtum est contrectatio fraudulosa.*
3. *Furtum aut manifestum est, aut nec manifestum.*
4. *Fur manifestus est qui cum furto deprehenditur.*
5. *Furti agunt quorum interest.*
6. *Nihil ei perit qui nihil habet.*
7. *Creditor de pignore furti agit etiam adversus dominum.*
8. *Colonus quoque de furto agit.*
9. *Omnes quorum interest furti agunt.*
10. *Ex delicto plurium singuli solidum debent.*
11. *Impubes doli capax furtum facit.*
12. *Qui instrumentum debiti furatur, de eo tenetur quod interest.*
13. *Qui re aliena abutitur, aut invito domino utitur, furtum facit.*
14. *Idem qui se simulans creditorem quid accipit.*
15. *Non furatur sed dolo facit qui fraudem adhibet, ut quid a volente accipiat.*
16. *Qui alienum jacens tollit lucri causa, furtum facit.*
17. *Qui aliquid invenit, id agere debet, ut notum faciat ei qui amisit.*

18. *Non recte petuntur inventionis praemia.*
19. *Et si res subrepta perierit, furti actio manet.*
20. *Fur est qui domino invito sciens contrectat, non qui falso credit consensurum esse dominum.*
21. *Qui furem celat, furti tenetur: non qui non indicat.*
22. *Consilio, et ope furti participes fiunt.*
23. *Tanti res est quanti vendi potest.*
24. *Ex proposito distinguitur maleficium.*
25. *Furtum est pignore uti.*
26. *Furtum facit qui ex alieno largitur: inde enim lucrum facit beneficii debitorem acquirens.*
27. *Si ex mandato damnum passus sit qui mandatum suscepit, poterit in mandatorem ex causa agere, idem in deposito vendito, locato, pignore: atque etiam in commodato, si dolus intervenerit.*
28. *Legatum recte transit a testatore ad legatarium.*
29. *Qui poenam incurrit, poenitentia non liberatur.*
30. *Qui re commodata aliter utitur, quam accepit, culpa ratione tenebitur.*
31. *Rem furtivam vindicat domino ab emptore, non restituto pretio.*
32. *Venditorem exhibere debet rei furtivae emptor.*

1. Sola cogitatio furti faciendi non facit furem (*a*). l. 1. §. 1.

2. Furtum est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, pos-

(a) Cogitationis poenam nemo patitur, l. 18 *de poenis.* V. l. 225 *de verborum significatione.* Nec etiam adulterum licet quis co animo sit occasione data γυναῖκα φθείρῃ, l. 225 *de verborum significat.*

sessionisve : quod lege naturali (*b*) prohibitum est admittere. l. 1. §. 3.

3. Furtorum genera duo sunt : manifestum , et nec manifestum. l. 2.

4. Fur est manifestus quem Graeci ἐπ' αὐτοφώρῳ appellant, hoc est , eum qui deprehenditur cum furto. l. 3.

Nec manifestum furtum quid sit , apparet. Nam quod manifestum non est, hoc scilicet nec manifestum est. l. 8.

5. Cujus interfuit non subripi, is actionem furti habet. Tum is cujus interest, furti habet actionem , si honesta causa interest. Itaque fullo , qui curanda polienda vestimenta accepit, semper agit : praestare enim custodiam debet. l. 10. 11. 12.

6. Qui non habet quod perdat , ejus periculo nihil est (*c*). l. 12.

7. Sed (et) si res pignori data sit , creditori quoque damus furti actionem , quamvis in bonis ejus res non sit.

Quinimo non solum adversus extraneum dabimus , verum et contra ipsum quoque dominum furti actionem. l. 12. §. 2.

8. Praeterea habent furti actionem coloni , quamvis domini non sint ; quia interest eorum. l. 14. §. 2.

9. Et puto omnibus quorum periculo res alienae sunt, veluti commodati , item locati , pignorisve accepti , si hae subreptae sint, omnibus furti actiones competere (*d*). l. 14. §. 16.

(b) Id est , jure gentium.

(c) Inanis est actio quam inopia debitoris excludit. * *Lex* 6 de dolo. Qui decumbit humi , non habet unde cadat.

(d) Si debitor rem pignori datam aut dumtaxat obligatam vendat , furtum facit , l. 19 §. 6 l. 66 *de furtis*.

10. Si duo pluresve unum tignum furati sunt, quod singuli tollere non potuerint, dicendum est omnes eos furti in solidum teneri, quamvis id contrectare nec tollere solus posset: et ita utimur. Neque enim potest dicere pro parte furtum fecisse singulos, sed totius rei universos: sic fiet, singulos furti teneri. l. 21. §. 9. V. l. 1. in f. ff. *si is qui test. lib. esse juss.* et l. 6. ff. *arb. furt. caes.*

11. Impubes furtum facere potest, si jam doli capax sit (e). l. 23.

12. Qui tabulas vel cautiones amovet, furti tenetur non tantum pretii ipsarum tabularum, verum ejus quod interfuit: quod ad aestimationem refertur ejus summae quae in his tabulis continetur: scilicet si tanti interfuit. l. 27.

13. Qui jumenta sibi commodata longius eduxerit (f), alienave re invito domino usus sit, furtum facit. l. 40. (g)

14. Falsus creditor (hoc est is qui se simulat creditorem), si quid acceperit, furtum facit. l. 43.

15. Si quis nihil in persona sua mentitus est, sed verbis fraudem adhibuit, fallax est magis, quam furtum facit. Ut puta, si dixit se locupletem, si in mercem se collocaturum quod accepit (a), si fidejussores idoneos daturum, vel pecuniam confestim se soluturum. Nam ex his omnibus magis decepit, quam furtum fecit; et ideo furti non tenetur. Sed quia dolo fecit, nisi sit alia adversus eum actio, de dolo dabitur. l. 43. §. 3.

(e) L. 4 §. 6 *de doli exceptione*, l. 111 *de re judicata.*
(f) L. 13 §. 3. *locati.*
(g) Vide l. 76.
(a) Stellionatus seu potius defectus utilis applicationis pecuniae.

16. Qui alienum quid jacens, lucri faciendi causa, sustulit, furti obstringitur, sive scit cujus sit, sive ignoravit. Nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cujus sit ignoret. l. 43. §. 4.

17. Solent plerique etiam hoc facere, ut libellum proponant continentem invenisse, et redditurum ei qui desideraverit. Hi ergo ostendunt non furandi animo se fecisse. l. 43. §. 8. in f.

18. Quid ergo si εὕρετρα, id est, *inventionis praemia* quae dicunt, petat? Nec hic videtur furtum facere, et si non probe petat aliquid (*b*). l. 43. §. 9.

19. Inter omnes constat, etiamsi extincta sit res furtiva, attamen furti remanere actionem adversus furem. l. 46.

20 Recte dictum est, qui putavit se domini voluntate rem attingere, non esse furem (*c*). Quid enim dolo facit, qui putat dominum consensurum fuisse, sive vere putet? Is ergo solus fur est qui adtrectavit quod invito domino se facere scivit. l. 46. §. 7. in f.

21. Qui furem novit, sive indicet eum, sive non indicet, fur non est. Cum multum intersit furem quis celet (*d*), an non indicet: qui novit, furti non tenetur; qui celat, hoc ipso tenetur. l. 48. §. 1.

22. Recte Pedius ait, sicut nemo furtum facit sine dolo malo, ita nec consilium, vel opem ferre sine dolo malo posse. Consilium autem dare videtur qui persuadet et impellit, atque instruit consilio ad furtum

(b) L. 1 §. 5 *de extraordinariis cognitionibus.* Ubi quaedam licet honeste accipiantur, inhoneste tamen petuntur.

(c) Sine dolo furtum non committimus, l. 5 §. 3.

(d) V. l. 1 *de receptatoribus*, et *ad leg. Jul. de vi priv.* n. ult.

faciendum (*e*) : opem fert qui ministerium atque adjutorium ad subripiendas res praebet. l. 50. §. 2. et 3.

23. Tanti aestimada (res) quanti emptorem (*f*) potest invenire. l. 52. §. 29. in. f.

24. Maleficia voluntas et propositum delinquentis distinguit. l. 53.

25. Si pignore creditor utatur, furti tenetur. l. 54.

26. Eum qui quid utendum accepit, si ipse alii commodavit; furti obligari, responsum est. Ex quo satis apparet, furtum fieri et si quis usum alienae rei in suum lucrum convertat : nec movere quem debet, quasi nihil lucri sui gratia (*g*): *species enim lucri est, ex alieno largiri* (*h*) et benificii debitorem sibi adquirere. Uude et is furti tenetur, qui ideo rem amovet ut eam alii donet. l. 54. §. 1.

27. Quod vero ad mandati actionem attinet (*a*), dubitare se ait, num aeque dicendum sit omnimodo damnum praestari debere? Et quidem hoc amplius quam in superioribus causis servandum, ut etiam si ignoraverit is qui certum hominem emi mandaverit, furem esse; nihilominus tamen damnum decidere cogetur: justissime enim procuratorem allegare, non fuisse se id damnum passurum, si id mandatum non suscepisset.

(e) V. l. 53 §. 1 *de verborum significatione.*

(f) Non ergo ex affectione omnium res hic aestimatur, sed ex affectione singulari. Contra l. 33 *ad legem Aquiliam.*

(g) L. 72 *de re judicata.*

(h) Quia donatio obligat ad *ἀντιδωρία*. L. 25 §. 11 *de haereditatis petitione.*

(a) * *Lex* 56 §. 1 *habet* : Si fur in periculum majoris poenae deductus est, et judex jussit tantum restituere, quaestio furti sublata est. V. Baudin, ad l. 8 *de postulando.* V. l. ult. h. V. n. ult. *de accusationibus.*

Idque evidentius in causa depositi apparere: nam licet alioquin aequum videatur, non opportere cuiquam plus damni per servum evenire, quam quanti ipse servus sit (*b*): multo tamen aequius esse, *nemini officium suum*, quod ejus cum quo contraxerit, non etiam sui commodi causa susceperat, *damnosum esse*. Et sicut in superioribus contractibus, venditione, locatione, pignore, dolum ejus qui sciens reticuerit, puniendum esse dictum sit; ita in his culpam eorum quorum causa contrahatur, ipsis potius damnosam esse debere. Nam certe mandantis culpam esse, qui talem servum emi sibi mandaverit. Et similiter ejus qui deponat, quod non fuerit diligentior circa monendum, qualem servum deponeret. l. 61. §. 5.

Circa commodatum autem merito aliud existimandum: videlicet quod tunc ejus solius commodum qui utendum rogaverit, versetur: Itaque eum qui commodaverit, sicut in locatione, si dolo quid fecerit, non ultra pretium servi quid amissurum: quin etiam paulo remissius circa interpretationem doli mali debere nos versari: quoniam, ut dictum sit, nulla utilitas commodantis interveniat. d. l. §. 6.

Haec ita puto vera, si nulla culpa ipsius, qui mandatum, vel depositum susceperit, intercedat: caeterum si ipse ultro ei custodiam, argenti forte, vel nummorum, commisserit, cum alioquin nihil unquam dominus tale quid fecisset, aliter existimandum est (*c*). l. 61. §. 7.

(b) L. 7 §. 1 *de damno infecto.*

(c) Dicitur autem in §. 8, colonum teneri furti si fructus pendentes vendiderit in fraudem domini.

28. Ea quae legantur recta via, ab eo qui legavit (*d*), ad eum cui legata sunt, transeunt, l. 64. in f.

29. Qui ea mente alienum quid contrectavit, ut lucrifaceret; tametsi mutato consilio, id domino postea reddidit, fur est: nemo enim tali peccato poenitentia sua nocens esse desiit (e). l. 65. V. s. ff. *vi bon. rapt.*

30. Qui re sibi commodata, vel apud se deposita, usus est aliter, atque accepit: si existimavit se non invito domino id facere, furti non tenetur; sed nec depositi ullo modo tenebitur (*f*). Commodati an teneatur, in culpa aestimatio erit, id est, an non debuerit existimare id dominum permissurum (*g*)? l. 76.

31. Incivilem rem desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit solutum a dominis. Curate igitur cautius negotiari, ne non tantum in damna ejusmodi, sed etiam in criminis suspicionem incidatis. l. 2. C. *de furt. serv. corrupt.*

32. Civile est quod a te adversarius tuus exigit, ut rei quam apud te fuisse fateris, exhibeas venditorem. Nam a transeunte et ignoto te emisse dicere non convenit, volenti evitare alienam bono viro suspicionem. l. 5. C. *de furt. et serv. corrupt.*

(d) L. 15 *de rebus dubiis.*
(e) L. 8. C. *ad legem Corneliam de falsis.*
(f) V. l. 40.
(g) * *Lex* 19 *habet* : Si quis cum sciret quid sibi subripi, non prohibuit cum posset : nihilominus furti aget.

TITULUS III.

De tigno juncto.

SUMMARIA.

1. *Ne furtivum tignum ab aedibus aut vineis solvere liceat.*

1. Lex duodecim (*a*) tabularum *neque solvere permittit tignum furtivum aedibus, vel vineis junctum, neque vindicare*. Quod providenter lex efficit, ne vel aedificia sub hoc praetextu diruantur (*b*), vel vinearum cultura turbetur. Sed in eum qui convictus est junxisse, in duplum dat actionem. *Tigni* autem appellatiene continetur omnis materia ex qua aedificium constet, vineaeque necessaria. Unde quidam ajunt tegulam quoque, et lapidem, et testam, caeteraque, si quae aedificiis sunt utilia: tigna enim a tegendo dicta sunt. Hoc amplius et calcem, et arenam tignorum appellatione contineri. Sed et in vineis tigni appellatione omnia vineis necessaria continentur, ut puta perticae, pedamenta. l. 1. l. d. §. 1.

(a) V. l. 33. §. 6. *de rei vindicatione*, l. 7 §. 10 *de acquirendo rerum dominio.*
(b) Nota legem extendi ad alios casus identitate rationis.

TITULUS IV.

Si is qui testamento liber esse jussus erit (*), post mortem domini ante aditam haereditatem subripuisse aut corrupisse quid dicetur.

SUMMARIA.

1. *Ubi aequitas suggerit subveniendum.*
2. *Justa ignorantia saepe excusat.*

1. Si quidem civilis deficit actio, *quod* natura aequum est, *sequimur*. l. 1. §. 1.

2. In pluribus causis justa ignorantia excusationem meretur. l. 2. in f.

TITULUS V.

Furti actio adversus nautas, caupones, stabularios.

SUMMARIA.

1. *Qui navem, cauponam, stabulum exercent, furti tenetur eorum nomine quos ibi habent.*
2. *Caupo praestat factum habitatorum, non viatorum.*
3. *Nec exercitor vectorum.*

1. In eos qui naves, cauponas, stabula exercebunt, si quid a quoquo eorum, quosve ibi habebunt, furtum factum esse dicetur, judicium datur: sive furtum ope, consilio exercitoris factum sit, sive eorum qui in ea na-

(*) V. l. 48. *Ad Trebellianum.*

vi navigandi causa essent. *Navigandi* autem *causa* accipere debemus eos qui adhibentur ut navis naviget, hoc est, nautas. l. 1. d. l. §. 1.

2. Caupo praestat factum eorum qui in ea caupona ejus cauponae exercendae causa ibi sunt: item, eorum qui habitandi causa ibi sunt. Viatorum autem factum non praestat: namque viatorem sibi elegere caupo vel stabularius non videtur; nec repellere potest iter agentes (c): inhabitatores vero perpetuos ipse quodammodo elegit qui non rejecit, quorum factum oportet eum praestare. l. 1. §. ult.

3. In navi vectorum factum non praestatur (*d*). l. un. §. ult. in f.

TITULUS VI.

Si familia furtum fecisse dicetur.

SUMMARIA.

1. *Is scire dicitur delictum qui prohibere potuit.*

1. Is accipitur *scire*, qui scit et potuit prohibere. l. 1. §. 1.

(c) V. C. l. 1. §. ult. l. 2. et 3. *nautae, caupones.*

(d) Scilicet in duplum, secus in simplum. Cuj. Vide quae dixi hic ad l. 6. §. 3. *nautae, caupones.*

TITULUS VII.

Arborum furtim caesarum.

SUMMARIA.

1. *Qui arbores caedunt, ut latrones puniuntur.*
2. *Plurium delictum singulos in solidum obligat.*
3. *Radices vicini in nostrum immissas recidere non licet, sed agendum, non esse et jus.*
4. *Non radices, sed origo arboris dominum vindicat.*

1. Sciendum est eos qui arbores, et maxime vites, caeciderint, etiam tamquam latrones puniri. l. 1.

2. Si plures eandem arborem furtim caeciderint (*e*) cum singulis in solidum agetur. l. 6.

3. Si arbor in vicini fundum radices porrexit, recidere eas vicino non licebit (*a*) : agere autem licebit, non esse ejus, sicuti tignum aut protectum, immissum habere. l. 6. §. 2.

4. Si radicibus vicini arbor aletur, tamen ejus est, in cujus fundo origo ejus fuerit. l. 6. in f. (*b*)

(e) L. 21. §. 9. *de furtis.*

(a) Nemo sibi jus potest dicere, ne occasio sit tumultus, l. 176. *de re judicata.*

(b) V. tit. *de glande legata*, l. 12. h. l. 6. *de aqua et aquae.* Utrum haec actio detur venditori vel emptori fundi)

TITULUS VIII.

Vi bonorum raptorum, et de turba.

SUMMARIA.

1. *Coercentur qui coactis hominibus aut rapiunt quid, aut damnum faciunt.*
2. *Creditor res sibi obligatas vi rapiens in crimen incidit.*

1. Praetor ait (c), *si cui dolo malo hominibus coactis damni quid factum esse dicetur, sive cujus bona rapta esse dicentur, in eum qui id fecisse dicatur, judicium dabo.* l. 2.

2. Res obligatas sibi creditorem vi rapientem, non rem licitam facere, sed crimen committere convenit. l. 3. *Cod. eod. V. inf. ad leg. Juliam, de vi priv.* l. 7. (*d*)

(c) *Lex* 2. §. 20. *habet:* Si publicanus pecus abduxit dum putat contra legem vectigalis aliquid factum esse, quamvis erraverit, agi tamen non potest adversus eum vi bonorum raptorum. Revera furtum sine affectu furandi non committitur.

(d) L. 13. *quod metus causa*, l. 5. ad leg. Jul. *de vi priv.* l. 5. *de acquirenda vel amittenda possessione.*

TITULUS IX.

De incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata.

SUMMARIA.

1. *In raptores, ex incendio, ruina, naufragio animadvertitur.*
2. *Par adgressori receptor.*
3. *Qui sine dolo et non ut noceat, sed ut sibi caveat damnum dedit, non tenetur.*
4. *Delicta ex personarum conditione, et rerum qualitate varie punienda.*
5. *Ratem in agrum delatum dominus non recepit, nisi de illato jam damno caveat.*

1. In eum (judicium datur) qui ex incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata quid rapuisse, recepisse dolo malo (*e*), damnive quid in rebus dedisse dicetur. l. 1.

Hujus edicti utilitas evidens, et justissima severitas est: si quidem publice interest non rapi ex hujusmodi casibus. d. l. §. 1.

2. Non tantum autem qui rapuit, verum is quoque qui recepit ex causis supra scriptis tenetur: quia receptores non minus delinquunt, quam adgressores. l. 3. §. 3.

3. Quod ait praetor de damno dato, ita demum lo-

(e) L. 1. ad leg. Jul. *de vi priv.*

cum habet si dolo malo damnum datum sit: nam si dolus malus absit (f), cessat edictum. Quemadmodum ergo procedit quod Labeo scribit, si defendendi mei causa vicini aedificium orto incendio dissipaverim, et meo nomine, et familiae, judicium in me dandum?

Cum enim defendendarum mearum aedium causa fecerim, utique dolo careo. Puto igitur non esse verum quod labeo scribit. An tamen lege Aquilia (g) agi cum hoc possit? Et non puto agendum. Nec enim injuria hoc fecit, qui se tueri voluit, cum alias non posset. Et ita Celsus scribit. l. 3. §. 7.

4. Plurimum interest, peritura collegerint (qui diripuisse aliqua ex naufragio probantur), an quae servari possint, flagitiose invaserunt. l. 4. §. 1. *Et omnino ut in caeteris, ita hujusmodi causis ex personarum conditione, et rerum qualitate, et diligenter sunt estimandae, ne quid aut durius aut remissius constituatur quam causa postulabit*. d. l. §. in fin.

5. Ratis vi fluminis in agrum meum delatae (h), non aliter potestatem tibi faciendam, quam si praeterito quoque damno mihi cavisses. l. 8.

(f) Delictum sine dolo non committitur, sed quasi delictum.
(g) V. l. 49. §. 1. *ad legem aquiliam*, l. 7. §. 4. *quod vi aut clam*. V. l. 27. §. 1. *locati*.
(h) V. *de damno infecto*, n. 3. et 4.

TITULUS X.

De injuriis et famosis libellis.

SUMMARIA.

1. *Injuria dicitur quod non jure fit, specialiter vero contumelia.*
2. *Injuria fit aut re, aut verbis.*
3. *Aut in corpus fit injuria, aut ad dignitatem, aut ad infamiam pertinet.*
4. *Aut per se cui fit injuria, aut per conjunctas domesticas personas.*
5. *Haeredis interest fama defuncti.*
6. *Uxor pro viro injuriam non agit.*
7. *Injuria ex affectu consistit: injuriam non facit doli non capax.*
8. *Injuria fieri potest non sentienti: sed non fit a nesciente.*
9. *Atrocem injuriam faciunt circumstantiae personae, temporis, loci, et ipsius facti.*
10. *Injuria aboletur ubi remissa est, aut accepta satisdatione, aut annali praescriptione.*
11. *Mandator tenetur injuriarum.*
12. *Haec actio non haeredi datur, nec in haeredem, nisi lite contestata.*
13. *Non facit injuriam qui jure suo utitur.*
14. *Non tenetur injuriarum qui ne honor alicui decernatur obstitit.*
15. *Quod ex officio facit magistratus, non est injuria.*
16. *Injuriae aestimantur ex personis et qualitate injuriarum.*
17. *Spectandum tempus quo facta est injuria, non quo judicatur.*

18. *Acrius coercentur viles personae quae judicium injuriarum contemnere possint.*
19. *Tolluntur e monumentis judicia posita in alterius infamiam.*
20. *Aliud consilio, aliud in calore rixae convicium proferre.*
21. *Injuriarum judicium privatum est.*
22. *Qui famosum libellum invenerit, nec suppresserit, pro auctore habetur, et punitur.*

1. Injuria ex eo dicta est, quod non jure fiat. Omne enim quod non jure fit, injuria fieri dicitur. Hoc generaliter. Specialiter autem injuria dicitur contumelia: interdum injuriae appellatione damnum culpa datum significatur, ut in lege Aquilia dicere solemus: interdum iniquitatem, injuriam dicemus. Nam cum quis inique, vel injuste sententiam dixit, injuriam ex eo dictam, quod jure et justitia caret, quasi non injuriam: contumeliam autem a contemnendo. l. 1.

2. Injuriam autem fieri Labeo ait aut re, aut verbis: re, quoties manus inferuntur; verbis autem, quoties non manus inferuntur, convicium fit. l. 1. §.

3. Omnemque injuriam aut in corpus inferri, aut ad dignitatem, aut ad infamiam pertinere: in corpus fit, cum quis pulsatur; ad dignitatem, cum omnes matronae abducitur; ad infamiam, cum pudicitia attentatur. l. 1. §. 2.

4. Item, aut per semetipsum alicui fit injuria, aut per alias personas. Per semet, cum directo ipsi cui patrifamilias vel matrifamilias fit injuria; per alias, cum per consequentias fit, cum fit liberis meis (*a*), vel

(*a*) L. 8, §. 3. *Quod metus causa.*

uxori, nuruive. Spectat enim ad nos injuria quae in his fit, qui vel potestati nostrae, vel affectui subjecti sunt. l. 1. §. 3.

5. Haeredis interest defuncti existimationem purgare (*b*). l. 1. §. 6.

6. Quod si viro injuria facta sit, uxor non agit: quia defendi uxores a viris, non viros ab uxore aequum est. l. 2.

7. Sane sunt quidam qui facere non possunt (*injuriam*); ut puta furiosus, et impubes qui doli capax non est: namque hi pati injuriam solent, non facere. Cum enim injuria ex affectu facientis (*c*) consistat, consequens erit dicere, hos, sive pulsent, sive convicium dicent, injuriam fecisse non videri. l. 3. §. 1.

8. Pati quis injuriam, etiam si non sentiat, potest: facere nemo, nisi qui scit se injuriam facere. l. 3. §. 2.

9. Atrocem injuriam quasi contumeliosiorem et majorem accipimus: atrocem autem injuriam aut persona, aut tempore, aut reipsa fieri, Labeo ait. Persona atrocior injuria fit, ut cum magistrato, cum parenti, patrono fiat. Tempore, si ludis et in conspectu: nam praetoris in conspectu, an in solitudine injuria facta sit, multum interesse ait (*d*): quia atrocior est quae in conspectu fiat. l. 7. §. 7. et 8.

(*b*) Egregium et honestum interesse. Contra injuriarum actio haeredi non competit, l. 10 §. 2. *si quis caution.* l. 13 hic.

(*c*) Non potest actio intentari in amentem: nec ei poena infligi pro crimine commisso *tempore lucidi intervalli*: nam oportet ut quivis liberare gaudeat se defendendi, et fortasse suis ipsa rationibus non careret, si mentis compos esset quis, si quis amens evadit post acta jam efformata, ante ultimum interrogatorium, poena publica ei infligi nequit. At potest quidem damnari pro interesse civili partis, sola tamen via civili: tum vero procedendum aeque ac si esset mortuus.

(*d*) V. l. ult. *de ritu nuptiarum*, l. ult. *de abigeis.*

10. Injuriarum actio ex bono et aequo est : et dissimulatione aboletur. Si quis enim injuriam derelinquerit, hoc est, statim passus ad animum suum non revocaverit ; postea ex poenitentia remissam injuriam non poterit recolere (*e*). l. 11. §. 1.

Qui accepit satisdationem, injuriam suam remisit. Nam et si nuda voluntate injuriam remisit, indubitate dicendum est, extingui injuriarum actionem, non minus quam si tempore abolita fuerit injuria. 17. §. 6.

Injuriarum actio anno praescribitur (*a*). l. 5. C. *de injur.*

11. Si mandatu meo facta sit alicui injuria, plerique ajunt, tam me qui mandavi, quam eum qui suscepit, injuriarum teneri. l. 11. §. 3.

12. Injuriarum actio neque haeredi (*b*) neque in haeredem datur. l. 13. (*c*).

Lite contestata, haec actio ad successores pertinet. d. l.

13. Is qui jure publico utitur, non videtur injuriae faciendae causa hoc facere : juris enim executio non habet injuriam. l. 13. §. 1.

14. Si quis de honoribus decernendis alicujus passus non sit decerni, utputa imaginem alicui, vel quid aliud tale, an injuriarum teneatur ? et ait Labeo, non teneri: quamvis hoc contumeliae causa faciet. Etenim multum interest (inquit) contumeliae causa quid fiat ; an vero fieri quid in honorem alicujus quis non patiatur. l. 13. §. 4.

15. Quae jure potestatis a magistratu fiunt, ad injuriarum actionem non pertinent. l. 13. §. 6.

(*e*) Remittentibus actiones suas non datur regressus, l. 14 §. 9 *de Ædilitio edicto*, l. 7. in fine. *de servis exportandis.*

(*a*) Nisi de creditore agatur. Tunc enim viginti anni requiruntur.

(*b*) L. 1. §. 6 Ubi haeredis interest defuncti aestimationem purgare.

(*c*) L. 10 §. 2. *si quis caution.*

16. Quod ait praetor: *si quis adversus ea fecerit, prout quae res erit animadvertam*: sic intelligendum est, ut pleuior esset praetoris animadverso; id est, et quodcumque eum moverit (*d*), vel in persona ejus qui agit injuriarum actione, vel ejus adversus quem agitur, vel etiam in re ipsa, in qualitate injuriae: audiat eum qui agit (*e*). l. 15. §. 28.

17. Injuriarum aestimatio non ad id tempus quo judicatur, sed ad id quod facta est, referri debet (*f*). l. 21.

18. Si quis injuriam atrocem fecerit, qui contemnere judicium possit ob infamiam suam et egestatem (*g*), praetor acriter exequi hanc rem debet (*h*), et eos qui injuriam fecerunt, coercere. l. 35.

19. Constitutionibus principalibus cavetur, ea quae infamandi alterius causa in monumenta publica posita sunt, tolli de medio. l. 37.

20. Aliud convicii consilio aliquid injuriosum dicere, aliud in rixa inconsulto calore prolapsum convicium objicere. l. 5. C. *de injur*.

21. Injuriarum causa non publici judicii, sed privati continet querelam. l. 7. C. *eod.*

22. Si quis famosum libellum sive domi, sive in publico, vel quocumque loco ignarus reperit, aut corrumpat priusquam alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum.

(*d*) *Lex* 18 *habet*: Eum qui nocentem infamavit non esse bonom aequum ob eam rem condemnari; peccata enim nocentium nota esse et oportere et expedire, l. 31. *depositi*.

(*e*) Non tenetur qui curavit ut convitium fieret, si factum non sit, l. 15 §. 10. V. t. T. s.

(*f*) Non augetur ex post facto praeteriti delicti aestimatio, l. 138 §. 1. *de regulis juris*.

(*g*) Infamia et egestas.

(*h*) L. 1 §. ult. *de poenis*.

Si vero non statim easdem chartulas vel corruperit, vel igni consumpserit, sed vim earum manifestaverit, sciat se quasi auctorem hujusmodi delicti capitali sententiae subjugandum. l. 1. C. *de famos. libell.* V. l. 5. §. 9. l. 15. §. 29. ff. *de injur.*

TITULUS XI.

De extraordinariis criminibus.

SUMMARIA.

1. *Conatus sine effectu punitur.*
2. *Coetus, etiam praetextu religionis, sunt illiciti.*
3. *Non est publicum judicium stellionatus, nec expilatae haereditatis.*
4. *Caveat Magistratus ne annona oneretur per Dardanarios, et eos qui vendere nolint justo pretio.*
5. *Stateras adulterinas et falsas mensuras habentes puniendi.*
6. *Sunt quaedam crimina certis in locis usitata, alibi incognita.*

1. Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, et si effectu sceleris potiri non possunt, propter voluntatem perniciosae libidinis (*a*) extra ordinem puniuntur. l. 2.

2. Sub praetextu Religionis, vel sub specie solvendi voti, coetus illicitos nec a veteranis tentare oportet. l. 2.

(*a*) Contra l. 18. *de poenis*. Et distingue conatum a spei cogitatione. V. l. 225. *de verborum significatione*, l. 15. §. 10. tituli praecedentis.

3. Stellionatus vel expilatae haereditatis judicia accusationem quidem babent; sed non sunt publica. l. 3.

4. Debet custodire (proconsul) ne Dardanarii (*b*) ullius mercis sint, ne aut ab his qui coemptas merces supprimunt, aut a locupletioribus qui fructus suos aequis vendere nollent, dum minus uberes proventus expectant (ne) annona oneretur. l. 6. (*c*).

5. Onerant annonam etiam staterae adulterinae (*d*), de quibus D. Trajanus edictum proposuit, quo edicto poenam legis Corneliae in eos statuit. l. 6. §. 1.

6. Sunt quaedam quae more provinciarum coercitionem solent admittere. Ut puta in provincia Arabia σκοπελισμον, *id est*, *lapidum positionem*, crimen appellant (*e*).l.9.(*f*)

TITULUS XII. *De sepulcro violato* (*)

(*b*) Dardanarius, Cociator, Ariblator, παντοκωλης, μεταβος, παντομεταβολος, σιτοκαπηλος, *Monopolista*.

(c) V. tit. *de lege Julia de annona*.

(*d*) L. 32, §. 1. *de lege Cornelia de falsis*.

(*e*) V. l. 16. §. 9. *de poenis*.

(*f*) Plerique inimicorum solent lapides ponere indicio futuros quod si quis eum agrum coluisset, malo letho petiturus esset.

(*) *Lex* 3. §. 5. *habet*: D. Hadrianus rescripto poenam statuit in eo qui in civitate sepeliunt. Quid tamen si lex municipalis permittat? Post rescripta principalia an ab hoc discessum sit, videbimus. Quia generalia sunt rescripta, et oportet imperialia statuta suam vim obtinere et in omni loco valere.

TITULUS. XIII.

De concussione (**).

SUMMARIA.

1. *Concussionis tenetur qui fingit jussum praesidis.*
2. *Item qui crimen minatur, vel ut accuset, pecuniam accipit.*

1. Si simulato praesidis jussu concussio intervenit, ablatum ejusmodi terrore restitui praeses provinciae jubet, et delictum coercet. l. 1.

2. Si ideo pecuniam quis accepit, quod crimen minatus sit, potest judicium publicum esse ex senatusconsultis, quibus poena legis Corneliae teneri jubentur qui in accusationem innocentum coierint, quive ob accusandum, vel non accusandum, denuntiandum vel non denuntiandum testimonium, pecuniam acceperint. l. 2.

TITULUS XIV.

De abigeis.

SUMMARIA.

1. *Pro frequentia hujus criminis durius puniuntur abigei.*
2. *Abigei sunt qui pecora ex pascuis, vel armentis subtrahunt.*
3. *Quia majora animalia abigunt, gravius puniuntur.*

(**) Concussio est terror injectus pecuniae vel rei alterius extorquendae causa. Cujacius.

4. *Severius puniuntur qui armenti abigunt.*
5. *Abigeum a fure distinguit porcorum numerus.*
6. *Gravius est a stabulis abigere, quam aliunde.*

1. Abigei cum durissime puniuntur, ad gladium damnari solent. Puniuntur autem durissime non ubique, sed ubi frequentius est id genus maleficii. l. 1.

2. Abiegi autem proprie hi abentur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt et quodammodo depraedantur: et abigendi studium quasi artem exercent, equos de gregibus vel boves de armentis abducentes. Caeterum si quis bovem aberrantem, vel equos in solitudine relictos abduxerit, non est abigeus, sed fur potius. l. 1. §. 1.

3. Qui porcam, vel capram, vel vervecem abduxit, non tam graviter, quam qui animalia abigunt, plecti debet. l. 1. §. 2.

4. Quia plerumque abigei et ferro utuntur, si deprehendantur, ideo et graviter puniri eorum admissum solet. l. 2. Vide infra *de furib. bal.* n. 2.

5. Oves pro numero abactorum aut furem aut abigeum faciunt. Quidem decem oves gregem esse putaverunt; porcos etiam quinque, vel quatuor abactos; equum, bovem, vel unum abigatus crimen facere. l. 3.

6. Eum quoque plenius (*a*) coercendum, qui a stabulo abegit domitum pecus, non a sylva, nec grege (*b*). l. 3. 1.

(*a*) Cujacius legit *lenius* non *plenius*.
(*b*) V. l. ult. *de ritu nuptiarum*, l. 7. §. 7. et 8. *De injuriis* l. 1. *de furibus balnearum*.

TITULUS XV.

De praevaricatione.

SUMMARIA.

1. *Praevaricator est qui diversam partem adjuvat.*
2. *Delatoris corruptor pro victo est, praeterquam in causa sanguinis.*

1. Praevaricator est quasi varicator (c), qui diversam partem adjuvat prodita causa sua. Quod nomen Labeo a varia certatione tractum ait. Nam qui praevaricatur, ex utraque parte constitit, quinimo ex altera. l. 1.

2. In omnibus causis, praeterquam in sanguine, qui delatorem corrupit (d), ex senatusconsulto pro victo habetur. l. ult. (e).

TITULUS XVI.

De receptatoribus.

SUMMARIA.

1. *Pro latronibus receptatores.*
2. *Puniendi qui latrones occultaverint.*

1. Pessimum genus est receptatorum, si quibus nemo latere diu potest (f). Et praecipitur, ut perinde pu-

---

(c). L. 1. §. 1. et l. 1. §. 6. *Ad senatusconsultum Turpillianum.*

(d) Quaelibet est honesta ratio sanguinis eximendi, l. 18. C. *de transactionibus.*

(e) L. 29 *de jure fisci*, l. 14. *Ad leg. Jul. de adulteriis.*

(f) V. l. 48. §. 1. *de furtis. Ad legem Juliam, de vi privata*, n. ult. et *de vi bonorum raptorum*, n. ult.

miantur atque latrones. In pari causa habendi sunt; quia cum apprehendere latrones possent, pecunia accepta, vel subreptorum parte, dimiserunt (g). l. 1.

Eos qui secum alieni criminis reos occultando, eum eamve sociarunt, par ipsos et reos poena expectet: et latrones quisquis sciens susceperit, et eos offerre judicibus supersederit, supplicio corporali aut dispendio facultatum, pro qualitate personae, et judicis aestimatione plectetur. l. 1. C. *de his qui latr. vel al. crim. reos occ.*

2. Latrones auxilio militari inde eximendi (h) quo aufugerunt, et latitant: iique puniendi, qui apud se latitantem non exhibent. l. 2. C. *eod.*

TITULUS XVII.

De furibus balneariis.

SUMMARIA.

1. *Durius nocturni fures puniendi.*
2. *Fur cum telo gravius punitur.*

1. Fures nocturni extra ordinem audiendi sunt, et causa cognita puniendi (i). l. 1.

2. Si telo fures defendunt, vel effractores, vel caeteri his similes, nec quicquam (*) percusserunt, metalli poena, vel honestiores relegationis, afficiendi sunt. l. 1.

(g) Affinis autem qui latronem recipit, non tam graviter punitur, l. 2.

(h) Manu militari, l. 68. *de rei vindicatione.*

(i) L. 3. § 1. *de abigeis.* L. 2. *de effractoribus.*

(*) Quemquam.

TITULUS XVIII.

De effractoribus et expilatoribus.

SUMMARIA.

1. *Effractores carceris; et qui evaserunt puniendi.*
2. *Effractores nocturni atrociores.*

1. De his, qui carcere effracto evaserunt, sumendum supplicium. l. 1. Quod si per negligentiam custodum evaserunt, levius puniendi. d. l. V. l. 13. ff. *de custod. exhib. reor.*

2. Inter effractores varie animadvertitur. Atrociores enim sunt nocturni effractores. l. 2.

TITULUS XIX. *Expilatae hereditatis.*

TITULUS XX.

Stellionatus.

SUMMARIA.

1. *Stellionatus est rem alienatam vel obligatam alteri, eo inscio, distrahere, vel obligare.*

1. Maxime in his locum habet (*stellionatus*) (a), si quis forte rem alii obligatam dissimulata obligatione, per calliditatem, alii distraxerit, vel permutaverit, vel

---

(a) L. 43. §. 3. *de furtis.*

in solutum dederit: nam hae omnes species stellionatum continent. l. 3. §. 1. (b).

Improbum quidem et criminosum fateris, easdem res pluribus pignorasse, dissimulando in posteriore obligatione, quod eaedem aliis pignori tenerentur. Verum securitati tuae consules, si oblato omnibus debito, criminis instituendi causam peremeris. l. 1. C. *de crim. stellion.*

Rem donatam obligare, stellionatus est. l. 2. C. *eod.*

TITULUS XXI.

De termino moto.

SUMMARIA.

1. *Puniendi qui terminos moverunt.*
2. *Item qui ut fines obscurent, locorum faciem immutant.*

1. Divus Hadrianus in haec verba rescripsit: Quin pessimum factum sit eorum qui terminos finium causa positos propulerunt, dubitari non potest. De poena tamen modus ex conditione personae, et mente facientis magis statui potest. l. 2. V. l. 1. Cod. *de accusat. et insc.*

2. Hi quoque qui finalium (c) quaestionum obscurandarum causa faciem locorum convertunt, ut ex arbore arbustum, aut ex sylva novale (*d*), aut aliquid ejusmodi faciunt, poena plectendi sunt, pro persona et conditione, et factorum violentia. l. 3. §. ult.

(*b*) V. l. 36. *de pigneratitia actione.*
(*c*) L. 11. *finium regundorum.*
(*d*) L. 39. *de verborum significatione.*

TITULUS XXII.

De collegis et corporibus.

SUMMARIA.

1. *Illicita sunt collegia sine permissu principis.*

1. Mandatis principalibus praecipitur praesidibus provinciarum, ne patiantur esse collegia sodalitia. l. 1.

In summa nisi ex senatusconsulti auctoritate (e), vel Caesaris, collegium vel quodcumque tale corpus coierit, contra senatusconsultum, et mandata, et constitutiones collegium (f) celebrant. l. 3. §. 1.

(e) V. *quod cujusque universi.*

(f) Sed permittitur ipsis cum dissolvuntur pecunias communes partiri. Pacta collegiorum servantur, ne quid ex publico corrumpant, l. ult. B. Bodin, *de republica.*

LIBER XLVIII.

TITULUS I.

De publicis judicis.

SUMMARIA.

1. *Capitale judicium est in quo poena, mors aut exilium: caetera sunt non capitalia.*
2. *Mortuo ante accusationem reo, perimitur accusatio.*
3. *Non admittantur duo invicem accusatores, et rei.*
4. *Infamiam irrogat publicum crimen.*
5. *Custodias audire debet judex, si qui sint dimittendi.*

1. Publicorum judiciorum quaedam capitalia, quaedam non capitalia (*a*). Capitalia sunt ex quibus poena, mors aut exilium (*b*) est, hoc est aquae et ignis interdictio: per has enim poenas eximitur caput de civitate. Nam caetera, non exilia, sed relegationes proprie dicuntur: tunc enim civitas retinetur. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria (*c*), aut in corpus aliqua coercitio poena est. l. 2.

2. Publica accusatio, reo vel rea ante defunctis, perimitur. l. 3. V. exceptionem, tit. seq. l. 20.

3. Si quis reus factus est, purgare se debet (*d*): nec

(*a*) L. 2. *de poenis.*
(*b*) Scilicet perpetuum, l. 39. *de jure fisci.*
(*c*) L. 2. et 21 *de poenis*, l. 103 *de verborum significatione.*
(*d*) *Recriminatio.*

ante potest accusare, quam fuerit excusatus. Constitutionibus enim observatur, *ut non relatione criminum, sed innocentia reus purgetur*. l. 5.

4. Infamem non ex omni crimine sententia facit, sed ex eo quod judicii publici causam habuit: itaque ex eo crimine, quod judicii publici non fuit, damnatum infamia non sequetur: nisi id crimen ex ea actione fuit, quae etiam in privato judicio infamiam condemnato importat: veluti furti, vi bonorum raptorum (*e*).l.7.

5. Feriatis diebus custodias (*f*) audire posse rescriptum est, ita ut innoxios dimittat, et nocentes qui duriorem (*) animadversionem indigent, differat. l. 12.

TITULUS II.

De accusationibus et inscriptionibus.

SUMMARIA.

1. *Accusator debet in crimen subscribere.*
2. *Inter reos non refertur absens Reipublicae causa.*
3. *Post mortem rei potest institui accusatio repetundarum et majestatis.*
4. *Ibi de crimine agitur ubi contractum est.*
5. *Mandator criminis reum non excusat, sed ipse fit reus.*
6. *Vel civili vel criminali judicio agere potest cui utrumque competit.*

1. Si cui crimen objiciatur, praecedere debet in crimen subscriptio. Quae res ad id inventa est, ne facile quis

---

(*e*) Idem de multa.
(*f*) Id est, custodia detentos.
(*) Duriore animadversione.

prosiliat ad accusationem (g), cum sciat inultam sibi accusationem non futuram. l. 7.

2. (Accusare non licet) eum qui reipubicae causa abfuerit, dum non retractandae legis causa abest. l. 12. V. l. 15. §. 1. ff. *ad leg. Jul. de adult.*

3. Ex judiciorum publicorum admissis non alias transeunt adversus haeredes poenae bonorum ademptionis, quam si lis contestata, et condemnatio fuerit secuta: excepto repetundarum, et majestatis judicio: quae etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur. Adeo ut D. Severus et Antoninus rescripserint, *ex quo quis aliquod ex his causis crimen contraxit, nihil ex bonis suis alienare, aut manumittere eum posse* (h). Ex caeteris vero delictis poena incipere ab haerede ita demum potest, si vivo reo accusatio mota est, licet non fuit condemnatio secuta. l. 20. V. s. tit. prox. l. 3. V. inf. *de leg. Jul. repet.* l. 2.

4. Alterius provinciae reus apud eos accusatur et damnatur, apud quos crimen contractum ostenditur. l. ultim. V. Tit. seq. l. 11.

5. Non ideo minus crimine, sive atrocium injuriarum judicio tenetur is qui in justam accusationem incidit, quia dicit alium se hujusmodi facti mandatorem habuisse. Namque hoc casu, praeter principalem reum mandatorem quoque ex sua persona conveniri posse, ignotum non est. l. 5. C. *eod.*

(g) Quia visum est temeritatem agentium etiam extraordinaria animadversione coercendam, l. ult. *de furtis.*

(h) L. 15. *de donationibus*, 41 *de solutionibus*, 46 §. 6 *de jur. fisci*, l. 15. *qui et a quibus manumissi*.

6. Quoties de re familiari et civilis et criminalis competit actio, utraque licet experiri, sive prius criminalis sive civilis actio moveatur. Nec sive civiliter fuerit actum, criminalem posse consumi: et similiter a contrario. Sic denique et per vim de possessione dejectus, si de ea recuperanda interdicto *unde vi* fuerit usus, non prohibetur tamen etiam lege Julia *de vi*, publico judicio instituere accusationem (*a*). l. un. C. *quando civ. act. crim. praejud.*

TITULUS III.

De custodia et exhibitione reorum.

SUMMARIA.

1. *An reus in carcerem mittendus sit, Judex aestimat, pro criminis et personae qualitate.*
2. *Fidejussor rei, qui eum non exhibet, pecunia plectitur.*
3. *Interrogandi rei de sociis et receptatoribus.*
4. *Perquirendi rei vicinorum magistratuum auxilio.*
5. *Carceri praepositi officium.*
6. *Remittitur reus ad suum Judicem cum elogio.*
7. *Rei nec diutius, nec durius in carcere detinendi.*
8. *Separandi sexus in carcere.*
9. *Reorum in carcere custodia et cura penes commentariensem.*
10. *In carcerem nonnisi jussu magistratus rei mittuntur.*
11. *Privatus carcer prohibitus.*

1. De custodia reorum Proconsul aestimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona. l. 1. Hoc

(*a*) V. l. 56. §. 1, et l. ult. *de furtis.*

autem vel pro criminis quod objicitur qualitate, vel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personae, vel pro dignitate ejus qui accusatur. d. l. 1.

2. Si quis reum criminis pro quo satisdedit, non exhibuerit, poena pecuniaria plectitur. l. 4.

3. Irenarchae cum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis et receptatoribus l. 6.

4. Solent praesides provinciarum, in quibus delictum est, scribere ad collegas suos ubi factores facinorosi agere dicuntur, et desiderare ut cum prosecutoribus ad se remittantur. l. 7.

5. Carceri praepositus si pretio corruptus, sine vinculis agere custodiam, vel ferrum, venenumque in carcerem inferri passus est, officio judicis puniendus est. l. 8.

6. Non est dubium, quin cujuscumque et provinciae homo qui ex custodia producitur, cognoscere debeat is qui ei provinciae praeest, in qua (provincia) (*b*) agitur. Illud a quibusdam observari solet, ut cum cognovit et constituit, remittat illum cum elogio (*c*) ad eum qui provinciae praeest, unde is homo est. Quod ex causa faciendum est. l. 11. d. l. §. 1.

7. Rei non diutius in custodia detinendi sunt, sed quanto citius aut puniendi, aut absolvendi. Nec vinculis, aut intima sede (*d*) cruciandi: sed pro modo criminis custodiendi. Nec ferenda custodum avaritia qui crudelitatem accusatoribus vendant. l. 1. Cod. *de custod. reorum.*

(*b*) V. l. ult. *de accusationibus.*
(*c*) *Informatione.*
(*d*) Intima sedes est locus ultimus carceris ubi nulla lux.

De his quos tenet carcer inclusos, id aperta definitione sancimus, ut aut convictos velox poena subducat, aut liberandos custodia diuturna non marceret. l. 5. C. *eod.*

8. Quoniam unum carceris conclave permixtos sexus criminosos includit, hac lege sancimus, ut etiamsi poenae qualitas permixtione jungenda est, sexu tamen dispares diversa claustrorum habere tutamina jubeantur. l.3.C.*eod.*

9. Ad commentariensem receptarum personarum custodia observatioque pertineat. l. 4. C. *eod.*

10. Neminem oportet injici custodiae absque jussione magistratuum. l. ult. C. *eod.*

11. Jubemus nemini penitus licere in quibuslibet provinciis, vel in agris suis aut ubicumque domini privati carceris exercere custodiam. l. 1. C. *de priv. carc. inhib.*

TITULUS IV.

Ad legem Juliam Majestatis.

SUMMARIA.

1. *Majestatis crimen est delictum in Principem, aut statum Reipublicae.*
2. *Non reus majestatis qui contra constitutionem Principis pronuntiavit.*
3. *Cogitationis poenam patitur reus majestatis.*
4. *Posteri reorum majestatis suas pro scelere paterno poenas sustinent.*
5. *Non facile in scelus majestatis vertendum quod leviter nec malo animo prolatum est.*
6. *In reos majestatis post mortem animadvertitur.*
7. *Ex crimine majestatis defunctorum memoria damnatur, bona publicantur.*

1. Majestatis crimen illud est, quod adversus Populum Romanum, vel adversus securitatem ejus committitur. l. §. 1.

2. Etiam ex aliis causis majestatis crimina cessant meo saeculo: nedum etiam admittam te paratum accusare judicem propterea crimine majestatis, quod contra constitutionem meam (eum) dicis pronunciasse. l. 1. C. *eod.*

3. Eadem severitate voluntatem sceleris qua effectum (in reis majestatis) puniri jura voluerunt. l. 5. C. *eod.* V. infr. *de poen.* l. 18. (*a*)

Propter cogitationem dignus est poena (*b*). l. 6. C. *eod.*

4. Filii vero (reorum majestatis) quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni hoc est haereditarii criminis exempla metuuntur) a materna(*c*), vel avita, omnium etiam proximorum haereditate ac successione habeantur alieni: testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuo egentes et pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniant: sint postremo tales, ut his perpetua agestate sordentibus, sit et mors solatium, et vita supplicium. l. 5. C. *eod.* V. inf. *de poen.* n. 42. (*d*).

5. Hoc tamen crimen a judicibus non in occasionem ob principalis majestatis venerationem habendum est,

---

(*a*) V. l. 1 *de extraordinariis criminibus.*

(*b*) Cogitationis ipsae criminosae sunt, 1 circa Principem, 2 circa Religionem, 3 circa Castitatem.

(*c*) Charitas enim parentum erga liberos parentes amiciores reipublicae reddidit.

(*d*) L. 2. §. 7. *de Decurionibus et filiis eorum.*

sed in veritate: nam et personam spectandam esse an potuerit facere, et an ante quid fecerit, et an cogitaverit, et an sanae mentis. *Nec lubricum linguae ad poenam facile trahendum est* (*e*): quamquam enim temerarii digni poena sint, tamen ut insanis illis parcendum est, si non tale sit delictum, quod vel ex scriptura legis descendit, vel ad exemplum legis vindicandum est (*f*). l. 7. §. 3.

6. Is qui in reatu decedit, integri status decedit: extinguitur enim crimen mortalitate, nisi forte quis majestatis reus fuit. Nam hoc crimine, nisi a successoribus purgetur, haereditas fisco vindicatur. l. ult.

7. Majestatis rei etiam post mortem tenentur, et confiscatur eorum substantia. Et post mortem hoc crimen moveri incipit, et memoria defuncti damnatur, et res ejus haeredibus auferuntur. Nam ex eo tempore quo hanc cogitationem subiit, propter cogitationem dignus est poena. l. 6. C. *eod.* l. penult. et ult. *eod.*

Post mortem nocentium hoc crimen inchoari potest. d. l. ult. C. *eod.*

(*e*) L. ult. C. *si quis Imperatori maledixerit.*
(*f*) Poenae propter exemplum infliguntur. V. Hobbes *de Cive*, 13 n. 16, Vide ad l. 3. §. 1 *de injuriis*,

TITULUS V.

Ad legem Juliam de adulteris coercendis

SUMMARIA.

1. *Lenocinii reus est maritus qui de adulterio uxoris lucrum facit.*
2. *Adulterium in nuptam, stuprum in virginem aut viduam.*
3. *Quiescens matrimonium adulterii accusatione turbare non licet.*
4. *Absentis uxor secundo nubere nunquam poterit, nisi probata viri morte.*
5. *In sponsa vindicatur adulterium.*
6. *Lenocinii tenetur cujus ope deprehensus in adulterio pecunia vel qua pactione se redemit.*
7. *Marito non licet uxorem adulteram occidere.*
8. *Adulterium capite vindicatur.*
9. *Adultera in monasterium detruditur.*
10. *Mortua adultera, probationes adulterii admittuntur propter causam dotis*

1. Lenocinii crimen lege Julia de adulteriis praescriptum est „ cum sit in eum maritum poena statuta, qui de adulterio uxoris suae quid ceperit. l. 2. §. 2.

2. Proprie adulterium in nupta committitur: propter partum ex altero conceptum composito nomine: stuprum vero in virginem, viduamve committitur: quod Graeci φθορὰν, idest, *corruptionem* appellant. l. 6. §. 1.

3. Ignorare non debuisti, durante eo matrimonio in quod adulterium dicitur esse commissum, non posse

mulierem ream adulterii fieri, sed nec adulterum interim accusare posse. l. 11. §. 10. in fine.

Costante matrimonio, ab eo qui extra maritum ad accusationem admittitur, accusari mulier adulterii non potest. Probatam enim a marito uxorem, et quiescens matrimonium non debet alius turbare, atque inquietare nisi prius lenocinii maritum accusaverit. l. 26.

4. Mulier, cum absentem virum audisset vita functum esse, alii se junxit, mox maritus reversus est. Quaero, quid adversus eam mulierem statuendum sit? l. 11. §. 12. Non licet mulieri quantocumque tempore vir adfuerit, alteri nubere: nisi certissimo mortuum esse virum legitimis probationibus constiterit. Nov. 117. c. 11.

5. Divi Severus et Antoninus rescripserunt, etiam in sponsa hoc idem vindicandum. Quia neque matrimonium qualecumque, nec spem matrimonii violare permittitur. l. 13. §. 3.

6. Is cujus ope, consilio, dolo malo factum est (a), ut vir faeminave in adulterio deprehensa, pecunia aliave pactione (b) se redimerent, eadem poena damnatur. l. 14.

7. Marito mulierem adulteram non est permissum occidere. l. 22. §. ult. Mariti calor et impetus facile decernentis, fuit refraenandus (c). d. §. V. l. 38. §. 8. eod. l. 1. §. 5. ff. *ad leg. Corn. de sic.*

8. Sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet. l. 30. f. C. *ad leg. Jul. de adulter.* (d).

(a) L. 18. C. *de transactionibus.*

(b) L. ult. *de praevaricat.*

(c) Patri autem occidere filiam permittitur, plerumque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit. d. l. 22. §. ult.

(d) Item sollicitatores et interpellatores, l. 10. *de extraordinariis criminibus.*

9. Adultera in monasterium detrudenda. Nov. 134. c. 10.

10. Propter dotis quaestionem, utrum in lucro marito cedat, an haeredibus mulieris (adulterae) restituatur, facultatem maritus habeat probationes adulterii praestare. l. 36. C. *ad leg. Jul. de adult.*

TITULUS VI.

Ad legem Juliam de vi publica.

SUMMARIA.

1. *De vi publica tenetur qui turbam cogit aut seditionem movet.*
2. *Capite puniuntur qui expugnant, aut rapiunt in turba cum telo.*
3. *Hac lege tenetur qui cum hominibus armatis possessorem dejecerit. Incendium fecerit, hominem incluserit, sibi obligaverit.*
4. *Prius de vi quam de proprietate aut possessione agendum.*
5. *Raptor mulieris capite punitur cum consciis et ministris criminis.*
6. *Armatus dicitur non telis solum, sed et iis quae nocere possunt.*

1. Lege Julia de vi publica teneatur, qui turbae seditionisve faciendae consilium inierint, aut homines in armis habuerint. l. 3. V. l. 10. *eod.*

2. In eadem causa sunt, qui pessimo exemplo, convocata seditione villas expugnaverint, et cum telis et armis bona rapuerint. l. 3. §. 2. (*e*)

(*e*) Neque turbae illicitae sunt sine armorum delatione, neque armorum delatio prohibita sine turbis.

Hi qui aedes alienas aut villas expilaverint, effregerint, expugnaverint, si quidem in turba cum telo fecerint, capite puniuntur. l. 11.

3. Eadem lege tenetur, qui cum hominibus armatis possessorem domo agrove suo, aut navi sua dejecerit, expugnaverit (concursu). l. 3. §. ult.

Qui coetu, concursu, turba, seditione, incendium fecerit, quique hominem dolo malo incluserit, obsederit. l. 5.

Quive per vim sibi aliquem obligaverit: nam eam obligationem lex rescindit. d. l. 5.

4. Si de vi et possessione, vel dominio quaeratur, ante cognoscendum de vi, quam de proprietate rei. l. 5. §. 1.

Prius de vi quaeratur quam de jure dominii, sive possessionis. d. §. inf.

Ante omnia violentiae causam examinari praecipimus, et in ea requiri, quis ad quem pervenerit possidentem: ut ei quem constiterit expulsum, amissae possessionis jura reparentur. l. 7. C. *eod.*

5. Qui vacantem (*a*) mulierem rapuit, vel nuptam, ultimo supplicio punitur. l. 5. §. 2.

Raptores virginum, sive jam desponsatae fuerint, sive non, vel quarumlibet viduarum faeminarum, pessima criminum peccantes, capitis supplicio plectendos decernimus. l. un. C. *de rapt. virg.*

Eadem paena tenentur qui eos comitati fuerit: item conscii, et ministri hujus criminis.

6. Armatos non utique eos intelligere debemus qui tela habuerunt, sed etiam qui aliquid quod nocere potest. l. 9.

(*a*) Viduam.

TITULUS VII.

Ad legem Juliam de vi privatâ.

SUMMARIA.

1. *Severissime puniuntur qui de naufragio aliquid diripuerint.*
2. *Ablatum sine turba, et nemine pulsato, vindicatur.*
3. *Creditor rem debitoris possidens non auctore judice, vel ipso debitore de vi tenetur.*
4. *Capite puniuntur qui vim facientem in causa possessionis occiderint.*
5. *Non dissimilia crimina receptoris, et raptoris.*

1. Ex constitutionibus Principum extra ordinem, qui de naufragiis aliquid diripuerint, puniuntur. Nam et Divus Pius rescripsit, nullam vim nautis fieri debere; et si quis fecerit ut severissime puniantur. l. 1. §. 2. (*b*).

2. Sed si nulli convocati, nullique pulsati sint, per injuriam tamen ex bonis alienis quid ablatum sit, hac lege teneri eum, qui id fecerit. l. 3. §. 2.

3. Creditores, si adversus debitores suos agant, per judicem in quod sibi deberi putant, reposcere debent. Alioquin, si in rem debitoris sui intraverint, id nullo concedente, Divus Marcus decrevit jus crediti eos non habere. Verba decreti haec sunt: *Optimum est* (*c*), *ut*

(*b*) De incendio, ruina, naufragio.

(*c*) L. 12. *quod metus causa*; l. 5. *de acquirenda vel amittenda possessione*; *de vi bonorum raptorum.* N. ult.

si quas putes te habere petitiones, actionibus experiaris. Interim ille in possessione debet morari, tu petitor es. Et cum Marcianus diceret, *Vim nullam feci;* Caesar dixit, *Tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur? Vis est et tunc, quoties quis id quod deberi si putat, non per judicem reposcit: non puto autem, nec verecundiae, nec dignitati tuae convenire quicquam non jure facere. Quisquis igitur probatus mihi fuerit nulla debitoris non ab ipso sibi traditam, sine ullo judice mere possidere, eumque sibi jus in eam rem dixisse, jus crediti non habebit.* l. 7. l. 5. C. *eod.*

4. Quoniam multa facinora sub uno violentiae nomine continentur, cum aliis vim inferre certantibus, aliis cum indignationi resistentibus, verbera caedesque crebro deteguntur admissae; placuit si forte quis ex possidentis parte, vel ex ejus qui possessionem temere tentaverit, interemptus sit, in eum supplicium exerceri, qui vim facere tentaverit, et alterutri parti causam malorum praebuerit: et non jam aut relegatione, aut deportatione insulae plectatur, sed supplicium capitale excipiat. l. 6. *C. eod.* (*d*).

5. Crimen non dissimile est rapere, et ei qui rapuit raptam rem, scientem delictum servare. l. 9. *C. eod.*

(*d*) V. titulum *de receptatoribus*, 48 §. 1. *de furtis.*

TITULUS VIII.

Ad legem Corneliam de sicariis et veneficiis.

SUMMARIA.

1. *Homicidiis auctores et participes hac lege tenentur.*
2. *Punitur qui cujuslibet conditionis hominem occiderit.*
3. *Qui nolens occidit absolvi potest.*
4. *Qui gladio stricto percutit vult occidere: qui in rixa clave percutit, casu magis quam voluntate occidit.*
5. *Venena parans, aut vendens ad homicidam, plectitur.*
6. *Non temere vendenda venena.*
7. *Capite puniuntur homicidae.*
8. *Incendiarius capite plectitur.*
9. *Infans et furiosus si occiderint excusantur.*
10. *Crimen facit voluntas non solus exitus.*
11. *Is occidit qui dat causam mortis.*
12. *Mandator caedis homicida est.*
13. *Cujus ictu homo in rixa perierit spectandum.*
14. *Crimen voluntas non casus facit.*
15. *Gravius gladio venenum.*
16. *Qui magicis artibus vitae insidiantur, aut pudori, capite puniendi.*
17. *Aruspices, arioli, magi capite plectendi.*
18. *Illicita nec discere licet nec docere.*

1. Lege Cornelia de sicariis et veneficiis tenetur qui hominem occiderit. *l.* 1. Praetera tenetur, qui hominis necandi causa venenum confecerit, dederit; quive fal-

sum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur; quive cum magistratus judexve questionis ob capitalem causam, pecuniam acceperit, ut publica lege reus fieret. l. §. 1.

2. Qui hominem occiderit, punitur, non habita differentia cujus conditionis hominem interemit. *l.* 1. §. 2.

3. Divus Hadrianus rescripsit, eum qui hominem occidit, si non occidendi animo hoc admisit, absolvi posse. l. 1. §. 3.

4. Si gladium strinxerit et in eo percusserit, indubitate occidendi animo id eum admisisse. Sed si clavi percussit, aut cuccuma (*a*) in rixa, quamvis ferro percusserit, tamen non occidendi animo, leniendam poenam ejus, qui in rixa causa (*) magis, quam voluntate homicidium admisit. d. §. 3.

5. Qui venenum necandi hominis causa fecerit, vel vendiderit, vel habuerit, plectitur. *l.* 3.

6. Pigmentarii (*b*), si cui temere (*c*) venena dederint, poena teneantur hujus legis. *l.* 3. §. 3. (*d*).

7. Solent hodie (sicarii et venefici) capite puniri. *l.* 3, §. 5. (*e*)

8. Si quis dolo insulam meam exusserit, capitis poena plectetur, quasi incendiarius. *l.* 10.

9. Infans vel furiosus, si hominem occiderint, lege

(*a*) Gensis vans.
(*) Casu.
(*b*) Pharmacopolae.
(*c*) Facilius.
(*d*) * *Lex* 3 §. 2. *ait*: Relegatur qui potionem concipiendi causa dedit, licet non malo animo, sed malo exemplo, si ea quae sumpsit decesserit.
(*e*) * *Lex* 7. *ait*: In hac lege dolus pro facto accipitur: nec lata culpa pro dolo accipitur. V. quod dixi ad tit. *de suspectis tutoribus*.

Cornelia non tenentur: cum alterum innocentia consilii tuetur; alterum fati infelicitas excusat (*f*). *l.* 12.

10. In maleficiis voluntas spectatur, non exitus. *l.* 14. V. n. 14.

11. Nihil interest, occidat quis, an causam mortis praebeat. *l.* 15.

12. Ο *ντειλαμενος τινι φονευσαι, ως φο ερος κρινεται*, id est, mandator caedis, pro homicida habetur. *l.* 15, §. 1.

13. Si in rixa percussus homo perierit, ictus uniuscujusque in hoc collectorum contemplari oportet. *l. ult.*

14. Crimen contrahitur, si et voluntas nocendi intercedat. Caeterum ea quae ex improviso casu potius quam fraude accidunt, fato plerumque, non noxae imputantur. *l.* 1, *in f. C. eod. l.* 5. *eod.*

15. Plus est hominem extinguere veneno, quam occidere gladio. *l.* 1. *C. de malef. et math.*

16. Eorum est scientia punienda (*g*), et severissimis merito legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliri, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse (*h*), detegentur. *l.* 4. C. *de malef. et math. V. n. seq.*

17. Nemo aruspicem consultet, aut mathematicum, nemo ariolum. Augurum et vatum prava confessio conticescat. Chaldei ac magi, et caeteri quos maleficos, ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo

---

(*f*) Sufficit eum furore ipso puniri, l. 9 §. 2 *de lege Pompeja de parricidiis*, l. 14 *de officio Praesidis.*

(*g*) Bonum hoc amatorium sine medicamento, carmine, vel herba, si vis amari, ama. Senec. 1 Epist. 9.

divinandi curiositas. Etenim supplicio capitis ferietur, gladio ultore prostratus, quicumque jussis (nostris) obsequium denegaverit. *l.* 5. *C. eod.*

18. Culpa similis est tam prohibita discere, quam docere. *l.* 8. *C. eod.*

TITULUS IX.

De lege Pompeia de parricidiis.

SUMMARIA.

1. *Parricidii tenentur qui parentes, liberos, aut ejus affectionis personas quae nuncupatione parricidii continentur occiderit.*
2. *Conscius parricidii pari poena afficitur.*

1. Si quis parentis, aut filii, aut omnino adfectionis ejus quae nuncupatione parricidii continetur, fata properaverit, sive clam, sive palam id enisus fuerit, poena parricidii puniatur. *l.* 1. *C. de his qui par. vel. lib. occid. V. l.* 1. *ff. h. l.* 9. *eod.*

2. Utrum qui occiderunt parentes, an etiam conscii poena parricidii adficiantur, quaeri potest. Et ait Maecianus, etiam conscios eadem poena adficiendos, non solum parricidas. Proinde conscii etiam extranei eadem poena adficiendi sunt (*a*). *l.* 6.

(*a*) * *Lex* 6 *habet quod* Patria potestas in pietate non in atrocitate consistit. *Lex* 1 §. *ultimo*, de liberis exhibendis, *ait* : Ita tamen ut patri persuadeatur ne acerbe patriam potestatem exerceat.

TITULUS X.

De lege Cornelia de falsis, et de Senatusconsulto Liboniano.

SUMMARIA.

1. *Falsae testationes et testimonia poena falsi vindicantur.*
2. *Testamento subjiciens, vel corrumpens falsi tenetur.*
3. *Qui falsum testamentum ignorans probavit, falsum dicere non prohibetur.*
4. *Qui nummos adulterant, aut radunt, eorumque conscii, falsi tenentur, et capite plectuntur.*
5. *Quod ad haeredem ex falso defuncti pervenit ei aufertur.*
6. *Aliud mutare nomen, aliud falsum nomen assumere. Hoc illicitum, illud licitum.*
7. *Falsum fit in omni re, dum quid sit contra fidem veri.*
8. *Qui idem duobus distraxit falsi tenetur.*
9. *Falsus est qui alienum chirographum imitatur.*
10. *Qui adversantia sibi testimonia pretulit, falsi reus est.*
11. *Praelato pignoris die falsum admittitur.*
12. *Mensuras et pondera qui falsant, puniuntur.*
13. *Capitalis causa subjecti partus.*
14. *Falsum objiciens debitor interim ad solvendum compellitur.*
15. *Falsi non accusantur parentes, sed veritatis probationes admittuntur.*
16. *Non facile admittitur falsi accusatio contra fidem*

instrumentorum de quibus antea suspectis transactum est.

17. *Non absolvitur falsi reus quod uti nolet falso instrumento, si illud ipse composuerit.*

18. *Pleraque crimina annorum viginti praescriptione extinguuntur.*

19. *Falsi reus est qui testamentum celat.*

20. *Variis probationibus officio Judicis, veritas prudenter inquirenda.*

1. Poena legis Corneliae irrogatur ei qui falsas testationes faciendas, testimoniave falsa inspicienda, dolo malo conjecerit (*). *l.* 1.

2. Qui testamentum amoverit, celaverit, eripuerit, deleverit, interleverit, subjecerit, resignaverit; quive testamentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, dolo malo; cujusve dolo id factum erit, legis Corneliae poena damnatur. *l.* 2, *l.* 9, §. 3.

3. Qui ignorans falsum esse testamentum, vel haereditatem adiit, vel legatum accepit, vel quoquo modo agnovit, falsum testamentum dicere non prohibetur (*b*). *l.* 3, *C. eod.*

4. Quicumque nummos aureos (*c*) partim raserit, partim tinxerit, vel finxerit, summo supplicio affici debet. *l.* 8.

Lege Cornelia cavetur, ut qui in aurum vitii quid

(*) Coegerit.

(*b*) L. 14 C. *de inofficioso testamento*, l. 5. *de his quae ut indignis auferuntur*. Non datur exceptio rei petitorem sua actione depellentis, in falso.

(*c*) Idem si argenteos. Paul. 5 Sent. 25 §. 1 contra poena non extenditur secundum quosdam.

addiderit, qui argenteos nummos adulterinos flaverit, falsi crimine teneri. Eadem poena afficitur etiam is qui, cum prohibere tale quid posset, non prohibuit. *l.* 9, *d. l.* §. 1. V. *l.* 8.

Qui ad hoc ministerium praebuerint, cum eo qui fecit, supplicio capitali plectuntur. *l.* 1. *C. de fals. mon.*

5. Cum falsi reus ante crimen illatum, aut sententiam dictam, vita decedit, cessante Cornelia, quod scelere quaesitum est, heredi non relinquitur. *l.* 12.

6. Falsi nominis vel cognominis adseveratio poena falsi coercetur *l.* 13. (*d*).

Nominis mutatio, sine fraude, non est illicita. *l. un. C. de mutat. nom.*

7. Paulus respondit, legis Corneliae poena omnes teneri, qui etiam extra testamenta caetera falsa signassent. Sed et caeteros qui in rationibus, tabulis, litteris publicis, aliave qua re, sine consignatione falsum fecerunt, vel ut verum non appareat, quid celaverunt (*e*), subjecerunt, resignaverunt, eadem poena affici solere dubium non esse. *l.* 16, §. 1. *et* 2.

8. Qui duobus in solidum eandem rem diversis contractibus vendidit, poena falsi coercetur. Et hoc et Divus Hadrianus constituit (*a*). *l.* 21.

9. Quid sit *falsum* quaeritur: et videtur id esse, si

(*d*) *Lex* 14. §. 1 potest applicari ad Curatum, ac Tabellionem qui legatum scribit pro se simul et pro alio: ipsa decidit quod nullum sit.

(*e*) *Lex* 19, §. 7. *habet*: Accusatio suppositi partus nulla temporis praescriptione depellitur: nec interest decesserit necne quae partum subdidisse contenditur. Cujacius autem ait praescribi per viginti annos, scilicet quoad poenam.

(*a*) Adjungitur et is qui judicem corrumpit; sed remissus puniri solet eod. Causa cadere debet qui in corruptelam judicis spem victoriae reposuerit, l. 1 C. *de poena judicis qui male judicavit.*

quis alienum chirographum imitetur, aut libellum vel rationes intercidat vel describat. Non qui alias in computatione, vel in ratione mentiuntur. *l.* 23. *(b)*.

10. Eos qui diversa inter se testimonia praebuerunt, quasi falsum fecerint, et praescripto legis teneri pronuncial. Et eum qui contra signum falsum suum praebuit testimonium (*c*), poena falsi teneri pronunciatum est: de impudentia ejus qui diversa duobus testimonia praebuit (*d*), cujus ita anceps fides vacillat (*e*); quod crimine falsi teneatur, nec dubitandum est. *l.* 27, *d. l.* §. 1.

11. Si a debitore, praelato die (*f*), pignoris obligatio mentiatur, falsi crimine (*) locus est. *l.* 28.

12. Decreto Divi Hadriani praeceptum est, in insulam eos relegari qui pondera aut mensuras falsassent (*g*). *l.* 32. §. 1.

13. Capitalis est causa subjecti partus (*h*). *l.* 1. *C. eod.*

(*b*) Non qui mentitur.

(*c*) Nec fides vili testimonio adhibetur contra Guidonem Papam qui ait testem in secunda depositione videri corruptum. Quid de iis qui contraria consulunt?

(*d*) Qui se pro milite gessit, vel illicitis insignibus usus est, vel falso diplomate vias commeavit, puniendus est, §. 2 l. 137 §. 2 *de verborum obligationibus.*

(*e*) L. 23 *de testibus.*

(*f*) Antidare *προχρονίζομαι*. Proferre diem. Repetere. Antevertere. Referre. Anticipare, l. 33. *de receptis*, l. 3. §. 2 *de edendo*, tit. 2. §. 6. *testamenta quemadmodum aperiantur.*

(*) Crimini

(*g*) V. l. 6. §. 1 *de extraordinariis criminibus*, ubi dicitur: onerant annonam etiam staterae adulterinae, quo casu lex Cornelia locum habet.

(*h*) Nec praescriptione tollitur aut morte, l. 19. §. 1. supra.

Lex 30 §. 1 *ait*: De partu supposito soli accusant parentes, aut ii ad quos ea res pertinet, non quilibet e populo. V. C. l. 1. §. 13. *de inspiciendo ventre.* Ubi dicitur: Publice interest partus non subjici, ut ordinum dignitas familiarumque salva sit. Propterea hac via nobilis e plebeo evadet.

14. Satis aperte Divorum parentum meorum rescriptis declaratum est, cum morandae solutionis gratia a debitore falsi crimen objicitur (*i*), nihilominus, salva executione criminis, debitorem ad solutionem compelli oportere. *l.* 2, *C. eod.*

15. Falsi quidem crimen, vel aliud capitale movere vos matri vestrae, secta mea non patitur; sed ea res pecuniarum compendium non aufert. Si enim de fide scripturae, unde eadem mater vestra fideicommissum sibi vindicat dubitatio est, inquiri fides veritatis, etiam sine metu criminis potest. *l.* 5. *C. eod.*

16. Ipse significas (*k*), cum primum adversarii instrumenta protulerunt, fidem eorum te habuisse suspectam. Facta igitur transactione, difficile est, ut is qui provinciam regit, velut falsum cui semel acquievisti, tibi accusare permittat. *l.* 7. *C. eod.*

17. Si falsos codicillos ab his contra quos supplicas, factos esse contendis, non ideo accusationem evadere possunt, quod se illis negent uti. Nam illis prodest instrumenti usu abstinere (*l*) qui non ipsi falsi machinatores esse dicuntur, et quos periculo solus usus adstrinxerit.

Qui autem compositis per scelus codicillis, in severitatem legis Corneliae inciderunt, non possunt, defensiones ejus recusando, crimen evitare. l. 8. C. *eod.*

(*i*) Datur provisio titulo, quando hic est authentico, secus si est sub privata subscriptione.

(*k*) Qui falsas tabulas dixerit nec obtinuerit ad defuncti judicium adspirare non potest, *l.* 6 *C. eod.* scilicet si legatarius falso accusaverit haeredem falsi. V. l. 5 §. 7 et 8 l. 7 *de his quae ut indignis*

(*l*) Nemo enim tali peccato poenitentia sua nocens esse desinit, l. 61 *de furtis.*

18. Querela falsi temporalibus praescriptionibus non excluditur (*a*) nisi viginti annorum exceptione: sicut caetera quoque fere crimina (*b*). l. 12. C. *eod.*

19. Eum qui celavit vel amovit testamentum, committere crimen falsi publice notum est. l. 14. C. *eod.*

20. Ubi falsi examen inciderit, tunc acerrima fiat indago argumentis, testibus, scripturarum collatione (c), aliisque vestigiis veritatis: nec accusatori tantum quaestio incumbat; nec probationis ei tota necessitas indicatur: sed inter utramque personam sit judex medius: nec ulla interlocutione divulget quae sentiat (*d*). Sed tanquam ad imitationem relationis, qua solum audiendi mandat officium, praebeat notionum: postrema sententia, quid sibi liceat, proditurus. l. 22. C. *eod.*

TITULUS XI.

De lege Julia repetundarum.

SUMMARIA.

1. *Repetundarum tenentur, qui quo magis aut minus ex officio suo faciant, aliquid accipiunt.*
2. *Haec actio datur in haeredes.*
3. *Haec actio datur in judicum comites.*
4. *Dux repetundarum reus in Provinciam eat cum custodia, damnandus ex suo et ministrorum delicto.*

(*a*) Praescriptio criminum. V. l. 2 §. 1 et l. 3. infra, *de requirendis reis.*

(*b*) Ratio depromi potest ex versu Petronii:
Et pavido cernunt inclusum corde tribunal.
Dii immortales quam male est extra legem viventibus! quidquid meruere semper expectant. V. l. 25 *de poenis.*

(*c*) V. n. 73.

(*d*) Officium judicis facere.

1. Lex Julia repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas quis in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, ministeriove publico cepit: vel cum ex cohorte cujus eorum est. l. 1.

Lege Julia repetundarum tenetur, qui cum aliquam potestatem haberet, pecuniam ob judicandum, decernendumve acceperit: vel quo magis aut minus quid ex officio suo faceret. l. 3. et 4.

Omnes cognitores et judices a pecuniis atque patrimoniis manus abstineant, neque alienum jurgium putent suam praedam. l. 3. C. *ad leg. Jul. repet.*

Datur ex hac lege et in haeredes actio. l. 2.

Sciant judices super admissis propriis aut a se, aut ab heredibus suis poenam esse repetendam. l. 2. C. *ad leg. Jul. repet.* (e)

V. inf. *ad leg. Jul. pecul. l. ult.*

3. In comites quoque judicum ex hac lege judicium datur. l. 5. V. s. l. 1.

4. Ut unius poena, metus possit esse multorum (f) ducem qui male egit ad provinciam quam nudaverit, cum custodia competenti ire praecipimus: ut non solum quod ejus, non dicam domesticus, sed manipularius, et minister acceperit, verum etiam quod ipse a Provincialibus nostris rapuerit aut sustulerit, in quadruplum exsolvat invitus. l. 1. C. *eod.*

(e) Contra si judex litem suam faciat, l. 16 *de judiciis.*
(f) L. 31. Depositi. Hobbes, *de Cive*, 13 16 l. 7. §. 3 *ad legem Juliam majestatis*, l. 16 §. ult. *de poenis.*

TITULUS XII.

De lege Julia de annona.

SUMMARIA.

1. *Plectuntur qui id agunt ut carior annona fiat.*

1. Lege Julia de annona poena statuitur adversus eum, qui contra annonam fecerit, societatemve coierit, quo annona carior fiat (*g*). l. 2.

TITULUS XIII.

Ad legem Juliam peculatus, et de sacrilegiis, et de residuis.

SUMMARIA.

1. *Peculatum admittit qui pecuniam publicam intervertit.*
2. *De residuis tenetur qui delegatam pecuniam publicam non erogaverit.*
3. *Sacrilegii digna poena puniendi.*
4. *Judicia peculatus de residuis, et repetundarum in haeredes transeunt.*

1. Lege Julia peculatus cavetur, ne quis ex pecunia sacra, religiosa, publicave auferat, neve intercipiat; neve in rem suam vertat, neve faciat quo quis aufeat, intercipiat, vel in rem suam vertat. l. 1.

2. Lege Julia de residuis tenetur qui pubblicam pe-

(*g*) Dardanarii. V. l. 6 *de extraordinariis criminibus.*

cuniam, delegatam in usum aliquem, retinuit, neque in eum consumpsit. l. 2.

Lege Julia de residuis tenetur is apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, ex pecunia quam accepit, aliave qua causa pecunia publica resedit. Sed et qui pecuniam publicam in usu aliquo acceptam retinuerit, nec erogaverit, hac lege tenetur. l 4. §. 3. et 4.

3. Mandatis cavetur de sacrilegiis, ut Praesides sacrilegos, latrones, plagiarios conquirant et ut prout quisque deliquerit, in eum animadvertant. Et sic constitutionibus cavetur, ut sacrilegi extra ordinem digna poena puniantur (*a*). l. 4. §. 2.

4. Publica judicia peculatus, et de residuis, et repetundarum, similiter adversus haeredem exercentur: nec immerito, cum in his quaestio principalis ablatae pecuniae moveatur (*b*). l. ult.

TITULUS XIV.

De lege Julia ambitus.

SUMMARIA.

1. *Punitur ambitus magistratus, et sacerdotii.*

1. Si contra hanc legem magistratum, aut sacerdotium quis petierit; per senatusconsultum centum aureis cum infamia punitur. (*c*) l. 1. §. 1.

(*a*) L. 7. *ait*: Praescriptione quinquennii crimen peculatus tollie

(*b*) Sacrilegii instar est dubitare an is dignus sit quem elegerit Imperator. *L.* 3. C. *de sagrileg.*

(c) §. *ult. ait*: Reus et accusator non poterant ingredi domum judicis. *Cujacius*, 6 *ob.* 38.

TITULUS XV. *De lege Fabia de plagiariis.*

TITULUS XVI.

Ad Senatusconsultum Turpillianum, et de abolitionibus criminum.

SUMMARIA.

1. *Tria accusatorum delicta; calumnia, praevaricatio, tergiversatio.*
2. *Calumnia dignoscitur ex consilio accusatoris.*
3. *Penes judicem facti quaestio.*
4. *Praevaricatur qui colludit cum reo, probationes dissimulans, falsas excusationes admittens.*
5. *Appellatio extinguit condemnationem.*
6. *Calumniatores plectendi.*
7. *Abolitio reis quibusdam indulgetur ob diem insignem.*
8. *Indulgentia notat liberatos.*

1. Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, et tribus poenis subjicitur. Aut enim calumniantur, aut praevaricantur, aut tergiversantur. *Calumniari*, est falsa crimina intendere: *praevaricari*, vera crimina abscondere (*d*): *tergiversari*, in universum ab accusatione desistere. l. 1, d. l. §. 1.

2. Non utique qui non probat quod intendit, protinus calumniari videtur. Nam ejus rei inquisitio arbi-

(*d*) Aut colludere cum reo, l. 1 §. 6.

trio cognoscentis committitur; qui, reo absoluto, de accusatoris incipit consilio quaerere: qua mente ductus ad accusationem processit; et si quidem justum ejus errorem repererit, absolvit eum: si vero in evidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam poenam ei irrogat. l. 1. §. 3.

3. Facti quaestio in arbitrio est judicantis (*e*). l. 1. §. 4.

4. Praevaricatorem eum esse ostendimus, qui colludit cum reo; et translatitie (*f*) munere accusandi defungitur: eo quod proprias quidam probationes dissimularet, falsas vero (rei) excusationes admitteret. l. 1. §. 6.

5. Provocationis remedio, condemnationis extinguitur pronunciatio (*g*). l. 1. §. ult. in fine.

Si quis, cum capitali poena vel deportatione damnatus esset, appellatione interposita, et in suspenso constituta, fati diem functus est, crimen morte finitum est, idem observatur et si accusator, pendente appellationis tempore, ultimum diem obiisset (*a*). l. ult. C. *si reus vel accus. mort. fuer.*

6. Et in privatis, et in extraordinariis criminibus omnes calumniosi extra ordinem pro qualitate admissi plectuntur. l. 3.

Et qui coeperit arguere, aut vindicta proposita sit i si vera detulerit; aut supplicium, si fefellerit. l. 7. in fin. C. *de calumn.*

(*e*) Facti quando est in potestate judicantium, juris autem auctoritas non est, l. 15. *ad municip.* l. 7. C. *de fideicommissis.*

(*f*) Perfunctoriae.

(*g*) In civilibus suspenditur dumtaxat.

(*a*) L. 2 §. 2 *de poenis.*

7. Abolitio aut publice fit, ob diem insignem aut publicam gratulationem, vel ob rem gestam. l. 8. l. 9. V. l. 12.

Abolitio reorum quae publice indulgetur, ad crimen falsi non pertinet. l. 17. in fine.

8. Indulgentia quos liberat, notat. (*b*). l. ult. C. *de gener. abol.*

TITULUS XVII.

De requirendis, vel (*) *absentibus damnandis* (**)

SUMMARIA.

1. *Viginti annis fiscus a bonis reorum excluditur.*
2. *Defensioni reorum non praescribitur.*
3. *Reorum absentium bona obsignantur, et moventia distrahuntur: debitoribus denunciatur, ne iis solvant.*

1. Si per viginti annos fiscus bona non occupaverit, postea prescriptione, vel ab ipso reo (*c*), vel ab haeredibus ejus summovebitur. Quamcumque enim quaestionem apud fiscum, si non alia sit praescriptio, viginti annorum silentio praescribi divi principes voluerunt. l. 2. §. 1. et l. 3.

2. In summa sciendum est, nulla temporis praescri-

(*b*) Suntne infames juris et facti?

(*) Nec V. l. 1 h.

(**) Divi Severi et Antonini Magni rescriptum est ne quis absens puniatur; et hoc jure utimur ne absentes damnentur, neque enim inaudita causa quemquam damnari aequitatis ratio patitur, l. 1.

(*c*) Propter, l. 12 C. *ad legem Corneliam de falsis.*

ptione, a causae defensione submoveri eum, qui requirendus adnotatus est (d). l. 4. §. 2.

3. Requirendorum bona obsignantur . . . moventia si qua sunt, ne aut mora deteriora fiant, aut aliquo modo intereant, venire debent . . . . inter moventia fructus quoque habentur. . . . curandum est, ne quid ei qui profugit, medio tempore a debitoribus ejus solvatur, ne per hoc fuga ejus instruatur (e). l. ult. §. 1. 2. et 3.

TITULUS XVIII.

De quaestionibus.

SUMMARIA.

1. *Non incipiendum a tormentis, nec adeo fides adhibenda quaestioni.*
2. *Confessio rei sola in facinoribus probationem non facit.*
3. *Tributa reipublicae nervi.*
4. *Quaerere debet Judex non an Titius homicidium fecerit, sed quis fecerit.*
5. *Fallax quaestio, eique causa cognita, fides habenda aut non habenda.*
6. *Modus a judice in quaestionibus adhibendis.*
7. *Non torquetur impubes.*

(d) Quia defensio est juris naturalis et praescriptio juris civilis. Jus autem civile non potest corrumpere jura naturalia, l. 8. *de capite minutis.*

(e) V. l. 41 *de solutionibus.*

8. *Rei vox, constantia, trepidatio in excutienda veritate conferunt.*
9. *Repeti potest quaestio ex novis indiciis.*
10. *Ex pluribus reis prior audiendus timidior, vel tenerae aetatis.*
11. *Ubi reus argumentis non urgetur, non facile veniendum ad tormenta.*
12. *Non in poenam quaestio habetur.*
13. *Faeminae torquentur.*
14. *Reo accusanti non facile credendum.*
15. *Ad tormenta non veniendum nisi ex certis indiciis.*

1. In criminibus eruendis quaestio adhiberi solet. Sed quando, vel quatenus id faciendum sit, videamus. Et non esse a tormentis incipiendum, et Divus Augustus constituit, neque adeo quaestioni fidem adhibendam. l. 1. V. n. 5. et n. 1.

2. Divus Severus rescripsit, confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportet, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat (*f*). l. 1. §. 17. Si quis ultro de maleficio fateatur, non semper ei fides adhibenda est: nonnunquam enim aut metu, aut qua alia de causa in se confitentur. l. 1. §. 27.

3. In tributis (*g*) Reipublicae nervi (*h*). l. 1. §. 20.

(*f*) Non auditur perire volens.

(*g*) Tacitus, l. Hist. ult. et 13 Annal. *ait*: Nam neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi possunt; dissolutionemque Imperii sequi sublatis stipendiis et fructibus quibus Respublica sustinetur. Unde servus torquetur in crimine fraudati vectigalis adversus dominum. Cujac. 6. ob. 19 Boug. l. H. n. 8.

(*h*) L. C. h. t. l. 53 *de judiciis*, *l.* 25 *de administratione et periculo tutorum.*

Qui quaestionem habiturus est, non debet specialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium fecerit, sed generaliter quis id fecerit: alterum enim magis suggerentis (*a*), quam requirentis videtur. l. 1. §. 21.

5. Quaestioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam, constitutionibus declaratur. Etenim res est fragilis, et periculosa, et quae veritatem fallat. Nam plerique patientia, sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia, ut in quovis mentiri, quam pati tormenta velint. Ita fit, ut etiam vario modo fateantur, ut non tantum se, verum etiam alios criminentur. Praeterea inimicorum quaestioni fides haberi non debet, quia facile mentiuntur: nec tamen sub pretextu inimicitiarum detrahenda erit fides quaestionis. Causaque cognita, habenda fides, aut non habenda. l. 1. §. 23. 24. 25.

6. Quaestionis modum magis est judices arbitrari oportere. Itaque quaestionem habere oportet, ut servus salvus sit vel innocentia, vel supplicio l. 7.

Tormenta adhibenda sunt ut moderatae rationis temperamenta desiderant. l. 10. §. 3.

7. De minore quatuordecim annis quaestio habenda non est. l. 10. V. l. 1. §. 33. ff. *de Senat. Silan.*

8. Plurimum quoque in excutienda veritate etiam vox ipsa et cognitionis subtilis diligentia adfert: nam et ex sermone, et ex eo, qua quis constantia (*b*), qua trepidazione quid diceret, vel cujus existimationis quisque

---

(*a*) *Suggestio.*
(*b*) Quo vultu.

in civitate sua est, quaedam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt. l. 10. §. 5.

9. Repeti posse quaestionem divi fratres rescripserunt. (c). l. 16.

Reus evidentioribus argumentis oppressus, repeti in quaestionem potest; maxime si in tormenta animum corpusque duraverit. l. 18. §. 1.

10. Unius facinoris plurimi rei audiendi sunt, ut ab eo primum incipiatur, qui timidior est, vel tenerae etatis videtur. l. 18.

11. In ea causa in qua nullis reus argumentis urgebatur, tormenta non facile adhibenda sunt, sed instandum accusatori, ut id quod intendat, comprobet atque convicat (d). l. 18. §. 2.

12. Quaestionis habendae causa neminem esse damnandum, D. Hadrianus rescripsit. l. 21.

13. Ipsa quoque mulier torquebitur. Neque enim aegre feret, si torqueatur quae venenis suis viscera hominis extinxit. l 3. §. 1. C. eod.

14. Convictis confessisque ad societatem scelerum vocationibus eos a quibus apprensi custoditive sunt (e) facile credi non oportet. l. 4. C. eod.

15. Oportet judices, nec in his criminibus, quae publicorum judiciorum sunt, ad investigationem veritatis a tormentis initium sumere; sed argumentis primum verisimilibus probabilibusque uti. Et si his velnti certis indiciis ducti, investigandae veritatis gratia, ad tormenta putaverint esse veniendum, tum id demum facere debebunt. l. 8. §. C. eod.

(c) Contra vero apud nos.
(d) *Lex* 10 *habet*, Testimonium non oportere unius hominis admitti ut quaestio habeatur.
(e) Testamenta in morte valde incerta.

TITULUS XIX.

De poenis.

SUMMARIA.

1. *Qui non habet in aere, luat in corpore.*
2. *Damnatio capitalis ea est, quae vitam aut civitatem adimit.*
3. *Non habetur pro damnato qui provocavit, nec qui ab eo damnatus est qui jus non habuit.*
4. *Nec supplicium, nec quaestio de praegnante sumitur.*
5. *Exilio non obtemperans majori poena plectitur.*
6. *Solus Princeps ab exilio revocat.*
7. *Nemo ex suspicione damnandus.*
   Satius non puniri reum, quam innocentem damnari.
8. *Multum refert an casu quis deliquerit an consulto.*
9. *Non audiendus, qui ut supplicium eludat, dicit habere se aliquid quod Principi referat.*
10. *Variae poenae, mors, exilium, coercitio corporis, damnum cum infamia, dignitatis depositio, actus prohibitio.*
11. *Non ad poenam, sed ad custodiam carcer habetur.*
12. *Advocationis et fori interdictio.*
13. *Interdictio a negotiatione vel conductione eorum quae publice locantur.*
14. *Nec durius, nec remissius in poenis statuendum.*
15. *Delinquitur proposito, impetu, casu.*
16. *Judex criminis pro arbitro poenam statuit vel graviorem, vel leviorem, dum modum servet.*
17. *Puniuntur facta, dicta, scripta, consilia, ex circumstantiis — Causae, — Personae, — Loci, — Temporis, — Qualitatis, — Quantitatis, — Eventus.*

18. *Aliter enim plectitur qui vulneraverit morte secuta, quam non secuta.*
19. *Gravius quaedam crimina in quibusdam Provinciis puniuntur.*
20. *Propter exemplum ob frequentiam exacerbatur supplicium.*
    Qui civitate propter crimen privati sunt, non habent quae sunt juris civilis.
21. *Cogitationis non est poena.*
22. *Sola mors ultimum supplicium.*
23. *Poenis impares propter aetatem, aut valetudinem, dimitti possunt*: aut poena commutanda.
24. *Diu passus in reatu poterit mitius puniri.*
25. *Criminis paterni macula filio non infligitur.*
26. *Judex non potest mutare sententiam, sed appellandum, aut ad Principem recurrendum.*
27. *Gravius vindicantur admissa in propinquos.*
28. *Venenum capite vindicatur.*
29. *Incendiarii capite plectuntur.*
30. *Incendium ex negligentia civiliter exercetur, aut modice vindicatur.*
31. *Ibi supplicium ubi scelus.*
32. *Famosi severius puniendi.*
33. *Quae leges specialem poenam continent, generali sanctione non vindicantur.*
34. *Ubi in poenis interpretatione opus est, poenae molliendae sunt.*
35. *Conceptionis tempus favore partus spectandum, matre damnata.*
36. *Ætas non excusat criminis capacem.*
37. *Poenae non facile remittendae ne impunitas malo exemplo sit.*

38. *Non damnandus ea capitali poena qui plenissime non sit convictus.*

39. *Facies criminis inscriptione non maculanda.*

40. *Non differenda reorum condemnatio.*

41. *Alieni sceleris poenam nemo sentiat.*

42. *Mulcta non infamat.*

1. Generaliter placet in legibus publicorum judiciorum, vel privatorum criminum, qui extra ordinem cognoscunt Praefecti vel Praesides, ut eis, qui poenam pecuniariam egentes eludunt, coercitionem extraordinariam inducant (*a*). l. 1. §. ult.

2. Rei capitalis damnatum sic accipere debemus, ex qua causa damnato vel mors, vel etiam civitatis amissio contingit. l. 2. (*b*).

Qui ultimo supplicio damnantur, statim civitatem perdunt. Itaque praeoccupat (c) hic casus mortem. l. 29.

3. Eum accipiemus damnatum qui non provocabit: caeterum si provocet, nondum damnatus videtur (*d*). Sed et si ab eo, qui jus damnandi non habuit, rei capitalis quis damnatus sit, eadem causa erit. l. 2. §. 2. (e).

4. Praegnantis mulieris consumendae damnatae poena differtur, quoad pariat (*f*). Ego quidem, et ne quaestio de ea habeatur, scio observari, quamdiu praegnans est. l. 3.

5. Si quis non excesserit, in exilium intra tempus,

(*a*) Lex 35 *de injuriis.*
(*b*) L. 2. *de publicis judiciis*, l. 21. h.
(*c*) Evadit incapax effectuum civilium.
(*d*) Propter, l. 1 §. ult. *ad senatusconsultum Turpillianum.*
(*e*) Quid *de Commissariis.*
(*f*) Quia partus Reipublicae nascitur.

intra quod debuit, sive etiam alias exilio non obtemperaverit, contumacia ejus cumulat poenam (g). l. 4. V. l. 8. §. 7.

6. Nemo potest commeatum remeatumve dare exuli, nisi Imperator, ex aliqua causa. l. 4. in f.

7. De suspicionibus non debet aliquis damnari: *Satius enim est, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare* (h). l. 5.

8. Refert et in majoribus delictis, consulto aliquid admittitur, an casu: et sane in omnibus criminibus distinctio haec poenam aut justam eligere debet, aut temperamentum admittere. l. 5. §. ult.

9. Si quis forte, ne supplicio afficiatur, dicat *se habere quod Principi referat salutis ipsius causa*, an remittendus sit ad eum, videndum est. l. 6. Caeterum, ut mea fert opinio, prorsus eos non debuisse, posteaquam semel damnati sunt, audiri, quidquid allegent. Quis enim dubitat, eludendae poenae causa ad haec eos decurrere? Magisque esse puniendos, qui tamdiu conticuerunt, quod pro salute Principis habere se dicere jactant? Nec enim debebant tam magnam rem tamdiu reticere. d. l. 6.

10. Nunc genera poenarum nobis enumeranda sunt, quibus Praesides adficere quemque possint. Et sunt poenae quae aut vitam adimant, aut civitatem auferant, aut exilium, aut coercitionem corporis contineant. l. 6. §. 2. Aut damnum cum infamia, aut dignitatis aliquam depositionem, aut alicujus actus prohibitionem. l. 8.

(g) Cujacius, 6 ob. 36 delet negationem in principio legis, l. 4.
(h) Turcarum jurisprudentia diversa est.

11. Solent praesides in carcere continendos damnare, aut ut in vinculis contineantur: sed id eos facere non oportet; nam hujusmodi poenae interdictae sunt: carcer enim ad continendos homines (a), non ad puniendos haberi debet. l. 8. §. 9. (b).

Mandatis principalibus, quae praesidibus dantur, cavetur, ne quis perpetuis vinculis damnetur. l. 35.

12. Moris est advocationibus quoque praesides interdicere (c). Et nonnunquam in perpetuum interdicunt, nonnunquam ad tempus, vel annis metiuntur. l. 9.

Nonnunquam non advocationibus cui interdicitur, sed foro. Plus est autem foro, quam advocationibus interdicere; si quidem huic omnino forensibus negotiis accomodare se non permittatur. Solet autem ita vel juris studiosis interdici, vel advocatis, vel tabellionibus sive pragmaticis (d). l. 9. §. 4.

13. (e) Sunt et aliae poenae, si negotiatione abstinere quis jubeatur, vel ad conductionem eorum quae publice locantur accedere, ut ad vectigalia publica. l. 9. §. 9.

14. Perspiciendum est judicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quam causa deposcit. Nec enim aut severitatis, aut clementiae gloria affectanda est. Sed perpenso judicio, prout quaeque res expostulat, statuendum est. Plane in levioribus causis proniores ad lenitatem judices esse debent: in gravioribus poenis se-

(a) Cujacius, 4 ob. 9 corrigit, l. 8. §. 2.
(b) V. l. ult. C h. t.
(c) L. 3 §. 1. *de decurionibus*.
(d) Pragmatici dicuntur multo rerum usu periti, et solertes, quasi advocatorum postici, piccndofumque suggestores. *Gotofr.*
(e) V. l. 9 §. 14 et 15. *de liberis decurionis natis ante et post decurionatum.*

veritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. l. 11.

15. Delinquitur autem aut proposito, aut impetu, aut casu. Proposito delinquunt latrones, qui factionem habent. Impetu autem, cum per ebrietatem ad manus, aut ad ferrum venitur. Casu vero, cum in venando telum in feram missum, hominem interficit. l. 11. §. 2.

16. Hodie licet ei qui extra ordinem de crimine cognoscit (*f*), quam vult sententiam ferre, vel graviorem, vel leviorem: ita tamen ut in utroque modo rationem non excedat. l. 13.

17. Aut facta puniuntur, ut furta, caedesque: aut dicta, ut convicia, et insidae advocationes (*g*): aut scripta, ut falsa, et famosi libelli: aut consilia, ut conjurationes et latronum conscientia: quosque alios suadendo juvisse, sceleris est instar (*h*). l. 16.

Sed haec quatuor genera consideranda sunt septem modis: causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, et eventu. l. 16. §. 1.

Causa, ut in verberibus: quae impunita sunt a magistro allata, vel parente; quoniam emendationis, non injuriae gratia videntur adhiberi: puniuntur, cum quis per iram ab extraneo pulsatus est. l. 16. §. 2.

Persona dupliciter spectatur: ejus qui fecit, et ejus qui passus est. Aliter enim puniuntur ex iisdem facinoribus servi, quam liberi: et aliter qui quid in do-

(f) Poenae sunt arbitrariae.

(g) Non extat apud nos hujus delicti exemplum, sed omnino primorum est Romanorum.

(h) Persuadere enim plus est quam compellere. l. 1 §. 3 *de servo corrupto*.

minum parentemve ausus est, quam qui in extraneum, in magistrum, vel in privatum. In ejus rei consideratione aetatis quoque ratio habeatur. l. 16. §. 3. V. inf. l. 28. §. 8.

Locus facit, ut idem vel furtum vel sacrilegium sit, et capite luendum, vel minore supplicio. l. 16. §. 4.

Tempus discernit furem diurnum a nocturno. l. 16. §. 5.

Qualitate, cum factum vel atrocius, vel levius est. Ut furta manifesta a nec manifestis discerni solent, rixae a grassaturis, expilationes a furtis, petulantia a violentia. l. 16. §. 6.

Quantitas discernit furem ab abigeo: nam qui unum suem subripuerit, ut fur coercebitur, qui gregem, ut abigeus. l. 16. §. 7.

Eventus spectetur, ut a clementissimo quoquo facta. l. 16. §. 8.

18. Evenit, ut eadem scelera in quibusdam provinciis gravius plectantur, ut in Africa messium incensores, in Mysia, vitium: ubi metalla sunt, adulteratores monetae (*a*). l. 16. §. 9.

19. Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quotiens nimirum multis personis grassantibus, exemplo opus sit (*b*). l. 16. §. ult.

20. Sunt quidam ἀπόλιδες, hoc est, sine civitate, ut sunt in opus publicum perpetuo dati, et in insulam deportati (*c*): ut ea quidem quae juris civilis sunt (*d*),

---

(a) In Arabia σκοπελισμος. L. 9 *de extraosdinariis criminibus.*

(b) Ut unius poenae metus possit esse multorum. *De leg. jur. repetund. n. ult.*

(c) Vagi.

(d) Quo referendus bannitus? ad suum ultimum domicilium.

*

non habeant; quae vero juris gentium sunt, habeant (e). l. 17. §. 3.

21. Cogitationis poenam nemo patitur (*f*). l. 18. §. V. s. *ad leg. Jul. majest.* n. 3.

22. Ultimum supplicium esse mortem solam interpretamur (*g*). l. 21.

23. In metallum damnati si valetudine, aut aetatis infirmitate inutiles operi faciendo deprehendantur, ex rescripto Divi Pii, a praeside dimitti poterunt. l. 22.

24. Si diutino tempore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus poena ejus sublevanda erit, sic enim constitutum est (*h*): non eo modo puniendos eos qui longe tempore in reatu agunt, quam eos qui in recenti sententiam excipiunt (*i*). l. 25.

25. Crimen, vel poena paterna nullam maculam filio infligere potest (*k*). Namque unusquisque ex suo ad-

(e) Leg. 8 *de capite minutis.*

(f) V. l. 1 §. 1. *de furtis*, l. 225 *de verborum significatione.* Vide contra, l. 1 *de extraordinariis criminibus.* Sola cogitatio crimen est circa potestatem supremam, circa religionem et castitatem. Lex 20 h. ait: Si poena alicui irrogatur, receptum est *commentitio jure* ne ad haeredes transeat. Cujus rei ratio videtur quod poena constituitur in emendationem hominum, quae mortuo eo in cujus emendationem constituitur, desinit.- V. quae dixi ad l. 3 §. 1 *de injuriis* Anton. Faber, in Jurisprud. Papin. T. 1 princ. 1 Illatio 6 ait jus commentitum non esse fictitium aut mendax, antiquo more receptum sine ulla lege lata; sed quod sine lege recipitur, non tamen sine ratione recipi. Unde jus dividitur in constitutum et receptum.

(g) *L. 2 eod. l. 2. de publicis judiciis*, l. 103. *de verborum significatione.*

(h) Lex ista convenit maxime legi Querela 12. C. *ad legem Corneliam de falsis.*

(i) V. l. 12. C. *ad legem Juliam de falsis.*

Et pavido cernunt inclusum corde tribunal . . . *Petron.*

Quod meruere semper expectant.

(k) Lex 2. e. 4. *de decurionibus.*

misso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur. l. 26. V. a. *ad leg. Jul. maj.* n. 4. et inf. h. t. n. 42.

26. Suam mutare sententiam nemo potest (*l*). l. 27. Si tamen de se quis mentitus fuerit, vel cum non haberet probationum instrumenta, quae postea repererit, poena afflictus sit, nonnulla extant principalia rescripta, quibus vel poena eorum minuta est, vel in integrum restitutio concessa. Sed id duntaxat a principibus fieri potest. d. l. 27.

Poenam sui dictam sententia praesidi provinciae revocare non licet. l. 15. C. *eod.*

27. Omnia admissa in patrem, propinquum, maritum, uxores, caeterasque necessitudines, gravius vindicanda sunt, quam in extraneos. l. 28. §. 8.

Venenarii capite puniendi sunt. l. 28. §. 9.

29. Incendiarii capite puniuntur, qui ob inimicitias, vel praedae causa incenderint. l. 28. §. 12.

30. Fortuita incendia, si cum vitari possint, per negligentiam eorum, apud quos orta sunt, damno vicinis fuerunt, civiliter exercentur, ut qui jactura affectus est, damni disceptet, vel modice vindicaretur. l. 28. §. 12.

31. Famosos latrones in his locis ubi grassati sunt furca figendos, compluribus placuit: ut et conspectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus (*a*), et solatio sit

(l) V. l. 14. *de re judicata*, l. 55. eod.

(a) De furca et cruce. V. Gotofr. ad l. 28 h. in principio. Qui putant Tribonianum hic statuisse furcam loco crucis, quia crucis supplicium Christi veneratione sublatum fuerat a Constantino: et haec est sententia Cujacii. Sed crux et furca sunt res diversae, ait Gotofr. Cruci criminosi figuntur; furcae vero suspenduntur: erat et aliud furcae genus, quo furca in collum injecta damnati traducebantur ad supplicium virgis ad necem caedendi. V. Cujac. 16 ob. 1 refert figuram hujusce furcae.

cognatis et adfinibus interemptorum, eodem loco poena reddita, in quo latrones homicidia fecissent. l. 28. §. 15.

32. Severi us famosi, quam integrae famae homines puniendi sunt. l. 28. §. ult.

33. Sanctio legum quae novissime certam poenam irrogat iis qui praeceptis legis non obtemperaverint, ad eas species pertinere non videtur, quibus ipsa lege poena specialiter addita est: nec ambigitur in caetero omni jure speciem generi derogare. Nec sane verisimile est delictum unum eadem lege variis aestimationibus coerceri. l. 41. V. l. 80. *de reg. jur.*

34. Interpretatione legum poena molliendae sunt potius quam asperandae. l. 42.

35. Si ante conceptus est puer de quo libellos dedisti, quam mater ejus in metallum condemnaretur (*b*), natus conditionis ejus est, cujus ante condemnationem mater ejus fuit. l. 4. C. *de poen.*

36. Impunitas delicti propter aetatem non datur, si modo in ea quis sit, in quam crimen, quod intenditur, cadere potest. l 7. C. *eod.*

37. Non remitti poenam facile, publice interest: ne ad maleficia temere quisquam prosiliat. l. 14. in f. C. *eod.*

38. *Capitali poena non damnatur, nisi qui conspirantibus, et concordantibus probationibus ita convictus sit, ut vix ipse crimen negare possit.* l. 16. C. *eod.* l. ult. C. *de probationibus.*

39. Si quis in metallum fuerit pro criminum deprehensorum qualitate damnatus, minime in ejus facie scribatur. Cum et in manibus, et in suris possit poena

(*b*) V. l. 3. *de interdictis et relegatis.*

damnationis una inscriptione comprehendi; quo facies quae ad similitudinem pulchritudinis est caelestis figurata, minime maculetur. l 17. C. *eod.*

40. *Non est differenda reorum condemnatio: sed citius proferenda sententia in scelerosos* (c). l. 18. C. eod.

41. Sancimus ibi esse poenam, ubi et noxa est. Propinquos, notos, familiares, procul a calumnia submovemus, quos reos sceleris societas non facit. Nec enim affinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos tentant auctores: nec ulterius progreditur metus, quam reperiatur delictum. 22. C. *eod.* V. s. *ad leg. Jul. maj.* n. 5.

42. Mulcta damnum famae non irrogat. l. 1. C. *de modo mulctar.*

TITULUS XX.

De bonis damnatorum.

SUMMARIA.

1. *Bona publicantur dum adimitur vita aut civitas.*
2. *Bona transeunt ad fiscum cum oneribus.*
3. *Ratio naturalis tacita lex est.*

1. Damnatione, bona publicantur (*a*), cum aut vita adimitur, aut civitas (*b*). l. 1.

(*c*) Extat constitutio Theodosii qua condemnati non debent supplicio tradi ante triginta dies, ut principis clementiam possint interea implorare.

(*a*) Qui corpus confiscat, confiscat et bona. Paria 182.

(*b*) Item in exilio perpetuo, l. 39 *de jure fisci.* V. exceptionem l. 24. C. *de donationibus inter virum.*

2. Maritus (mulieris damnatae) salvas actiones contra fiscum habet. l. 4. V. l. 10.

Si, ut proponis, bona ejus, qui tutelam tuam administravit sententiam passi ad fiscum sunt devoluta, procuratorem nostrum adire cura, qui si quid jure posci animadvertit, non negabit. l. 5. C. *de bon. proscr. seu damnat.*

3. Ratio naturalis, quasi lex quaedam tacita, liberis parentum haereditatem addicit (c). l. 7.

TITULUS XXI. *De bonis eorum, qui ante sententiam vel mortem sibi consciverunt, vel accusatorem corruperunt.*

(c) Veluti ad debitam successionem eos vocando propter quod et in jure civili suorum haeredum nomen eis indictum est, ac no judicio quidem parentis, nisi meritis de causis, summoveri ab ea successione possunt: aequissimum est, si propter poenam parentis aufert bona damnatio, rationem haberi liberorum; ne alieno admisso graviorem poenam luerent quos nulla contingeret culpa, interdum summam egestatem devoluti. Ut imperium potius repleatur civibus quam fiscus pecuniis, l. 3 §. *ultimum habet*: Post damnationem acquisita, si is cujus bona publicata sunt relegatus sit, ad haeredes ejus pertinent testamento scriptos, vel ad haeredes ab intestato. Quod si deportatus sit, quia civitatem amisit, haereditatem habere non potest et acquisita fiscus accipit. *Vide l. 15. de interdictis et l. 22. §. 5. mandati.*

TITULUS XXII.

De interdictis, et relegatis, et deportatis (*).

SUMMARIA.

1. *Minori honore prohibitus ad majorem aspirare non potest.*
2. *Exilio damnatus ibi non esse debet, ubi versatur Princeps.*

1. Potest alicui et unus honor interdici. Sic tamen, ut si cui honore uno interdictum sit, non tantum eum honorem petere non possit, verum ne eos quoque qui eo honore majores sunt. Est enim per quam ridiculum, eum qui minoribus, poenae causa prohibitus sit, ad majores aspirare: majoribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur. l. 7. §. ult.

2. *Relegatus non potest Romae morari, licet hoc sententia comprehensum non sit, quia omnium est patria* (d). *Sed neque in civitate in qua versatur Princeps, vel per quam transit, eis enim duntaxat Principem intueri licet,*

(*) *L. 3 ait*: Eum qui civitatem amitteret, nihil aliud juris adimere liberis, nisi quod ab ipso perventurum esset ad eos, si intestatus in civitate moreretur; hoc est civitatem ejus et liberos, etc. Quae vero non a patre sed a genere, a civitate, a rerum natura tribuerentur, ea manere eis incolumia: itaque et fratres fratribus fore legitimos haeredes et agnatorum tutelas, etc. *V. l.* 3. *C. de poenis*..

(d) L. 33. *Ad municipalem.*

qui Romam ingredi possunt. Est enim Princeps pater patriae. l. ult.

TITULUS XXIII. *De sententiam passis et restitutis.*

TITULUS XXIV. *De cadaveribus punitorum.*

LIBER XLIX.

TITULUS I.

De appellationibus et relationibus.

SUMMARIA.

1. *Appellationum usus et necessitas; ut corrigatur male judicatum.*
2. *In libello dicendum quis appellet, adversus quem, a qua sententia.*
3. *Apud acta sufficit dicere, Appello.*
4. *Adversus plures appellans, si quosdam in libello omiserit, non ideo adquievit adversus eos.*
5. *Hi soli appellant qui libello comprehenduntur.*
6. *Omissas appellationis causas addere licet.*
7. *Hi appellare possunt quorum interest.*
8. *A sententia inter alios dicta appellare potest is cujus interest.*
9. *Pro dannato ad mortem, eo invito, appellatur.*
10. *Plectitur qui conviciatur ei a quo appellat.*
11. *Separatis in plures condemnationibus, pluribus appellationibus opus est.*
12. *Cumulantur summa ex una actione, ut de appelland jure statuatur.*
13. *In eadem causa non appellanti prodest appellantis victoria.*
14. *Solutum ex sententia, appellatione recepta, restituitur.*
15. *In latrociniis et seditionibus non admittitur appellatio.*
16. *Ubi duae sententiae, duabus opus est appellationibus.*

17. *Non appellandum ab edicto peremptorio, sed defendendum.*
18. *Tutoris appellationem major factus exequitur.*
19. *In causa appellationis pronunciandum an bene vel male judicatum sit.*
20. *Omissa apud primum judicem, in causa appellationis possunt allegari.*
21. *Plectendi qui temere appellant.*
22. *Si deferatur appellatio, sententia executioni mandabitur.*
23. *In minimis appellare licet.*
24. *Appellatur a mulcta.*
25. *Appellationi licet renuntiare.*

1. Appellandi usus quam sit frequens, quamque necessarius, nemo est qui nesciat. Quippe cum iniquitatem judicantium, vel imperitiam (re) corrigat: licet nonnunquam bene latas sententias in pejus reformet. Neque enim utique melius pronunciat, qui novissimus sententiam laturus est. l. 1. V. n. 33.

2. Libelli qui dantur appellatorii, ita sunt concipiendi, ut habeant scriptum, et a quo dati sunt, hoc est, qui appelat, et adversus quem, et a qua sententia. l. 1. §. ult.

3. Si apud acta quis appellaverit, satis erit si dicat, *Appello* (a). l. 2.

4. Illud cecidit in quaestionem, si plures habuerit adversarios, et quarundam nomina libellis sint plexa, quorumdam non, an aeque prescribi ei possit ab eis

(a) Apud nos fieret judici injuria, si quis ante ora judicis appellaret.

quorum nomina comprehensa non sunt, quasi adversus ipsos adquieverit sententiae? et cum una causa sit, arbitror non esse praescribendum. l. 3. §. 1.

5. Certe si plures hi sunt adversus quos pronunciatur, et quorumdam nomina in libellis sint comprahensa. l. 3. §. 2.

6. Quid ergo si causam appellandi certam dixerit, an liceat ei discedere ab hac, et aliam causam allegare? an vero quasi forma quadam obstrictus sit? Puto tamen, cum semel provocaverit, esse ei facilitatem, in agendo etiam aliam causam provocationis reddere, persequique provocationem suam quibuscumque modis potuerit. l. 3. §. 3. Vide infra n. 20.

7. Alio condemnato, is cujus interest, appellare potest (*b*). L. 4. §. 2. Si emptor de proprietate victus est eo cessante, auctor ejus appellare poterit. Aut si auctor egit, et victus sit, non est deneganda emptori appellandi facultas. Quid enim si venditor, qui appellare noluit, idoneus non est? quin etiam si auctor appellaverit, deinde in causae defensione suspectus visus sit, perinde defensio causae emptori committenda est, atque si ipse appellasset. Idque ita constitutum est in persona creditoris, cum debitor victus appellasset, nec ex fide causam defenderet. Quae constitutio ita accipienda est, si interveniente creditore debitor de pignore victus provocaverit: nam absenti creditori nullum prejudicium debitor facit, idque statutum est. d. l. 4. §. 3. et 4.

8. A sententia inter alios dicta appellari non potest, nisi ex justa causa. Veluti si quis in cohaeredum prae-

---

(*b*) Ergo creditor appellare potest a sententia lata adversus debitorem, si injusta sit.

judicium se condemnari patitur, vel similem huic causam; quamvis et sine appellatione tutus est cohares. Item fidejussores pro eo, pro quo intervenerunt. Igitur et venditoris fidejussor, emptore victo, appellabit, licet emptor et venditor acquiescant. l. 5.

Legatarii, haerede victo (c), causam appellationis agere possunt. l. 5. §. l. 14.

9. Si resistat qui damnatus est adversus provocationem, nec velit admitti ejus appellationem (d), perire festinans; adhuc putem differendum supplicium. l. 6. in fin.

10. Illud sciendum est, eum qui provocavit, non debere conviciari ei a quo appellat. Caeterum oportebit eum plecti. 8.

11. Si qui separatim fuerint condemnati, quamvis ex eadem causa, pluribus eis appellationibus opus est. 10. V. inf. l. 17.

12. Si quis cum actione ageretur (e), quae plures in se species habeat, pluribus summis sit condemnatus, quarum singulae notionem Principis non faciunt, omnes autem conjunctae faciunt, poterit ad Principem appellare. l. 10. §. 1.

13. Quod est rescriptum in communi causa, quoties alter appellat (a), alter non, alterius victoriam ei pro-

---

(c) Maxime si haeres in judicio non adfuit, quia non creditur tunc jus fieri ex sententia judicis. l. 17 §. 1. *de inofficioso testamento.*

(d) Humanitatis ratione receptum est ut quis possit pro condemnato appellare.

(e) Contra in l. 11 *de jurisdictione.*

(a) Res judicata est individua, quia pro veritate habetur, quae est individua. Porro quod per Arrestum seu vice alia judicatum est, habetur pro veritate in praejudicium sententiae. Victoris haeredis proficit haeredi in l. 19. *de inofficioso testamento*, l. 7. *familiae erciscundae.* Contra in l. 25 §. 8. *familiae erciscundae*, et in l. 22. *de exceptione rei judicatae*, et in l. 11. §. 3 cod. l. 46. *de usufructu.* V. l. 62 §. 1. *de evictionibus*, l. 20. *de tutelae et rationibus.*

ficere qui non provocavit: hoc ita demum probandum est, si una eademque causa fuit defensionis (*b*). l. 10. §. ult.

14. Cum ex causa judicati soluta esset pecunia ex necessitate judicis (*c*), ab eo qui appellatione interposita meruerit meliorem sententiam, recipere eum pecuniam quam solvit, oportet. l. 11.

15. Constitutiones quae de recipiendis, nec non appellationibus loquuntur, ut nihil novi fiat, locum non habent in eorum persona, quos damnatos statim puniri publice interest, ut sunt insignes latrones (*d*), vel seditionum concitatores, vel duces factionum. l. 16.

16. Cum in una causa separatim duplex sententia divisa datur, veluti una sortis, alia usurarum, duplex appellatio necessaria est, ne alteram agnovisse, de altera provocasse intelligatur. l. 17. V. s. l. 10. §. 4. C. *depositi.*

17. Eum qui cognovit edictum peremptorium secundum ordinis causam dari (*e*), placuit non recte provocasse; cum in ejus potestate fuerit, ante diem praestitutum pro tribunali respondentem, aut defensum edicti denunciationem rumpere. l. 23. §. ult.

(*b*) Secus ratione poenae si diversum judicium redditum esset. Distingui potest inter actorem et reum. Victoria unius e reis proficit alteri reo, secus de victoria unius actorum; idque favore liberationis ut uno liberato alter etiam liberetur. Igitur respectu actorum regula locum habet, quia sibi quisque agit et vincit. Respectu reorum exceptio, l. 2. C. *si unus ex pluribus appellaverit.* Ait appellationem unius alteri prodesse. Sed Gotofr. ait in Gallia non prodesse; nam quilibet tenetur appellare secundum Rebuffum in prooemio const. *gl.* 5. *n.* 98.

(*c*) Quia invitus solvit, unde non acquievit sententiae.

(*d*) Vel alia justa causa quam mox praeses litteris excusavit, moram non recipiat, non poenae festinatione, sed praeveniendi periculi causa: tunc enim punire permittitur, deinde scribere, l. 6 §. 9. *de injusto rupto.*

(*e*) Non appellatur a tertia sententia ex defectu.

18. Substituti tutores in locum legitimi tutoris experti cum eo tutelae judicio, cum arbiter inique condemnavit, quam rei aequitas exigebat, a sententia ejus provocaverunt (*f*): pendente causa appellationis juvenes adoleverunt. Quaesitum est, cum omnis executio hujus ad adultos pertineat, et causam ad se pertinentem idonee tueri possunt, an postulatio eorum contra quos appellatum erat, dicentium illos debuisse causas appellationis reddere, qui primi sunt experti, admittenda non sit? Respondit, eos quorum tutela gesta esset, si vellent causam exequi, non proibendos. Idem et in curatoribus observandum est, si interim adultus ad legitimam aetatem pervenit. l. ult. §. ult. V. l. 10. f. C. *eod.*

19. Super omni causa interpositam provocationem, vel injustam tantum liceat pronunciare, vel justam (*g*). l. 6. Cod. *de appellat. et consult.*

20. Si quid in agendo negotio minus se allegasse litigator crediderit, quod in judicio acto fuerit omissum apud eum, qui de appellatione cognoscit, persequatur: cum votum gerentibus nobis aliud nihil in judiciis, quam justitiam locum habere debere (*h*), necessaria res forte transmissa, non excludenda videatur.. l. 6. §. 1. C. *de appell. et consult.*

21. Ne temere autem ac passim provocanda omnibus facultas praebatur, arbitramur eum qui malam litem

---

(*f*) In usu judiciariae actionis, minor qui extra tutelam est debet instantiam iterare; nam ejus nomine ipsa non erat. Secus de minori emancipato; quoniam in causa erat suo nomine cum suo curatore, et curator solum esse cessat.

(*g*) Bene vel male judicatum.

(*h*) V. l. 2. C. Sententiam rescindi non posse. V. l. 3 §. 3, V. supra n. 6.

fuerit persecutus, mediocriter poenam a competenti judice sustinere. l. 6. §. 4. C. *eod.*

22. Si intra dies praestitutos qui appellavit desistat (*a*), deserta existimatur provocatio, et executioni sententia mandabitur. l. 18. C. *eod.*

23. Et in majoribus et minoribus negotiis appellandi facultas est. Nec enim judicem oportet injuriam sibi fieri existimare, eo quod litigator ad provocationis auxilium convolavit. l. 20. C. *eod.*

24. Et in mulctis a judicibus inferendis, appellationes jubemus admitti. l. 25. C. *eod.*

25. Si quis libellos appellatorios ingesserit, faciat se habere licentiam arbitrium commutandi, et suos libellos recuperandi, ne justae plenitudinis humanitas amputetur. l. 28. C. *eod.*

TITULUS II. *Qui appellare non licet*

TITULUS III. *Quis et a quo appelletur.*

TITULUS IV. *Quando appellandum sit et intra quae tempora.*

TITULUS V.

De appellationibus recipiendis, vel non.

SUMMARIA.

1. *Non appellat cujus non interest.*

1. Non solent audiri appellantes, nisi hi quorum interest. l. 1.

(*a*) Annus datur in Authent. ei qui appellat. C. *de temporibus et reparationibus.*

TITULUS VI. *De libellis dimissoriis qui Apostoli dicuntur.*

TITULUS VII. *Nihil innovari appellatione interposita.*

TITULUS VIII.

Quae sententiae sine appellatione rescindantur.

SUMMARIA.

1. *Error calculi sine appellatione corrigitur.*
2. *Aliud de jure constitutionis pronuntiare, aliud de jure litigatoris.*

1. Si calculi error in sententia esse dicatur (*b*), appellare necesse non est. Veluti si judex ita pronuntiaverit, *cum constet Titium Sejo ex illa specie quinquaginta, item ex illa specie viginti quinque debere: idcirco Lucium Titium Sejo centum condemno*: nam quoniam error computationis est, nec appellare necesse est, et citra provocationem corrigitur. l. 1. §. 1.

Errorem calculi, sive ex uno contractu, sive ex pluribus emerserit, veritati non afferre praejudicium, saepe constitutum est. l. un. C. *de error. cal.*

2. Contra constitutiones judicatur, cum de jure constitutionis, non de jure letigatoris pronuntiatur.

Nam si judex volenti se ex cura muneris vel tutelae, beneficio liberorum, vel aetatis, aut privilegii excusare,

(*b*) Error calculi nunquam veritati praejudicium facit. l. unica C. *de errore-calculi* supra. *de transactionibus*. Error calculi non praescribitur. l. 8. *De administratione rerum ad civitates pertinentium*. V, l. 2 C. *de re judicata* et supra. *De re judicata*. n. 38.

dixerit, *neque filios*, *neque aetatem*, *aut ullum privilegium ad muneris vel tutelae excusationem prodesse*, de jure constituto pronuntiasse intelligitur. Quod si de jure suo probantem admiserit, sed idcirco contra eum sententiam dixerit, quod negaverit *eum de aetate sua*, *aut de numero liberorum probasse*, de jure litigatoris pronuntiasse intelligitur. l. 1. §. 2.

TITULUS IX. *An per alium causae appellationum reddi possunt.*

TITULUS X. *Si tutor vel curator magistratus creatus appellaverit.*

TITULUS XI. *Eum qui appellaverit, in provincia defendi.*

TITULUS XII. *Apud eum a quo appellatur, aliam causam agere compellendum.*

TITULUS XIII. *Si pendente appellatione mors intervenerit.*

TITULUS XIV.

De jure fisci (*).

SUMMARIA.

1. *Si fraus legi facta dicatur, spectandus exitus, non consilium.*
2. *Pretia ex praesenti aestimatur.*
3. *Fiscus auctoris sui jure utitur.*
4. *Thesauri in publico inventi dimidium habet Princeps.*

(*) Vide quinque privilegia fisci ad l. 3. infra *de censibus*.

In privato dimidium inventor, dimidium loci dominus.

5. *Princeps et Augusta habent privilegia fisci.*
6. *In dubiis fisco non favendum. Rei suae, quod omnibus prodest, Princeps anteponit.*
7. *Fiscus post creditores.*
8. *Poenae fiscales creditoribus postponuntur. Non iis qui post poenam crediderunt.*
9. *Non exigitur a possessore probatio unde habeat.*
10. *In post quaesitis fiscus praevenit.*
11. *Fisci privilegiis subjicitur ejus debitoris haeres.*
12. *Exulis ad tempus bona non publicantur.*
13. *Bona ad fisci successores cum oneribus transeunt.*
14. *Fiscus habet semper jus pignoris.*
15. *Cum fisco non compensantur tributa, stipendia, praetium rei emptae a fisco, annona.*
16. *Haeredes debitoris fisci prius conveniendi quam tertii possessores.*
17. *Bonis haeredis publicatis fideicommissarius a fisco vindicat fideicommissum, si dies venit.*
18. *Suis temporibus praescribitur adversus fiscum.*
19. *Prius conveniendus fiscus debitor quam tertii possessores.*
20. *Nemo sibi debitorem propria scriptura facit, nec ea proderit fisco succedenti.*
21. *Ubi nullus haeres, fiscus succedit.*
22. *Beneficium Principis plenissime interpretandum.*
28. *Respublica jure minorum utitur.*
24. *Stat donatio ejus qui postea fisco obligatur.*

1. Quando fraus (legi) interposita videatur agendum est, id est, utrum exitus spectari debeat an (c) consi-

(c) L. 10 §. 1. *quae in fraudem creditorum.*

lium. Et placuit exitum esse spectandum. l. 3. §. 2.

2. Justa (rerum) pretia non ex praeterita emptione (*d*) sed ex praesenti aestimatione constituuntur (*e*). l. 3. §. 5.

3. Si posteriori creditori fiscus successerit, eo jure utitur quo usurus erat, cui successit. l. 3. §. 7. V. n. 19.

4. Si in locis fiscalibus, vel publicis religiosisve, aut in monumentis thesauri reperti fuerint; Divi fratres constituerunt, ut dimidia pars ex his fisco vindicaretur. Item si in Caesaris possessione repertus fuerit, dimidiam aeque partem fisco vindicari. l. 3. §. 10.

Tesauri in privato loco inventi dimidiam habet inventor (*a*), dimidiam loci dominus. l. 1. C. *de Thesaur.*

5. Quodcumque privilegii fisco competit, hoc idem et Caesaris ratio, et Augustae habere solet (*b*). l. 6. §. 1.

6. Non puto delinquere eum qui in dubiis quaestionibus contra fiscum facile responderit (*c*). l. 10.

Quod communiter omnibus prodest, hoc rei privatae nostrae utilitati praeferendum esse censemus: nostrum esse proprium subjectorum commodum imperialiter existimantes. l. 1. §. 14. C. *de cad. toll.*

7. Non possunt ulla bona ad fiscum pertinere (*d*), nisi quae creditoribus superfutura sunt: id enim bonorum cujusque intelligitur quo aeri alieno superest. l. 11.

8. In summa sciendum est, omnium fiscalium poenarum petitionem creditoribus postponi (*e*). l. 17.

(*d*) L. 2 §. 1 et 2 ait: in omni causa nummaria instrumenta edenda esse fisco. l. 3. *de edendo*. l. 2. *de fide instrumentorum*.

(*e*) Quanti res venire potest.

(*a*) Apud nos tres partes fiunt quando quis in alieno loco invenit.

(*b*) V. l. 56 et 57 *de legatis* 2.

(*c*) Sub bono Principe causa fisci semper mala est. Cassiodor.

(*d*) Scilicet in confiscatione bonorum.

(*e*) Secus in creditore peculatus.

Quod placuit, *fisco non esse poenam petendam, nisi creditores suum recuperaverint*, eo pertinet ut privilegium in poenam contra creditores non exerceatur, non ut jus comune privatorum fiscus amittat. l. 37. V. l. un. C. *poen. fisc cred. praef.*

9. Nullo modo exigendum quem probare unde habeat (*f*), circa delationes fiscales: sed delatorem probare debere quod intendit. l. 25.

10. Si qui mihi obligaverat *quae habet habiturusque esset*, cum fisco contraxerit; sciendum est, in re postea adquisita, fiscum potiorem esse debere Papinianum respondisse; quod et constitutum est: praevenit enim causam pignoris fiscus (*g*). l. 28.

11. Eum qui debitoris fisci adiit haereditatem, privilegiis fisci coepisse esse subjectum (*h*). l. 33.

12. Bona fisco, circa poenam exilii (*i*) perpetuam, adjudicari sententia non oportet. l. 39. (*k*).

13. Eum qui bona vacantia a fisco comparavit, debere actionem quae contra defunctum competebat excipere. l. 41. (*l*).

14. Fiscus semper habet jus pignoris (*m*). l. 46. §. 3. V. *t. qui potior.* n. 5.

(*f*) L. 11. *de petitione haereditatis.* l. 10. C. *Arbitrium tutelae*, le Pretre, *cent.* n. C. 55.

(*g*) Vide l. ult. *qui potiores.* n. 5. ubi excipitur causa tutelae. An fiscus habet ipso jure hypothecam in ejus bona? Non. Sed dumtaxat fiscus habebit privilegium actionis principalis

(*i*) Exilium perpetuum confiscationem importat. V. t. 1. *de bonis damnatorum.*

(k) V. exception. in l. 24. C. *de donationibus inter virum.*

(*l*) * *Lex* 45. §. 14. *habet*: Minoribus vectigalia locanda non sunt ne beneficio aetalis utantur.

(*m*) * *L.* §. 9. *habet*: Qui pro alio a fisco conventus solvit, non inique petit persecutionem ejus bonorum pro quo solvit.

15. Ut debitoribus fisci (*a*), quod fiscus debet compensetur, saepe constitutum est; excepta causa tributoria, et stipendiorum (*b*), item pretio rei a fisco emptae, et quod ex causa annonaria debetur. l. 46. §. 5. V. *de compens.* l. 20. (*c*).

16. Moscis (*d*) quaedam fisci debitrix ex conductione vectigalis, haeredes habuerat, a quibus post aditam haereditatem Faria Senilla, et alia praedia emerant. Cum convenirentur propter Moschidis reliqua, et dicebant haeredes Moschidis idoneos esse, et multos alios ex iisdem bonis emisse, aequum putavit Imperator *prius haeredes conveniri debere;* in reliquum, possessorem omnem (*e*) et ita pronuntiavit. l. 47. V. n. 19.

17. Cornelio Felici (*f*) mater scripta haeres, rogata erat restituere haereditatem post mortem suam. Cum haeres scripta, condemnata esset a fisco, et omnia bona mulieris occuparentur, dicebat Felix, se ante

(*a*) * *Lex* §. 6 l. 45. *habet*: Ipse autem fiscus hac conditione sua instrumenta edit, ut ne is cui describendi sit potestas adversus se vel rempublicam his actis utatur. *Lex* 29 *habet*: Dum qui falsum testamentum dixit posse adire haereditatem constat; sed denegatis actionibus fisco locus erit, et obligationes quas adeundo confundit, non restituuntur. *Lex* §. 2. *habet*: Nam et in eo qui post aditam haereditatem defuncti mortem non defendit, Imperator rescripsit obligationes confusas non resuscitari.

(*b*) Item oportet ut ex eadem statione debeatur.

(*c*) * L. 46 §. *ult.* ait: si multi fisco fraudem fecerint, non ut in actione furti singuli solidum, sed omnes semel quadrupli poenam pro virili portione debent: sane pro non idoneis, qui sunt idonei, conveniuntur.

(*d*) Discussio quoque contra fiscum. V. n. 19.

(*e*) V. Cujacium ad Nov. 4.

(*f*) Confiscatio usumfructum importat in fisci utilitatem. Si bona patris qui usumfructum habebat bonorum filii sunt confiscata, distinguendum: si pater patriam amittit potestatem, filius lucratur et usumfructum unit: secus ad fiscum transit.

poenam esse: hoc enim constitutum est: sed si nondum dies fideicommissi venisset, quia posset prius ipse mori(g), repulsus est interim a petitione. l. 48. §. 1. (h).

18. Justas etiam, et quae locum habent fisci actiones praecipimus concremari ob hoc solum quod suis temporibus prolatae non sunt. Ut jam calumniae privatorum eo saltem arceantur exemplo, quo justas fisci lites silere praecipimus. l. 6. C. *de jur. fisc.* (i).

19. Non injusta ratione desideratis, repromissa fisco indemnitate, eos priore loco conveniri, qui reliqua contraxerunt: mox ad vos perveniri qui ab his quaedam mercati estis. 1. C. *de conv. fisc. deb.* V. s. l. 47.

20. Qui propria scriptura debitorem sibi adnotat creditor non est, nec fiscus si ei succedat (k). l. ult. C. *de conv. fisc. debit.*

21. Scire debet gravitas tua intestatorum res, qui sine legitimo haerede decesserint (l), fisci nostri rationibus vindicandas. l. 1. C. *de bon. vacant. et incorp.*

Vacantia mortuorum bona tunc ad fiscum jubemus transferri, si nullum ex qualibet sanguinis linea, vel juris titulo, legitimum reliquerit intestatus haerendem. l. 4. C. *eod.*

22. Si quando adnotationes nostrae contineant possessionem, sive domum quam donaverimus integro statu donatam, hoc verbo ea vis continebitur, quam ante scri-

---

(g) V. l. 69 §. 1. *de legatis* 2, et ibi Cujacium.
(h) V. l. 77 §. 4 *de legatis* 2.
(i) *L.* 2 §. *ult.* l. 3 *de requirendis reis.*
(k) Exemplo perniciosum est ut ei scripturae credatur, qua unusquisque sibi annotatione propria debitorem constituit, l. 7. C. *de probationibus.*
(l) Exhaeredatio.

bebamus, cum adjacentibus, et pecoribus, et fructibus, et omni jure suo : ut ea quae ad instructum possessionis vel domus pertinent, tradenda sint (*m*). l. 2. C. *de bon. vacant. et de incorp.*

23. Respublica minorum jure uti solet. l. 4. C. *quib. ex caus. maj. in int. rest.*

Republicam ut pupillam extra ordinem juvari moris est. l. 3. C. *de jure Reip.* lib. 11.

24. Si priusquam fisci rationibus pater vester obligaretur, perfectam praediorum donationem fecisse fuerit probatus, quod citra fraudem creditorum gestum est, non rescinditur. l. 1. *de jure fisci.*

TITULUS XV.

De captivis, et de postliminio, et redemptis ab hostibus.

SUMMARIA.

1. *Agri ab ostibus capti, si recipiantur, ad dominos redeunt.*

1. Verum est, expulsis hostibus ex agris quos ceperint, dominia eorum ad priores dominos redire, nec aut publicari, aut praedae loco cedere. Publicatur enim ille ager qui ex hostibus captus sit. l. 20. §. 1.

TITULUS XVI. *De re militari.*

TITULUS XVII. *De castrensi peculio.*

TITULUS XVIII. *De veteranis.*

(*m*) L. 191. *de re judicata*, l. 3 *de constitutionibus Principum.*

LIBER L.

TITULUS I.

Ad municipalem, et de incolis.

SUMMARIA.

1. *Municipes sunt cujusque civitatis cives.*
2. *Filiusfamalias aliud a patre domicilium habere potest.*
3. *Magistratus municipales de administratione tenentur in solidum : nisi qui gessit, cum functus est, esset solvendo, aut ejus fidejussor.*
4. *Quod sciunt qui rempublicam administrant, id scire municipes intelliguntur.*
5. *Facti quaestio est in potestate judicantis, non jus.*
6. *Non est sordidum munus tributorum exactio.*
7. *Fidejussores administrantium Rempublicam poenis non tenentur.*
8. *Onera invitis non continuantur.*
9. *A majori parte gestum quasi a curia gestum habetur.*
10. *Domicilium non nisi re et facto transfertur.*
11. *Qui pro aliis ex admistratione conveniuntur, non tenentur in usuras.*
12. *Dos in bonis mariti.*
13. *In locationibus civitatum non admittitur adjectio.*
14. *Vidua dignitatem et domicilium viri retinet, sed novis nuptiis mutat.*
15. *Militis domicilium.*
16. *Usurae poenarum non exiguntur.*
17. *Ibi domicilium, ubi rerum summa.*
18. *Libera cuique domicilii electio.*

19. *Sponsalibus non mutatur sponsae domicilium.*
20. *Roma communis patria.*
21. *Ad munera destinatus non potest renuntiare incolatui.*
22. *Viri domicilium mulier sequitur, et dignitatem, et forum.*
23. *Domicilium incolas facit.*
24. *Dignitatis domicilium.*

1. Municipes dicimus suae cujusque civitatis cives. L. 1. §. 1. in f.

1. Placet etiam filiosfamilias domicilium habere posse: non utique ibi ubi pater habuit, sed ubicumque ipse domicilium constituit. l. 3. et l. 4.

3. Imperator Titius Antoninus Lentulo Vero rescripsit: *Magistratuum officium individuum, ac periculum esse comune.* Quod sic intelligi oportet, ut ita demum collegae periculum adscribatur, si neque ab ipso qui gessit, neque ab his qui pro eo intervenerunt, res servari possit, et solvendo non fuit, honore deposito: alioquin si persona vel cautio sit idonea, vel solvendo fuit quo tempore conveniri potuit, unusquisque in id quod administravit tenebitur. l. 11.

4. Municipes intelliguntur scire quod sciant hi quibus summa Reipublicae commissa est. l. 14.

5. Facti quaestio est in potestate judicantium: juris autem auctoritas non est (*a*). l. 15. in f. pr. (*b*).

6. Exigendi tributi munus inter sordida munera non habetur. l. 17. §. 7.

(*a*) L. 7. C. *de fideicommissis.*
(*b*) L. 1. §. 4. *Ad Turpillianum.*

7. Fidejussores qui salvam Rempublicam fore responderunt, penalibus actionibus non adstringuntur (c), in quas inciderunt hi pro quibus intervenerunt. Eos enim damnum Reipublicae praestare satis est (*d*), quod promitti videtur. l. 17. §. ult. V. inf. l. 21. §. 1.

8. Divus Severus rescripsit, intervalla temporum in continuandis oneribus, invitis, non etiam volentibus concessa, dum ne quis continuet honorem. l. 18. l. 14. §. penult. inf. *de mun. et hon.*

9. Quod major pars curiae efficit (*a*), pro eo habetur ac si omnes egerint. l. 19. (*b*)

10. Domicilium re et facto transfertur non nuda contestatione; sicut in his exigitur qui negant se posse ad munera, ut incolas, vocari. l. 20. (1)

11. Paulus respondit, eos qui pro aliis non ex contractu, sed ex officio (*c*) quod administraverint, conveniuntur, in damnum sortis substitui solere, non etiam in usuras (*d*). l. 21. §. 1.

12. Costante matrimonio dos in bonis mariti est. l. 21. §. 4. V. s. *de jure dot.* num 4. (2)

13. Idem respondit, si civitas nullam propriam legem

(*c*) *L. ult. de magistrat. conven*t. l. 68. *de fidejussor.*

(*d*) L. 9. *de administratione rerum ad civitates pertinentium.*

(*a*) Idem in constitutione de bannalitatibus.

(*b*) V. l. 3. *de decretis ab ordine faciendis.*

(1) » Il cangiamento di domicilio seguirà colla traslazione effettiva dell'abitazione in un altro luogo, unita alla intenzione di fissarvi il proprio principale stabilimento » (*Leg. civ. art.* 108.)

(*c*) *L. ult. de magistratibus convent.*

(*d*) Quia non datur poena poenae. *L.* 24. *infra*, l. 17 §. *ult. supra.*

(2) » Il solo marito ha l'amministrazione de' beni dotali, durante il matrimonio. » (*Leg. civ. art.* 1362)

habet de adjectionibus admittendis (e), non posse recedi a locatione vel venditione praediorum publicorum jam perfecta: tempora enim adjectionibus praestita ad causas fisci pertinent (f). l. 21. §. ult.

Si tempora quae in facilibus auctionibus, vel hastis statuta sunt patiuntur, cum etiam augmentum te facturum esse profitearis, adi rationalem nostrum, ut justam uberioris pretii oblationem admittat. l. 4. C. *de fid. et jur. hast.*

Congruit aequitati, ut veteres possessores fundorum publicorum novis conductoribus praeferantur, si facta per alios augmenta suscipiant. l. 4. Cod. *de locat. praed. civ.*

14. Vidua mulier amissi mariti domicilium retinet, exemplo clarissimae personae per maritum factae: sed utrumque aliis intervenientibus nuptiis permutatur. l. 12. §. 1. V. inf. l. 32. et l. ult. §. 3.

15. Miles ibi domicilium habere videtur, ubi meret, si nihil in patria possideat. l. 23. §. 1.

16. Constitutionibus Principum continetur, ut pecuniae quae ex detrimento solvitur, usurae non praestentur (g). l. 24.

17. Si quis negotia sua non in colonia, sed in municipio semper agit, in illo vendit, emit, contrahit; eo in foro, balneo, spectaculis utitur; ibi festos dies celebrat: omnibus denique municipii commodis, nullis coloniarum fruitur, ibi magis habere domicilium, quam ubi colendi causa diversatur. l. 27. §. 1. V. infra n. 23.

(e) Ad triplum, ad duplum.
(f) Civitas non fruitur privilegiis fisci.
(g) Non datur poena poenae. L. 21. §. 1. supra. Damna et usurae possunt aliquando usuras producere.

Eam domum unicuique nostrum debere existimari constitutum est, ubi quisque sedes et tabulas haberet, suarumque rerum constitutionem fecisset. l. 203. ff. *de verb. signif.*

In eo loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit: unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet: unde cum profectus est, peregrinari videtur (*), quod si rediit, peregrinari jam destitit. l. 7. C. *de incol. et ubi quisq. domic. hab. vid.* (3)

18. Nihil est impedimento quominus quis ubi velit habeat domicilium, quod ei interdictum non sit. l. 31.

Non tibi obest, si cum incola esses, aliquod munus suscepisti, modo si antequam ad alios honores vocareris, domicilium transtulisti. l. 1. C. *de inc. et ubi. quis dom.* V. inf. n. 21. (4)

19. Ea quae desponsa est, ante contractas nuptias suum non mutat domicilium. l. 32. V. s. l. 22. §. 1.

20. Roma communis nostra patria est. l. 33. (*a*).

21. Incola jam muneribus publicis destinatus, nisi perfecto munere, incolatui renunciare non potest. l. 34. V. infr. *de mun. et hon.* l. 4. §. ult. (5)

22. Item rescripserunt, mulierem quamdiu nupta est

(*) Quo.

(3) » Il domicilio di qualunque nazionale, per quanto riguarda l'esercizio de' suoi dritti civili, è il luogo ov' egli ha il principale stabilimento. » (*Leg. civ. art.* 107)

(4) Concorda. Argom. degli articoli 108 e 109 delle *Leggi civili.*

(*a*) *L. ult. de interdictis*, l. 6. §. 11. *de excusationibus.*

(5) » Il cittadino chiamato a pubblico impiego temporaneo o rivocabile conserverà il primiero suo domicilio, quando non avrà manifestato una intenzione contraria. » (*Leg. civ. art.* 111)

incolam ejusdem civitatis videri cujus maritus ejus est: et ibi unde originem traihit, non cogi muneribus fungi. l. ult. §. 3.

Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, et forum ex eorum persona statuimus, et domicilia mutamus. Si autem minoris ordinis virum postea sortitae fuerint, priore dignitate privatae, posterioris mariti sequentur conditionem. l. 13. Cod. *de dignit.* V. s. l. 22. §. 1. l. 8. ff. *de Senat.* (6)

23. Cives origo, incolas domicilium facit (*b*). l. 7. C. *de incol. et ubi quisq. domic. habet. vid.*

24. Senatores in sacratissima urbe domicilium dignitatis habere videntur. l. 8. C. *de incol. et ubi quisq. dom. hab. vid.* (7)

Bona civitatum non sine solemnibus alienanda. l. 3. C. *de vend. reb. civ.*

---

(6) » La donna maritata non ha altro domicilio che quello del marito. » (*Leg. civ. art.* 113)

(*b*) Vide titulum sequentem, n. 8.

(7) » L'accettazione degl' impieghi conferiti a vita porterà l'immediata traslazione del domicilio dell' impiegato nel luogo in cui debbe esercitare l' impiego. » (*Leggi civ. art.* 112)

TITULUS II.

De decurionibus, et filiis eorum.

SUMMARIA.

1. *Filio non est poenae delictum patris.*
2. *Interdictus ad tempus eo finito redit ad officium, nisi ignominiam crimen importet.*
3. *In honoribus praecellunt qui pluribus suffragiis decorati sunt, et qui plures habent liberos.*
4. *Fratres indivisis bonis ad munera singuli vocantur.*
5. *A muneribus excusantur septuagenarii.*
6. *Non excusat podagra, nisi talis sit, ut rerum propriarum cura impediat.*
7. *Duodecim liberi excusant a muneribus.*
8. *Patris originem liberi sequuntur.*
9. *Ubi copia civium, non iterum ad eamdem functionis qui revocetur.*

1. Nullum patris delictum innocenti filio poena est(c). Ideoque nec ordine decurionum, aut caeteris honoribus propter ejusmodi causam prohibetur. l. 2. §. 7. V. s. *ad leg. Jul. maj.* n, 4. et inf. *de mun. et hon. n.* 4.

2. Antoninus edicto proposito statuit, ut cuicumque aut quacumque causa, ad tempus ordine (*d*) vel advocationibus, vel quo alio officio fuisset interdictum, completo tempore, nihilominus fungi honore, vel officio possit. Et hoc recte: neque enim exageranda fuit

(*c*) L. 26. *de poenis.*
(*d*) L. 9. *de poenis.*

sententia quae modum interdictioni fecerat. l. 3. §. 1.

Ad tempus ordine motos ex crimine quod ignominiam importat, in perpetuum moveri placuit. l. 5.

Quibus posthac ordini suo, vel advocationi ad tempus interdicetur, post impletum temporis spatium, non prorogabitur infamia. l. 1. C. *de his qui in exil. dati. ab ord. m.* s. V. l. 8. ff. *de postul.*

3. Privilegiis cessantibus caeteris, eorum causa potior habetur in sententiis ferendis, qui pluribus eodem tempore suffragiis jure decurionis decorati sunt. Sed et qui plures liberos habet (e), in suo collegio primus sententiam rogatur, caeterosque honoris ordine praecellit. l. 6. §. ult.

Patrem non habenti filios anteferri constat. l. 9. C. *eod.*

4. Licet indivisa bona fratres habent, nihilominus tamen singuli suo nomine civilibus tenentur muneribus. l. 7. C. *eod.* V. inf. *de muner. et honor. n.* 21.

4. Si ultra septuagesimum aetatis annum (f) patrem tuum esse praeses provinciae perspexerit, eum personalium munerum vocatione perfrui providebit. l. 10. C. *eod.*

6. A muneribus podagrae valetudo non praestat excusationem. l. 13. C. *eod.*

Podagrae quidem valetudo nec ad personalium munerum prodest excusationem. Verum cum ita te valetudine pedum afflictum dicas, ut rebus propriis intercessum commodare non possis, Rector provinciae, si allegationibus tuis fidem adesse perspexerit, ad personalia munera te vocari non patietur. l. 3, C. *qui morbo se excus.*

(e) Privilegium plurium liberorum honos est primum sententiam dicere, vel opinionem.

(f) V. l. 3. *de jure immunitatis.* Ergo annus septuagesimus debet esse completus. V. l. 8. *de muneribus et honoribus.*

7. Si quis decurio pater sit duodecim liberorum, honoratissima munerum quiete donetur. l. 24. C. h. tit.

8. Patris originem unusquisque sequitur. l. 36. C. *eod*(a)

9. Quis tam inveniri iniquus arbiter rerum potest, in urbibus magnifico statu praeditis, ac votiva curialium numerositate locupletibus, ad iterationem quempiam transacti oneris compellat: ut cum alii necdum pene initiati curiae sacris fuerint, alios et continuatio, et repetitae saepe functiones adficiant. l. 52. C. *eod.* V. inf. *de mun. et hon.* l. 3. §. 15. et n. 15.

TITULUS III.

De albo (*) *scribendo* (b).

SUMMARIA.

1. *Ordo secundum dignitates.*
2. *Inter pares praecellit qui prior est admissus.*
3. *Potior dignitas a Principe honoribus municipalibus.*

1. Decuriones in albo ita scriptos esse oportet, ut lege municipali praecipitur: sed si lex cessat, tunc dignitates erunt spectandae, ut scribantur eo ordine quo quisque eorum maximo honore in municipio functus est. l. 1.

2. Hi qui nullo honore functi sunt (*ita scribendi*) prout quisque eorum in ordinem venit. l. 1. in fin. princ.

3. In albo decurionum in municipio nomina (c) ante

(a) V. titulum praecedentem, n. 23.
(*) *Albo.*
(b) Album est matricula decurionum. Gotofr.
(c) Regii officiales urbanos praecedunt.

consecuti sunt, postea eorum qui tantum municipalibus honoribus functi sunt. l. 2.

TITULUS IV.

De muneribus, et honoribus.

SUMMARIA.

1. *Munera sunt aut personarum, aut patrimonii, aut mixta.*
2. *Privilegium originis a muneribus domicilii non excusat.*
3. *Qui militat excusatur a munere municipali.*
4. *Reatus patris non excludit filium ab honoribus.*
5. *Hospitia militum per vices suscipiuntur.*
6. *Munera aequaliter, et per vices injungenda.*
7. *Non excusatur qui ut onus defugiat nomen militiae dedit.*
8. *A patrimonii munere non est excusatio.*
9. *Patrimoniorum munera solis incolis, intributiones possessoribus injunguntur.*
10. *Minoribus non committitur Reipublicae administratio.*
11. *Annus caeptus pro impleto habetur in honoribus, ubi minori nihil committitur.*
12. *Qui munera detractant coguntur ut gerant.*
13. *Honori munus non super injungitur: sed muneri honor accedit*
14. *Honores gradatim deferendi.*
15. *Immunitati propter penuriam eligendorum derogatur.*
16. *Honor est administratio cum dignitate.*
17. *Munus est administratio sine dignitate.*
18. *In electione spectanda persona, natales, facultates.*
19. *Honores non continuandi, nisi in penuria eligendorum.*

20. *Nec honor, nec munus in patre et filio continuatur.*
21. *Debito fratri intervallo non gaudet frater, licet bona communia possideant.*
22. *Muneribus functi iterum non eliguntur, nisi in penuria.*
23. *Ab iisdem honoribus et muneribus, quinquennio, a diversis triennio vacatur.*
24. *Veteranos facit vicennium militiae.*
25. *In tempore facienda electio, ut excusatis alii subrogentur.*

1. Munerum civilium quaedam sunt patrimonii, alia personarum. l. 1.

Illud tenendum est generaliter personale quidem munus esse, quod corporibus, labore, cum sollicitudine animi ac vigilantia solemniter extitit: patrimonii vero, in quo sumptus maxime postulatur. l. 1. §. 3.

Munerum civilium triplex divisio est: nam quaedam munera personalia sunt, quaedam patrimoniorum dicuntur, alia mixta. l. 18. d. l. §. 1.

2. Qui originem ab urbe Roma habent, si alio loco domicilium constituerunt, munera ejus substinere debent. l. 3.

3. His qui castris operam per militiam dant, nullum municipale munus injungi potest. l. 3. §. 1.

4. Quod pater in reatu criminis alicujus est (*d*), filiis impedimento ad honores esse non debet, l. 3. §. 9.

5. Eos milites, quibus supervenientibus hospitia praeberi in civitate oportet, per vices ab omnibus (*e*) quos id munus contingit, suscipi oportet. l. 3. §. 13.

(*d*) V. l. 2 §. 7. *de decurionibus.*

(*e*) Nonne satius hospitia dividi pro rata fortunarum, ut putat Lavinius vir summae probitatis, quam per vices; severa aequalitas quae fit per vices videtur prorsus iniqua.

6. Praeses Provinciae provideat, munera et honores in civitatibus aequaliter per vices secundum aetates, et dignitates, ut gradus munerum, honorumque, qui antiquitus statuti sunt, injungi: ne sine discrimine et frequenter iisdem oppressis, simul viris et viribus Respublicae destituantur. l. 3. §. 15.

Civilia munera per ordinem pro modo fortunarum substinenda sunt. l. unic. C. de *mun. patrim.*

7. Qui obnoxius muneribus suae civitatis fuit, nomen militiae, defugiendi oneris municipalis gratia, dedit, deteriorem causam Reipublicae facere non potuit. l. 4 §. ult. V. s. *ad municip.* n. 21.

8. Munera quae patrimoniis injunguntur, vel intributiones, talia sunt, ut neque aetas ea excuset, neque numerus liberorum, nec alia prerogativa, quae solet a personalibus muneribus exuere. l. 6. §. 4.

9. Munera quae patrimoniis inducuntur, duplicia sunt. Nam quaedam possessoribus injunguntur, sive municipes sunt, sive non sunt: quaedam non nisi municipibus vel incolis. Intributiones quae agris fiunt, vel aedificiis, possessoribus inducuntur. Munera vero quae patrimoniorum habentur, non aliis quam municipibus, vel incolis. l. §. ult. C. 18. §. 21.

10. Ad Rempublicam administrandam ante vicesimum quintum annum. vel ad munera quae non patrimonii sunt, vel honores, minores admitti non oportet. l. 8.

11. Annus vicesimus quintus coeptus pro pleno habetur (*a*).

(*a*) Secus in restitutionibus. L. 3. §. 3. *de minoribus*. V. *de decurionibus*, n. 5.

19. Gerendorum honorum non promiscua facultas est, sed ordo certus huic rei adhibitus est. Nam neque prius majorem magistratum quisquam, nisi minorem susceperit, gerere potest; neque ab omni aetate, neque continuare quisque honores potest. Si alii non sint, qui honores gerant, eosdem compellendos qui gesserint, complurimis constitutionibus cavetur. D. etiam Hadrianus de iterandis muneribus rescripsit in haec verba: illud consentio, ut si alii non erunt idonei, qui hoc munere fungantur, ex his qui jam functi sunt, creentur. l. 14. §. penult. et ult. V. s. l. 11.

Defensiones Reipublicae amplius quam semel suscipere nemo cogitur, nisi id fieri necessitas postulet. l. 16. §. ult.

20. Sicut honores et munera cum pater et filius decuriones sunt, in eadem domo continuari non oportet; ita vocationum concessa tempora non aliis prodesse possunt, quam his qui ad eosdem vel alios honores eademque vel alia munera, denuo vocantur. l. 1. C. *de muner. et hon. non cont.* V. n. seq.

21. Intervalla temporum quae in unius persona locum habent, fratribus (licet communia possideant bona) minime prodesse, frequenter constitutum est. l. ult. C. *eod.* V. Tit. *de decurionibus*, n. 14.

22. Cum te omnibus muneribus functum esse adseveres, ad eadem munera, si aliorum civium copia est, qui obsequiis civilibus fungi possint, prases provinciae devocari te non permittet. l. 3. C. *quaedam. civ. mun. indic.*

23. Ab honoribus ad honores eosdem quinquennii datur vocatio (*a*): triennii vero ad alios. l. 2. C. *de*

(*a*) Idem *de Collectoribus*.

mun. et honor. Idem in muneribus. V. §. 5. ff. *de mun. et honor.*

24. Veterani sunt qui post vicesimum annum militiae honestam, vel causarum missionem consecuti sunt. l. ult. C. *de his qui non impl. stip. sacr. sol. s.*

25. Decuriones ad magistratum, vel exactionem annonarum ante tres menses, vel amplius, nominari debent. Ut si querimonia eorum videatur justa, sine impedimento, in absolvendi locum alius subrogetur. l. 1. C. *de magistr. munic.*

TITULUS V.

De vacatione, et excusatione munerum.

SUMMARIA.

1. *Æquitate nititur excusatio.*
2. *Sexaginta quinque anni cum tribus liberis non excusant.*
3. *Anni 70. et numerus liberorum a muneribus, non etiam ab honoribus excusant.*
4. *Non prosunt liberi mortui aut superstites post munera suscepti, nec aliae excusationes supervenientes.*
5. *Ab oneribus patrimonii liberi non excusant, nec senium, nec minor aetas, nec sexus.*
6. *Minus audiens non excusatur.*
7. *Corporis debilitas ab iis excusat quae corpore implenda sunt: non a caeteris, nisi ex causa probabili.*
8. *Absenti ob rempublicam annumerantur dies quibus accingitur ad negotium, aut ab eo revertitur, cum aliquo laxamento.*
9. *Debent philosophi pecuniam contemnere, onera sustinere.*

10. *Qui suis rebus superesse non potest a civilibus officiis excusatur.*
11. *Una cura a caeteris excusat.*
12. *In municipiis potest concedi immunitas medicis et liberalium studiorum professoribus.*
13. *Tutelae a muneribus civilibus non excusant.*

1. Omnis excusatio sua aequitate nititur. l. 1.

2. Quamvis sexaginta quinque annorum aliquis sit, et tres liberos incolumes habeat, a muneribus tamen civilibus propter has causas non liberatur. l. 1. §. ult,

3. Numerus liberorum, aut septuaginta annorum, ab honoribus aut muneribus his cohaerentibus excusationem non praestat, sed a muneribus tantum civilibus. l. 2. §. 1.

In honoribus delatis neque major annorum septuaginta, neque pater numero quinque liberorum excusatur. l. 8.

4. Qui ad munera vocantur, vivorum se liberorum numerum habere, tempore quo propter eos excusari desiderant, probare debent: numerus enim liberorum postea impletus, susceptis antea muneribus non liberat. l. 2. §. 3.

Hoc circa vacationes dicendum est, ut si ante quis ad munera municipalia vocatus sit, quam negotiari inciperet, vel antequam in collegium adsumeretur quod immunitatem pariat, vel antequam septuagenarius fieret (*b*), vel antequam publice profiteretur, vel ante-

(*b*) Verum nonne aetas septuagenaria superveniens deberet excusationem afferre? neque enim est privilegium, sed multo magis impotentia et incapacitas.

quam liberos susciperet, compellatur ad honorem gerendum. l. 5. §. 7. ff. *de jure imm.* (*c*).

5. Quae patrimoniorum onera sunt, numero liberorum non excusantur. l. 2. §. 4.

Neque tempore aetatis, neque numero liberorum a muneribus quae patrimoniorum sunt, excusationem quis habere potest. l. 5. C. *de numer. patrim.*

Etiam minores aetate patrimoniorum muneribus subjugari solent. l. 7. C. *eod.*

Patrimoniorum munera mulieres etiam sustinere debent. l. 9. C. *eod.*

6. Minus audiens immunitatem civilium munerum non habet. l. 2 §. 6.

7. Corporis debilitas eorum munerum excusationem praestat, quae tantum corpore implenda sunt. Caeterum quae consilio prudentis viri, vel patrimonio sufficientis in homines obiri possunt: nisi certis, et receptis, probabilius causis non remittuntur. l. 2. §. penult.

8. Tempus vacationis, quod datur eis qui Reipublicae causa abfuerunt, non ex eo die numerandum est, quo quis abesse desiit, sed cum quodam laxamento itineris. Neque enim minus abesse Reipublicae causa intelligendus est qui adit negotium, vel ab eo revertitur. Si quis tamen plus justo temporis, aut itinere, aut in alio loco commoratus, consumpserit (*a*): ita ea interpretanda erit, ut ex eo tempore vacationis dies incipiat ei cedere, quo iter ex commodo peragere potuisset. l. 4.

9. Vere philosophantes pecuniam contemnunt (*b*),

(*c*) L. 7. *de judiciis*
(*a*) L. 2 §. 8. *si quis cautionibus.*
(*b*) V. l. 6 §. 5 et §. 7. *de excusationibus.*

cujus retinendae cupidine fictam adseverationem detegunt. l. 8. § 4. in s.

Possessio et desiderium tuum inter se discrepant. Nam cum philosophum te esse proponas, vinceris avaritia et rapacitate, et onera quae patrimonio tuo injunguntur solus recusare conaris, quod frustra te facere caeterorum exemplo poteris edoceri. l. 6. C. *de mun. patr.*

Turpe est ut patriae functiones ferre non possit, qui etiam fortunae vim se ferre profitetur. l. 8. in f. C. *de profess. et med.*

10. Qui in eam valetudinem indicit, ut certum sit eum civilia officia subire non posse, aut alio morbo laboret, ut suis rebus superesse non possit (hic) in perpetuum excusatur. l. 13.

11. Eodem tempore idem duas curas operis non administrabit. l. ult. §. 1.

12. Exceptis qui liberalium studiorum antistites sunt, et qui medendi cura funguntur, Decurionum decreto immunitas nemini tribui potest. l. un. C *de decret. dec. sup. imm. quib. conc.*

13. Tutelae sollicitudo a muneribus civilibus non excusat: utpote cum nec tres simul injunctae diversarum domuum hujusmodi beneficium praestent. l. 3. §. *de excus. mun.*

TITULUS VI.

De jure immunitatis.

SUMMARIA.

1. *Personalis immunitas ad haeredem non transit.*
2. *Immunitas data posteris ad filiae natos non pertinet: perpetua est in posteris masculorum.*

3. *Immunitati sub certa conditione renuntiantibus, servanda conditio.*
4. *Annus coeptus non excusat a munere personali.*
5. *Senectuti honor habendus. In excusationibus propter aetatem spectandae consuetudines.*
6. *Numerus liberorum non abscise a muneribus municipalibus excusat.*
7. *Liberorum numerum implent nepotes ex praemortuis.*
8. *Quibusdam corporibus artificum, concesse immunitates.*
9. *Privilegium non amittit qui subit munus a quo erat immunis.*
10. *Clerici a muneribus personalibus sunt immunes.*

1. Personis datae immunitates, haeredibus non relinquuntur. l. 1. §. 1.

2. Sed et generi posterisque datae custoditaeque, ad eos qui ex foeminis nati sunt, non pertinent (c). l. 1. §. 1.

Immunitates generaliter tributae eo jure, ut ad posteros transmitterentur, in perpetuum succedentibus durant. l. 4.

3. Si qui certa conditione muneribus vel honoribus (a) se adstrinxerunt, cum alias compelli non possent inviti suscipere istum honorem, fides ei servanda est conditioque, qua se ad munera sive honores applicari passi sunt. l. 2.

4. Majores septuaginta annis a tutelis et muneribus personalibus vacant. Sed qui ingressus est septuagesi-

(c) Nam mulier familiae suae finis est, sicut novae familiae caput est. L. 195 §. ult. *de verborum significatione.*

(a) V. n. 9.

mum annum, nondum egressus, hac vacatione non utitur: quia non videtur major esse septuaginta annis qui annum agit septuagesimum. l. 3.

5. Semper in civitate nostra senectus venerabilis fuit: namque majores nostri penes eundem honorem senibus, quem magistratibus tribuebant. Circa munera quoque municipalia subeunda idem honor senectuti tributus est. Sed cum qui in senectute locuples factus est, et ante nullo publico munere functus est, dici potest non eximi ab hoc onere privilegio aetatis; maxime si non tam corporis habeat vexationem, quam pecuniae erogationem indicti muneris administratio: et ex ea sit civitate, in qua non facile sufficientes viri publicis muneribus inveniantur. Legem quoque respici cujusque loci oportet, an cum aliquas immunitates nominatim complecteretur, etiam de numero annorum in ea commemoretur. l. 5. d. l. §. 1.

6. Demonstratur varie, nec abscisse, numerum liberorum ad excusationem municipalium munerum prodesse, ex rescripsis Divi Elvii Pertinacis. Namque Silvio Candido in haec verba rescripsit Ει και μη πασων λειτουργιων αφιεναι τους πατερας ο των τεκνων αριθμος αλλουν επειδη εκκαιδεκα παιδας εχειν δια του βιβλιου εδηλωσας, ουκ εστιν αλογον, ωστε συγχωρησαι σχολαζειν τη παιδοτροφια, και ανειζαισε των λειτουργιων. Id est: *etsi non ab omnibus muneribus dimittit patrem natorum numerus; tamen quia sedecim pueros habere te per libellum notificasti, non est irrationale, ut concedamus filiorum educatione remitti tibi munera.* l. 5. §. 2.

Eos qui cujuscunque sexus liberos quinque habeant, impetrata semel vacatione potiri convenit. l. ult. C. *de his qui num. lib.*

7. Nepotes loco parentum succedentes, vice eorum prodesse consueverunt (*b*). Ideoque si quinque numerus liberorum ex amissorum nepotibus suppletur, a muneribus personalibus is quem patrem tuum esse dicis, juxta constituta excusatur. l. 3. C. *de his qui num. liber.*

8. Quibusdam collegiis vel corporibus, quibus jus coeundi lege permissum est, immunitas tribuitur: scilicet eis collegiis vel corporibus, in quibus artificii sui causa unusquisque adsumitur, ut fabrorum corpus est, et si qua eandem rationem originis habent, id est, idcirco instituta sunt, ut necessariam operam publicis utilitatibus exhiberent. l. 5. §. 12.

9. Qui publici muneris vacationem habet, si aliquem honorem susceperit (*c*), ob id quod patriae suae utilitatibus cesserit, vel gloriae cupiditate paulisper jus publicum relaxaverit, competens privilegium non amittit. l. 2. C. *de his qui spont. mun. sub.*

10. Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, atque Exorcistas et Lectores, Ostiarios et Acolythos (*d*) etiam personalium munerum expertes esse praecipimus. l. 6, C. *de Episcopis et Clericis.*

(*b*) Sed plures nepotes unius dumtaxat filii vice funguntur.
(*c*) Vide n. 3.
(*d*) Qui non sunt in sacris, ea lege immunes sunt tantummodo ut Ecclesiae inserviant.

TITULUS VII.

De legationibus.

SUMMARIA.

1. *Legati etiam hostium pro sanctis habentur.*

1. Si quis legatum hostium pulsasset, contra jus gentium id commissum esse existimatur: quia *sancti habetur leg. ti.* Et ideo, si cum legati apud nos essent gentis alicujus, bellum cum eis indictum sit, responsum est, liberos eos madere; id enim juri gentium conveniens esse. l. ult.

TITULUS VIII.

De administratione rerum ad civitatem pertinentium.

SUMMARIA.

1. *Qui rem publicam administrant, per subjectas personas exercere prohibentur quae ipsis prohibita sunt.*
2. *Fidejussor conductoris vectigalium in universam conductionem, et in usuras convenitur.*
3. *Prior convenitur qui gessit.*
4. *Legatum municipio potest causa cognita in alia converti quam quae voluit testator.*
5. *Potius reficienda vetera quam nova instituenda.*
6. *Diligentiam praestant qui Rempublicam administrant.*
7. *Non praescribitur adversus errorem calculi.*
8. *Curator civitatis usuras praestat pecuniae quae apud eum remansit, non etiam quam debuit exigere. Possunt ei usurae ex justa causa remitti.*

1. Quod quis suo nomine exercere proibetur, id nec per subjectam personam agere debet. Et ideo decurio subjectis aliorum nominibus praedia publica locat (*a*), quae decurionibus conducere non licet, secundum legem usurpata revocentur. l. 2. §. 1.

2. Qui fidejusserint pro conductore vectigalis (*b*) *in universam conductionem*, in usuras quoque in jure conveniuntur, nisi proprie quid in personam eorum verbis obligationis expressum est. l. 2. §. 12.

3. Curatores communis officii, divisa pecunia, quam omnibus in solidum publice dari placuit, periculo vice mutua non liberantur. Prior tamen exemplo tutorum conveniendus est is qui gessit. l. 3. l. 1. et l. 2. Cod. *quo quisque ord. conv.*

4. Legatam municipio pecuniam in aliam rem, quam defunctus voluit (*c*) convertere citra Principis auctoritatem non licet. Et ideo, si unum opus fieri jusserit, quod falcidiae legis interventu fieri non potest, permittitur summam quae eo nomine debetur, in id quod maxime necessarium Reipublicae videatur, convertere. l. 4. V. n. seq.

5. Pecuniam, quae in opera nova legata est, potius in tutelam eorum operum, quae sunt, convertendam, quam ad inchoandum opus erogandam, Divus Pius rescripsit: scilicet si satis operum civitas habeat et non facile, ad reficienda ea, pecunia inveniatur. l. ult. ff. *de oper. publ.* V. n. super.

(*a*) Lege *conducit*, vel *locat*, ut Fornerius, 2. 9.
(*b*) V. l. 54. *locati.* l. 86. *de verborum obligationibus*, l. 68. *de fidejussion.*
(*c*) V. l. 16. *de usufructu legato.*

6. Magistratus Reipublicae non dolum solummodo, sed et latam negligentiam et hoc amplius etiam diligentiam debent. l. 6.

7. Calculi erroris retractatio etiam post decennii aut tempora admittetur (*d*). l. 8.

8. Imperatores Antoninus et Verus rescripserunt, *pecunia* (*e*), *quae apud curatores remansit, usuras exigendas: ejus* vero, *quae a redemptoribus operum exigi non potest, sortis dumtaxat periculum ad curatores pertinere* (*f*). *l.* 9.

Imperatores *Antoninus et Verus* rescripserunt, eum qui pecuniam publicam magistratus sui tempore, et post non pauco tempore detinuerat, usuras etiam praestare debere, nisi si quid allegare possit, qua ex causa tardius intulisset. l. 9. §. ult.

TITULUS IX.

De decretis ab ordine faciendis.

SUMMARIA.

1. *Irritum quod decernitur non coacto legitimo numero.*

1. Illa decreta, quae non legitimo numero decurionum coacto facta sunt, non valent (*g*).

(*c*) V. l. 16. *de usufructu legato.*

(*d*) Quid sit error calculi. V. l. 1. §. 1. Quae sententiae sine appellatione. V. l. 1. C. *de errore calculi.* Quid de tricennio? Distinguo, si patet errorem calculi fuisse cognitum vel incognitum.

(*e*) V. *de jure fisci* n. 16.

(*f*) V. l. 17. §. ult. *Ad municipalem.*

(*g*) L. 19. *Ad municipalem. Lex* 3. *habet*: Lege autem municipali cavetur ut ordo non aliter habetur quam duobus partibus adhibitis. *Lex* 4. *habet*: Ambitiosa decreta decurionum rescindi debent, sive aliquem debitorem dimiserint, sive largiti sunt.

TITULUS X.

De operibus publicis

SUMMARIA.

1. *Qui duo munera sponte suscepit a neutro excusabitur propter alterum.*
2. *Ne eradantur inscriptiones eorum qui meriti sunt.*
3. *Operis publici vitia conductoribus imputantur, intra certum tempus.*
4. *Ædificiorum modus ne aspectus deformetur.*
5. *Servandum certum spatium inter aedificia nova privatorum et publica.*

1. Curam operibus aquaeductus in alio jam munere constitutus postea susceperat: praepostere visus est petere exonerari priori munere utrisque jam implicitus: quando, si alterum tantum eum sustinere oportuisset, ante probabilius impetrasset propter prius munus a sequenti excusationem. l. 1. §. 1.

2. Ne ejus nomine, cujus liberalitate opus extructum est, eraso, aliorum nomina inscribantur, et propterea revocentur similes civium in patrias liberalitates, praeses provinciae auctoritatem suam interponat. l. 2. §. 2.

3. Quibus operum publicorum extructio credita est, si quid vitii intra quindecim annos ab opere perfecto evaserit, tenebuntur et eorum haeredes. l. 8. C. *de oper. publ.*

4. An in totum ex ruina domus licuerit non eamdem faciem in civitate restituere, sed in hortum convertere: et an hoc consensu tunc magistratuum non proibentium, item vicinorum factum sit, praeses, probatis

his quae in oppido frequenter in eodem gen controversiarum servata sunt, causa cognita statue . 3. C. *de aedif. priv.*

5. Si cui loci proprietates aedificandi juxta ublicas aedes animum dederit, is quindecim pedum tio interiecto (*a*) inter publica ac privata aedificia ta sibi noverit fabricandum, ut tali intervallo et public eades a periculo vindicentur, et privatus aedificator vel perperam fabricato loco destructionis, quandoque iturae non timeat detrimentum. l. 9. C. *de aedif. priv*

TITULUS XI.

De nundinis.

SUMMARIA.

1. *Cessat in nundinis exactio privati debiti.*

1. Qui ad nundinas (*b*) concurrerunt, non possunt pro debitis inquietari. l. un. Cod. *de nundin. et mercib.* (*c*).

(*a*) V. l. ult. *finium regundorum.*

(*b*) Privilegia nundinarum.

(*c*) * *Lex* 1. *ad digest. ait*: Nundinis impetratis a principe, non utendo qui meruit, decennii tempore usum amittit.

TITULUS XII.

De pollicitationibus.

SUMMARIA.

1. *pos ex filia inter liberos habetur.*

1. Per liberos nepotem quoque ex filia contineri Divus Pius escripsit. l. ult. (*d*).

TITULUS XIII.

De extraordinariis cognitionibus, et si judex litem suam fecisse diceretur (*)

SUMMARIA.

1. *Quaedam honeste accipiuntur, quae inhoneste petuntur, ut honorarium juris professorum.*
2. *Honorarii advocatorum modus.*
3. *Restituitur qui medico egenti sua vendidit.*
4. *Cognitionum genera quatuor, de muneribus, de re pecuniaria, de existimatione, de crimine.*
5. *Existimatio est dignitatis illaesae status.*
6. *Existimatio poenis minuitur, et infamia.*
7. *Consumitur existimatio majoribus poenis*

1. Est quidem res sanctissima civilis sapientia: sed quae pretio nummario non sit aestimanda, nec deho-

(*d*) L. 48 116 120. *de verborum significatione.*
(*) L. 10 et 16. *de judiciis.*



quid philanthropiae nomine acceperit, nec ex locato conducto erit actio. Plane si dolo et callidate creditorem circumvenerit, de dolo actione tenebitur, l. 2.

3. De proxenetico, quod et sordidum, solent praesides cognoscere: sic tamen ut in his modus esse debeat, et quantitatis et negotii, in quo operula ista defuncti sunt, et ministerium quale quale accommodaverunt, l. 3.

Est proxenetarum modus, qui emptionibus, venditionibus, commerciis, contractibus licitis utiles non ideo improbabili more se exibent, l. 3. in f.

TITULUS XV.

De censibus.

SUMMARIA.

1. *Immunitas personae cum ea extinguitur, fundi nunquam.*
2. *Censetur ager nomine, situ, limitibus, jugeribus.*
3. *Si deterior fiat ager, minuitur census.*
4. *Ibi censetur ager, ubi situs est.*
5. *Lacus, portus, salinae censentur.*
6. *Possessori qui pro caeteris convenitur, mandantur actiones fisci, ut pro suo quisque modo conferat.*

1. Personis data immunitas cum persona exstinguitur (c): rebus numquam extinguitur, l. 3. in f. l. 4. §. 3.

2. Forma censuali cavetur, ut agri sic in censum referantur, nomen fundi cujusque, et in qua civitate, et

(c) L. 196. *de reg. jur.*

quo pago sit, et quos duos vicinos proximos (*d*) habeat, l. 4. quot jugerum sit, d. l.

3. Illam aequitatem debet admittere censitor, ut officio ejus congruat, relevari eum qui in publicis tabulis delato modo frui certis ex causis non possit. Quare, et si agri portio chasmate perierit, debebit per censitorem relevari. Si vites mortuae sunt, vel arbores aruerint (*a*), iniquum, eum numerum inseri censui, l. 4. §. 1.

4. Is vero qui agrum in alia civitate habet, in ea civitate profiteri debet, in qua ager est: agri enim tributum in eam civitatem debet levare, in cujus territorio possidetur, l. 4. §. 2.

5. Lacus quoque piscatorius et portus in censum dominus debet deferre. Salinae si quae sunt in praediis, et ipsae in censum deferendae sunt, l. 4. §. 6. et 7.

6. Cum possessor unus expediendi negotii causa tributorum jure conveniretur, adversus caeteros, quorum aeque praedia tenentur ei, qui conventus est, actiones a fisco praestantur: scilicet ut omnes pro modo praediorum pecuniam tributi conferant. Nec inutiliter actiones praestantur, tametsi fiscus pecuniam suam recuperaverit: quia nominum venditorum pretium acceptum videtur (*b*), l. 5. (*c*).

(*d*) Finitimi.

(*a*) Secus propter vetustatem vinearom. l. 15. §. 5. *locati.*

(*b*) Contra in L. Modestinus 76. *de solutionibus.* Actiones non possunt ex intervallo cedi utpote extinctae. Verum Gujacius ad L.L. lib. 19 respons. Pap. ait, convenisse in solvendo, ut actiones cederentur, quod quidem est omnino divinatorium: nam ista lex contrarium prorsus innuit. Cujacius quatuor alia fisci privilegia enumerat hic, quae ratione tributorum tantum competunt. Primum est, ut fisco tributa persequenti compensatio opponi non possit. Secundum, ut in causa tributorum servi torqueantur adversus dominos. Tertium, ut universa bona possessoris tributorum nomine tacite obligata sint, alias

TITULUS XVI.

De verborum significatione.

SUMMARIA.

1. *Creditor est cui quid debetur ex quavis causa.*
2. *Tempore minus solvitur.*
3. *Saepe materiam superat opus.*
4. *Amisit rem qui adversus nullum actionem habet.*
5. *Non proprie publica sunt, quae sunt civitatis.*
6. *In bonis a Principe concessis continentur obligationes.*
7. *Haereditas est successio in universum jus defuncti.*
8. *Totus fundus meus est, etsi ususfructus alienus sit, aut alteri serviat.*
9. *Pars intelligitur, aut indivisa, aut divisa.*
10. *Non alienat qui occasionem acquirendi omittit.*
11. *Interdum conjunctio disjungit, et contra.*
12. *Bona intelliguntur deducto aere alieno.*
13. *Familia liberos continet.*
14. *Victus vestitum continet et vitae necessaria.*
15. *Matrem familias nec nuptiae faciunt, nec natales, sed boni mores.*
16. *Par solutioni liberatio.*
17. *Bona sunt quae dominii nostri sunt, quae bona fide possidemus et quorum habemus petitionem.*

---

fiscus non habet hypothecam nisi ex suis contractibus. Quartum, ut fiscus possit prius agere hypothecaria actione in tributis quam principali, cum alias non possit. Postremum, ut secundum hanc legem 5. Si in uno vico vel territorio plures sint praediorum possessores, fiscus possit unum convenire pro omnibus expediendi negotii tributorum causa, ne distringatur in plures, salvo regressu ejus qui solvit contra caeteros.

(c) V. l. 57. in fine, *de legatis* 1.

18. *Aliud ope juvare, aliud consilio.*

19. *Consilium non nocet, facto non secuto.*

20. *Creditor conditionalis nondum actionem habet, sed spem.*

21. *Creditor est qui exceptione perpetua non summovetur: qui temporali, similis est creditori conditionali.*

22. *Liberi sut filii et nepotes etiam ex faeminis.*

23. *Intestatus est cui non ex testamento succeditur.*

24. *Haeredis haeredes, haeredis loco sunt.*

25. *Restitutio omnia continet quae habiturus erat actor.*

26. *Qui suas possessiones legat proprietatem legat.*

27. *Impensae necessariae sunt quae rem servant.*

28. *Utiles quae meliorem faciunt.*

29. *Voluptuariae quae tantum ornant.*

30. *Tres faciunt collegium.*

31. *Litus est quo maxime fluctus exaestuat.*

32. *Abrogatur lex cum tollitur. Legi derogatur cum quid detrahitur.*

33. *Debitor est a quo invito exigitur.*

34. *Bona fide emit qui ignorat rem alienam esse.*

35. *Sequester est rei de qua lis est, depositarius.*

36. *Non sunt liberi qui mortui nascuntur.*

37. *Poena generaliter dicitur; mulcta poenae species, quae non nisi pecuniaria est.*

38. *Variae rationes anni computandi pro variis causis. Huc referendae leges ad istam collatae.*

39. *Monstruosus partus parentibus prodest.*

40. *Capit etiam qui alii acquirit.*

41. *Conjunctio fit aut re, aut re et verbis, aut verbis tantum.*

42. *Id quis habere dicitur, de quo habet actionem.*

43. *Liberos habere dicitur, cui vel unus est.*
44. *Delata est haereditas quae adiri potest.*
45. *Verbum* homo, *ad utrumque sexum pertinet.*
46. *Is moriens liberos habet qui praegnantem relinquit uxorem.*
47. *Partitionis nomen, parte non adjecta, de dimidia intelligitur.*
48. *Haereditas et minuitur, et augetur.*
49. *Pro solutione est delegatio.*
50. *Familiam dicimus plures personas uni subjectas.*
51. *Paterfamilias est dominus domus, licet pater non sit.*
52. *Quot capita filiorum qui patria potestate liberati sunt, tot patres familias.*
53. *Ejusdem familiae etiam dicuntur qui ex eadem domo et ab uno genitore proditi sunt.*
54. *Mulier familiae finis et caput.*
55. *In familia est familiae princeps.*
56. *Ibi domus, ubi sedes et rerum summa habetur.*
57. *Bona non res singulas, sed universitatem demonstrant.*
58. *Praevaricatus qui causam adversam juvat.*
59. *Debiti pure cessit dies et venit: conditionalis pendet.*
60. *Lata culpa est non intelligere quod omnes intelligunt.*
61. *In patre potestas, in magistratu imperium.*
62. *Pro haerede stipulatus ad legatarium transmittit, nam spectanda mens.*
63. *Conjugii votum liberorum procreatio.*
64. *Amicos facit non notitia, sed honesta familiaritas.*
65. *Affinis negligentia culpae, culpa dolo.*
66. *Qui in utero est aliis non prodest: si de eo agatur pro nato habetur.*
67. *Pignus proprie in re mobili.*

68. *Munus publicum est officium privato injunctum in rem omnium.*

69. *Territorium continet agros intra fines civitatis.*

70. *Suum est et quod commune est.*

71. *Restituit qui rem praestat cum omni causa.*

1. *Creditorum* appellatione non hi tantum accipiuntur qui pecuniam crediderunt; sed omnes quibus ex qualibet causa debetur, l. 11.

Sed etsi ex delicto debeatur, mihi videtur posse creditoris loco accipi, l. 12.

Minus solvit, qui tardius solvit: nam et tempore minus solvitur, l. 12. §. 1.

3. Plerumque plus est in manus pretio, quam in re, l. 13. §. 1. in fin.

4. Rem amisisse videtur, qui adversus nullum ejus persequendae actionem habet, l. 14. §. 1.

5. Bona civitatis abusive publica dicta sunt: sola enim ea publica sunt, quae populi Romani sunt, l. 15. (*d*).

6. Princeps bona concedendo videtur etiam obligationes cedere, l. 21.

7. Nihil est aliud haereditas, quam successio in universum jus quod defunctus habuit. l. 24. V. inf. *de reg. jur.* n. 61.

8. Recte dicimus, eum fundum totum nostrum esse etiam cum ususfructus alienus est: quia ususfructus non dominii pars, sed servitus sit, ut via et iter. Nec falso dici, totum meum esse, cujus non potest ulla pars dici alterius esse, l. 25.

(*d*) V. l. 26. §. 9. *ex quibus causis majores.* l. 38. §. 1. *de rebus auctoritate judicis.* l. 16 *ibid.*

Quintus Mucius ait, *partis* appellatione rem pro indiviso significari: nam quod pro diviso nostrum sit, id non partem, sed totum esse. Servius non ineleganter partis appellatione utrumque significari, l. 25. §. 1.

10. Qui occasione adquirendi non utitur, non intelligitur alienare: veluti qui haereditatem omittit, aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur, l. 28. V. in f. *de reg. jur.* n. 95.

11. Conjunctionem nonnunquam pro disjunctione accipi Labeo ait: ut in illa stipulatione, *mihi haeredique meo, te haeredemque tuum*, l. 29.

Saepe ita comparatum est, ut conjucta pro disjunctis accipiantur, et disjuncta pro conjunctis, interdum soluta pro separatis, l. 53.

Dum dicimus, *quod dedi aut donavi*, utraque continemus. Cum vero dicimus, *quod eum dare, facere oportet*, quodvis eorum sufficit probare. d. l.

12. *Bona* intelliguntur cujusque, quae deducto aere alieno supersunt, l. 39. §. 1.

13. *Familiae* appellatione liberi quoque continentur, l. 40. §. 2.

14. Verbo *victus* continentur quae esui, potuique, cultuique corporis, quaeque ad vivendum homini necessaria sunt: vestem quoque victus habere vicem, Labeo ait. Et caetera, quibus tuendi, curandive corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significantur, l. 43. et 44.

Verbum *vivere* quidam putant ad cibum pertinere; sed Ofilius ad Atticum ait, his verbis et vestimenta et stramenta contineri: sine his enim vivere neminem posse, l. 234. §. 2.

15. Matrem familias accipere debemus eam, quae non inhoneste vixit: matrem enim familias a caeteris faemi-

nis mores discernunt atque saparant. Proinde nihil interesit, nupta sit, an vidua; nam neque nuptiae, neque natales faciunt matrem-familias; sed boni mores. l. 46. §. 1.

16. *Liberationis* verbum eamdem vim habet, quam solutionis, l. 47.

17. In bonis nostris computari sciendum est, non solum quae dominii nostri sunt, sed et si bona fide a nobis possideantur, vel superficiaria sint. Æque bonis adnumerabitur, etiam si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus: nam haec omnia in bonis esse videntur. l. 49.

18. Item dubitatum est illa verba, *ope*, *consilio*, quemadmodum accipienda sunt, sententiae conjungentium, aut separantium? Sed verius est, quod et Labeo ait, seperatim accipienda: quia aliud factum est ejus, qui ope, aliud ejus qui consilio furtum facit, l. 53. §. 2.

19. Nemo ope videtur fecisse, nisi et consilium malignum habuerit: nec consilium habuisse nocet, nisi et factum secutum fuerit. d. §.

20. *Conditionales creditores* dicuntur, et hi quibus nondum competit actio, est autem competitura: vel qui spem habent ut competat, l. 54.

21. Creditor autem is est, qui exceptione perpetua summoveri non potest: qui autem temporalem exceptionem timet, similis est condionali creditori, l. 55.

22. *Liberorum* appellatione continentur non tantum qui sunt in potestate, sed omnes qui sui juris sunt, sive virilis, sive faeminini sexus sunt, exve foeminino sexu descendentes, l. 56. §. 1.

23. Intestatus est, non tantum qui testamentum non fecit, sed etiam cujus ex testamento haereditas adita non est, l. 64.

24. *Haeredis* appellatio non solum ad proximum haeredem, sed et ad ulteriores refertur: nam et haeredis haeres, et deinceps, haeredis appellatione continetur, l. 65. Sciendum est, haeredem etiam per multas successiones accipi, l. 70. V. inf. *de reg. jur.* n. 158.

25. Restituere is videtur, qui id restituit, quod habiturus esset actor, si controversia ei facta non esset, l. 75. V. inf. n. ult.

26. Interdum proprietatem quoque verbum *possessionis* significat; sicut in eo, qui possessiones suas legasset, responsum est, l. 78.

27. Impensae *necessariae* sunt, quae si factae non sint, res aut peritura, aut deterior futura sit, l. 79.

28. *Utiles* impensas esse Fulcinius ait, quae meliorem dotem faciant, non deteriorem esse non sinant: ex quibus reditus mulieri adquiratur, sicut arbusti pastinationes ultra quam necesse fuerat. Item doctrinam puerorum, quorum nomine onerari mulierem ignorantem, vel invitam, non oportet; ne cogatur fundo carere. In his impensis et pistrinum, et horreum insulae dotali adjectum, plerumque dicemus, l. 79. §. 1.

29. *Voluptuariae* sunt, quae speciem duntaxat ornant, non etiam fructum augent: ut sunt viridaria, et aquae salientes, incrustationes, loricationes, picturae, l. 79. §. 3.

30. Neratius Priscus tres facere existimat collegium. Et hoc magis sequendum est, l. 85.

31. *Litus* est, quousque maximus fluctus a mari pervenit, l. 96.

32. Derogatur legi, aut abrogatur. *Derogatur* legi, cum pars *detrahitur; abrogatur* lex, cum prorsus tollitur, l. 102.

33. Debitor intelligitur is, a quo invito exigi pecunia potest, l. 108.

34. *Bonae fidei* emptor esse videtur, qui ignoravit eam rem alienam esse; aut putavit eum, qui vendidit, jus vendendi habere, putà procuratorem aut tutorem esse, l. 109.

35. *Sequester* dicitur, apud quem plures eamdem rem, de qua controversia est, deposuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti, aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur. l. 110.

36. Qui mortui nascuntur, neque nati, neque procreati videntur: quia nunquam liberi appellari potuerunt. l. 129.

37. Inter mulctam et poenam multum interest: cum poena generale sit nomen, omnium delictorum coercito: mulcta, specialis peccati, cujus animadversio hodie pecuniaria est. l. 131. §. 1.

38. *Anniculus* non statim ut natus est, sed trecentesimo sexagesimo quinto die dicitur, incipiente plane, non exacto die: quia annum civiliter, non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus. l. 134. V. l. 5. ff. *qui testam. fac. poss.* l. 8. ff. *de muner. et honor.* l. 1. in f. *de manum.* l. 2. ff. *de excus.* l. 1. un. c. *qui aetate* l. 3. §. 3. ff. *de minor.*

39. *Quaeret* aliquis, si portentosum, vel monstruosum, debile mulier ediderit, vel qualem visu vel vagitu novum, non humanae figurae, sed alterius magis animalis, quam hominis partum: an quia enixa est, prodesse ei debeat? Et magis est, ut haec quoque parentibus prosint. Nec enim est, quod eis imputetur, quae, qualiter potuerunt, statutis obtemperaverunt: neque id quod fataliter accessit, matri damnum injungere debet. l. 135. V. *de statu hom.* l. 14.

40. Cepisse quis intelligitur, quamvis alii adquisivit. l. 140.

41. Triplici modo conjunctio intelligitur. Aut enim re per se conjunctio contingit, aut re et verbis, aut verbis tantum, l. 142.

42. Id apud se quis habere videtur, de quo habet actionem: habetur enim, quod peti potest. l. 143. V. inf. *de reg. jur.* l. 15.

43. Non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est. Haec enim enunciatio, *habet liberos* (*non habet liberos*), semper plurative numero profertur. l. 148.

Nam quem *sine liberis esse*, dicere non possumus, nunc necesse est dicamus liberos habere. l. 149.

44. *Delata* haereditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi. l. 151.

45. *Hominis* appellatione tam faeminam quam masculum contineri non dubitatur. l. 152.

46. Intelligendus est mortis tempore fuisse, qui in utero relictus est. l. 153.

47. *Partitionis* nomen non semper dimidium significat, sed prout est adjectum. Potest enim juberi aliquis, et maximam partiri posse et vicesimam, et tertiam, et prout libuerit: sed si non fuerit portio adjecta, dimidia pars debetur. l. 164. §. 1. l. 43. ff. *de usufructu.*

48. Haereditas juris non est et decessionem quod et accessionem, in se recipit. Haereditas autem vel maxime fructibus augetur, l. 178. §. 1.

49. Verbum *exactae pecuniae* non solum ad solutionem referendum est, verum etiam ad delegationem, l. 187.

50. Jure proprio familiam dicimus plures personas, quae sunt sub unius potestate, aut natura, aut jure subjectae, ut puta patremfamilias, matremfamilias, filiumfamilias, filiamfamilias, quique deinceps vicem eorum sequuntur,

ut puta nepotes et neptes, et deinceps, l. 195. §. 2.

51. Paterfamilias appellatur, qui in domo dominium habet. Recteque hoc nomine appellatur quamvis filium non habeat: non enim solam personam ejus, sed et jus demostramus. Denique et pupillum patremfamilias appellamus, l. 195. §. 2.

52. Cum paterfamilias moritur, quotquot capita ei subjecta fuerint, singulas familias incipiunt habere: singuli enim patrumfamiliarum nomen subeunt. Idemque eveniet et in eo qui emancipatus est; nam et hic sui juris effectus propriam familiam habet, l. 195. §. 2.

53. Communi jure familiam dicimus omnium agnatorum: nam etsi patrefamilias mortuo singuli singulas familias habent; tamen omnes qui sub unius potestate fuerunt, recte ejusdem familiae appellabuntur, qui ex eadem domo et gente proditi sunt, l. 195. §. 2. in f.

Appellatur familia plurimarum personarum, quae ab ejusdem ultimi genitoris sanguine proficiscuntur; sicuti dicimus familiam Juliam, quasi a fonte quodam memoriae. d. l. 195. §. 4.

54. Mulier familiae suae et caput et finis est: l. 195. §. ult. l. 1. §. 2. *de jure immunitatis.*

Faeminarum liberos in familia earum non esse, palam est: quia qui nascuntur, patris, non matris, familiam sequuntur. l. 196. §. 1.

55. Familiae appellatione et ipse princeps familiae continetur. l. 196.

56. Ea domus unicuique nostrum debet existimari, ubi quisque sedes et tabulas haberet, suarumque rerum constitutionem fecisset. l. 203.

57. *Bonorum* appellatio, sicut haereditatis, universitatem quandam ac jus successionis, et non singulas res demonstrat. 208.

58. *Praevaricatores* eos appellamus, qui causam adversariis suis donant, et ex parte actoris in partem rei concedunt: a varicando enim praevaricatores dicti sunt. l. 212.

59. *Cedere* diem significat incipere deberi pecuniam: *venire* diem significat eum diem venisse, quo pecunia peti possit. Ubi pure quis stipulatus fuerit, et cessit, et venit dies. Ubi in diem, cessit dies, sed nondum venit: ubi sub conditione, neque cessit, neque venit dies, pendente adhuc donditione. l. 213.

60. *Lata* culpa est nimia negligentia, id est, non intelligere quod omnes intelligunt. l. 213. §. 2.

Latae culpae finis, est non intelligere id quod omnes intelligunt. l. 223.

61. *Potestatis* verbo plura significantur: in persona magistratuum, imperium; in persona liberorum, patria potestas. l. 215.

62. In (*) conventionibus contrahentium voluntatem potius quam verba spectari placuit. Cum igitur ea lege fundum vectigalem municipes locaverint, ut ad haeredem ejus qui suscepit, pertineret, jus haeredum ad legatarium quoque transferri potuit. l. 219.

63. Natura nos docet, parentes pios, *qui liberorum procreandorum animo et voto uxores ducunt*: filiorum appellatione, omnes qui ex nobis descendunt, contineri. Nec enim dulciore nomine possumus nepotes nostros quam *filii* appellare. l. 220. §. ult.

64. *Amicos* appellare debemus, non levi notitia conjunctos, sed quibus fuerint jura cum patrefamilias, ho-

(*) Conventionibus.

nestis familiaritatis quaesita rationibus. l. 223. §. 1.

65. Magna negligentia, culpa est; magna culpa, dolus est. l. 226.

66. Quod dicimus, eum, qui nasci speratur, pro superstite esse, tunc verum est, cum de ipsius jure quaeritur. Aliis autem non prodest, nisi natus. l. 231.

67. Pignus proprie re mobili constituitur. l. 239. §. 2. in f.

68. *Manus publicum* est officium privati hominis, ex quo commodum ad singulos universosque cives, remque eorum pervenit. l. 239. §. 3.

69. Territorium est universitas agrorum intra fines cujusque civitatis. l. 239. §. 8.

70. Verbum *suum* ambiguum est, utrum de toto, an de parte significet: et ideo qui jurant, suum non esse adjicere debet, neque sibi communem esse. l. 239. §. ult.

71. *Restituit* non tantum qui solum corpus, sed etiam qui omnem rem conditionemque reddita causa praestat, et tota restitutio juris est interpretatio. l. ult. §.

TITULUS XVII.

De diversis regulis juris antiqui.

SUMMARIA.

1. *Ex jure regula, in his habet officium suum quibus covenit.*
2. *Faeminae ab omnibus civilibus officiis removentur.*
3. *Vix vult qui patri paret.*
4. *Jus civile naturali non derogat.*
5. *In obscuris minimum sequimur.*
6. *Idem habet commoda qui incommoda.*
7. *Nostra ad alios non transeunt sine facto nostro.*
8. *Testatoris voluntas plene interpretanda.*
9. *Statim debet, qui sine die debet.*
10. *Rem habere videtur qui actionem habet.*
11. *Pro haerede, et pro debitore tempus adjicitur.*
12. *Scire debet quisque quis sit cum quo contrait, aliud in haerede cum legatariis.*
13. *Minus licet cui et plus.*
14. *Quod in arbitrium domini confertur, boni viri arbitrium desiderat.*
15. *Dolus in omnibus contractibus praestatur: in quibusdam culpa, in multis casus.*
16. *Quid intersit in facto est.*
17. *Tutius re cavetur, quam persona.*
18. *Inscio et absente possumus, quod possumus invito.*
19. *Juri publico pactis privatorum non derogatur.*
20. *Naturae contractuum per pacta derogatur*
21. *Donator in id condemnatur quod facere potest.*
22. *Vitiosa non convalescunt.*

23. *Veritatem facta non mutant, nec infectum faciunt quod factum est.*

24. *Jus naturale neminem distinguit.*

25 *In lucro durior causa petitoris.*

26. *Vel quod actum, vel quod usitatum, vel quod minimum est sequimur.*

27. *Sic solvuntur quaeque et intercidunt, ut et consistunt*

28. *Culpa est alienis se immiscere.*

29. *Absolvere potest qui contemnare.*

30. *Haeres ex delicto defuncti nec poenam sentit, nec lucrum facit.*

31. *Qui ne quid fiat impedit, pro facto habere debet.*

32. *Nulla voluntas furiosi et prodigi.*

33. *Par actoris et rei conditio.*

34. *In obscuro repetitioni favendum potius quam lucro.*

35. *Potest reus alienum factum ignorare, veluti haeres et fidejussor; non idem in actore.*

36 *Qui negat se debere, potest et alia defensione uti.*

37. *Tenetur haeres de dolo defuncti, si quid ad eum pervenit.*

38. *Sui non est emptio nec similis contractus.*

39. *Consilii non est obligatio, nisi dolus adsit.*

40. *Socius socii, socius non est.*

41. *Distinguendum inter calorem iracundiae, et animi judicium.*

42. *Culpa caret qui prohibere non potest.*

43. *Non capit qui debet restituere.*

44. *Qui dat errans, repetit: qui consulto, donat.*

45. *Non transfertur quod non habetur.*

46. *Non est dolus suo uti.*

47. *In dubiis benigniora praeferenda.*

48. *Defuncti jus habet haeres.*

49. *Qui ratum habuit, mandati tenetur.*

50. *Suum reficere licet, dum alteri non fiat injuria.*

51. *Haereditas est successio in omne jus defuncti.*

52. *Non spectantur in agendis quae raro accidunt.*

53. *In ambiguis quod rei aptius est sequimur.*

54. *Quae personae cohaerent, cum ea deficiunt: non quae causae.*

55. *Non juvatur invitus.*

56. *Fructus rei est dare pignori.*

57. *Vis est, prohibitum clam facere.*

58. *Quae intelligi non possunt pro non scriptis habentur.*

59. *Alteri nemo paciscitur.*

60. *Factum alterius nemini nocet.*

61. *Non mutatur consilium in fraudem alterius.*

62. *Omnino intelligendum quod ex consilio agitur.*

63. *In fraude spectandum quod aufertur.*

64. *In fraude cum eventu consilium desideratur.*

65. *Generalia specialibus restringuntur.*

66. *Superaddita non nocent.*

67. *Is donat qui potest non donare.*

68. *Nostra non amittimus.*

69. *Qui rem individuam dans in solutum amplius solvit, totum repetit, sed non liberatur.*

70. *Natura debet qui aut sua fide aut jure gentium obligatur.*

71. *Doti favendum.*

72. *Non semper intercidunt eo deducta unde incipere non potuerunt.*

73. *In omnibus aequitas spectanda.*

74. *Plerumque melius est litem contestari, quam non.*

75. *Lite contestata tenentur haeredes.*

76. *Nulla mora ubi nulla petitio.*

77. *Successio testamentaria legitimae anteponitur.*
78. *Abundantia non vitiant.*
79. *In ambiguo spectanda mens proferentis.*
80. *Prior tempore potior etiam in lucro.*
81. *Inter famosa judicia summa non distinguit.*
82. *Causae cognitio judicem desiderat.*
83. *Ætatis et imprudentiae ratio habetur in poenis.*
84. *Pluri inest minus, et tota pars.*
85. *Actiones poenales in aeredem non transeunt.*
86. *Inutilis actio, quae exceptione eliditur.*
87. *In obscuris verisimilius et frequentius sequendum.*
88. *Capit qui liberatur.*
89. *Non capit qui stipulatus exceptione summovetur.*
90. *Contraria consensui vis atque metus.*
91. *Non capitur qui jus sequitur.*
92. *Errans non consentit.*
93. *Omittens possessionem non alienat.*
94. *Defuncti jus in haerede non augetur.*
95. *Pro alio nemo agit.*
96. *In lucro inter duos melior causa possidentis.*
97. *Reo favendum.*
98. *Possessor potior.*
99. *Non est dolus suum recipere.*
100. *Ruit plerumque accessorium cum principali.*
101. *Actionem actio concurrens non consumit.*
102. *Qui dolo desiit possidere, pro possessore damnatur.*
103. *Imperitia culpa est.*
104. *Non fraudat creditores, qui non acquirit.*
105. *Nemo ex delicto proficer debet.*
106. *Impossibilia pro non adjectis habet*
107. *Bona fides veritatis loco est.*
108. *A judice bona fide comparatur.*
109. *Haeres a mortis tempore censetur*

110. *Non augetur poena ex post facto.*
111. *Actiones inclusae judicio perpetuantur.*
112. *Perfectae nostrum non est quod ex casu auferri potest.*
113. *Absentia Reipublicae causa nec absenti nec alii damno est.*
114. *Contra rationem recepta non extenduntur.*
115. *Non sunt duo in solidum haeredes.*
116. *Neque fatetur qui tacet neque negat.*
117. *Successoris obstat quod et auctori.*
118. *Aliud licitum, aliud honestum.*
119. *Spectandum tempus contractus.*
120. *Non fraudatur qui consentit.*
121. *Generi inest species.*
122 *Ex quo lucrum capimus, ejus factum praestamus.*
123. *Nec vim nec damnum facit, qui jure agit.*
124. *In delictis par mandato ratihabitio.*
125. *Ex contractibus haeres tenetur in solidum.*
126. *Iisdem fere modis obligamur et liberamus, acquirimus et amittimus.*
127. *In pari causa etiam delicti potior possessor.*
128. *Poenam non petit qui in eam incidit.*
129. *Factum cuique suum nocet.*
130. *Poenae non exasperandae.*
131. *Excipere potest qui et agere.*
132. *Successori non iterum nocet quod auctori nocuit.*
133. *Eadem emptoris causa quae venditoris.*
134. *Jure nostro inviti non utimur.*
135. *In contractibus haeredes tenentur in solidum de dolo defuncti.*
136. *Consentiens venditioni pignus dimittit.*
137. *Jam nostrum amplius nostrum fieri non potest.*

138. *Non vendit venditioni consentiens.*

139. *Universitatem facit major pars.*

140. *Qui facit ne conditioni pareatur, pro impleta eam habere debet.*

141. *Necessitate recepta non sunt exemplo.*

142. *Vendere potest qui et donare.*

143. *Judicium poenale transit in haeredem.*

144. *Non datur quod non fit accipientis.*

145. *Dolo caret qui paret judici, in dolo est qui non paret.*

146. *Benigniora, in dubio sequenda.*

147 *Ex affectione cujusque innotescit quod obscurum est in ejus facto.*

148. *Damnum dat qui jubet: non est culpa ubi parere necesse sit.*

149. *Nondum existit quod pendet.*

150. *Non fiat factum a judice extra officium.*

151. *Non ideo quis obligatur, quia ab alio recepturus est.*

152. *Ambigua oratio contra venditorem interpretanda.*

153. *In ambigua intentione res salva esse debet actori.*

154. *Iis, qui in id tenentur quod facere possunt relinquitur ne egeant.*

155. *Verbo* restituas, *veniunt et fructus.*

156. *Sua mora cuique nocet.*

157. *Dolo petitur restituendum.*

158. *Non repudiamus quod habere non possumus.*

159. *Successoris et auctoris par conditio.*

160. *Quae sunt judicis, privatis non concedenda.*

161. *Qui errore petit, sine dolo est.*

162. *Alteri meo jussu solutum, mihi solutum est.*

163. *Ubi nullus haeres ruit testamentum.*

164. *Ex aequitate subveniendum.*

165. *Vanus timor non excusat.*
166. *Impossibilium nulla obligatio.*
167. *Ante tempus peti non potest.*
168. *Praegnantem relinquens non decedit sine liberis.*
169. *Pugnantia in testamento simul ruunt.*
170. *Evicta in bonis non sunt.*
171. *Jam mortuo collatum a Principe beneficium, qui viventem credidit, ad haeredem non transit, inconsulto Principe.*
172. *Individua debent haeredes in solidum.*
173. *Haeredes haeredum haeredes sunt.*
174. *Expressa nocent, non tacita.*
175. *Privilegia quae rei cohaerent ad haeredem transeunt, non quae personae.*
176. *In conjugiis et honestum et licitum spectari debet.*
177. *Dolus tutoris pupillo non nocet.*
178. *Eligendum quod minus ab aequitate recedit.*
176. *In testamentis ab initio inutilia non convalescunt.*
180. *Regula omnis periculosa.*
181. *Sibi imputet qui sua culpa damnum sentit.*
182. *Minus actio quam res.*
183. *In nostris quae obligavimus dominium exercemus.*
184. *Non debemus aliorum detrimento locupletari.*
185. *Judicatum pro vero est.*
186. *Non desiit habere qui nunquam habuit.*

1. Regula est, quae rem quae est, breviter enarrat. Non ut ex regula jus sumatur, sed ex jure quod est, regula fiat. Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur, et (*ut ait Sabinus*) quasi causae conjectio est: quae simul cum in aliquo vitiata est, perdit officium suum. l. 1.

2. Foeminae ab omnibus officiis civilibus vel publi-

cis remotae sunt: et ideo nec judices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare. l. 2.

3. Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris. l. 4.

4. Jura sanguinis nullo jure civili dirimi possunt. l. 8.

5. Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur. l. 9.

6. Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. l. 10.

7. Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. l. 11.

8. In testamentis plenius voluntates testantium interpretantur. l. 12.

9. In omnibus obligationibus, in quibus dies, non ponitur, presenti die debetur. l. 14.

10. Is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur. l. 15. V. s. *de verb. signif.* l. 143.

11. Cum tempus in testamento adjicitur, credendum est pro haerede adjectum, nisi alia mens fuerit testatoris: sicuti in stipulationibus promissoris, gratia tempus adjicitur. l. 17.

14. Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus. Haeredi autem hoc imputari non potest, cum non sponte cum legatariis contrahit. l. 19.

13. Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere. l. 21.

14. Generaliter probandum est, ubicumque in bonae fidei judiciis confertur in arbitrium domini vel procuratoris ejus conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum esse. l. 22. §. 1.

15. Contractus quidam dolum malum dumtaxat reci-

piunt; quidam et dolum, et culpam. Dolum tantum, depositum, et precarium. Dolum et culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelae, negotia gesta (in his quidem et diligentiam), societas et rerum communio, et dolum et culpam recipit; sed haec ita, nisi si quid nominatim convenit, vel plus vel minus in singulis contractibus. Nam hoc servabitur, quod initio convenit: legem enim contractus dedit. Excepto eo quod Celsus putat, non valere, si convenerit, ne dolus praestetur: hoc enim bonae fidei judicio contrarium est, et ita utimur. Animalium vero casus, mortesque quae sine culpa accidunt, rapinae, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus praedonum a nullo praestantur. l. 23.

16. Quatenus cujus intersit, in facto, non in jure consistit. l. 24.

17. Plus cautionis in re est, quam in persona. l. 25.

18. Qui potest invitis alienare, multo magis et ignorantibus et absentibus potest. l. 26.

19. Nec ex praetorio, nec ex solemni jure, privatorum conventione quicquam immutandum est. l. 27.

Privatorum conventio juri publico non derogat. l. 45. §. 1.

20. Obligationum causae pactione possunt immutari. l. 27.

21. Divus Pius rescripsit, eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id quod facere possunt, condemnandos. l. 28.

22. Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere: l. 29.

23. Verum est, neque pacta, neque stipulationes fa-

31. In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium morae fit quominus fiat. l. 39. V. inf. l. 161.

32. Furiosi, vel ejus cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est. l. 40.

33. Non debet actori licere, quod reo non permittitur. l. 41.

34. In re obscura melius est facere repetitioni, quam adventitio lucro. l. 41. §. 1.

35. Quid in alterius locum succedunt, justam habent causam ignorantiae, an id, quod peteretur, deberetur. Fidejussores quoque non minus quam haeredes, justam ignorantiam possunt allegare. Haec ita de haerede dicta sunt, si cum eo agetur: non etiam si agat. Nam plane, qui agit, certus esse debet; cum sit in potestate ejus, quando velit, experiri: et ante debet rem diligenter explorare, et tunc ad agendum procedere. l. 42.

36. Nemo, ex his qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi lex impedit. l. 43.

37. Toties in haeredem damus de eo quod ad eum pervenit, quotiens ex dolo defuncti convenitur, non quotiens ex suo (a), l. 44. V. f. l. 38.

38. Neque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei suae consistere potest, l. 45.

39. Consilii non fraudulenti nulla obligatio est. Caeterum si dolus et calliditas intercessit, de dolo actio competit, l. 47.

(a) *Etsi nihil pervevit, jure canonico quod sequimur, tenetur haeres. V. 16. q. 6. c. 3. 12. q. 2. c. 34. c. 3. de pig. c. ult. de sepult. c. 5. de rupt.*

potissimum excipiatur, quae rei gerendae aptior est, l. 67.

54. In omnibus causis id observatur, ut, ubi personae conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat. Ubi vero genus actionis id desiderat, ibi, ad quemvis persecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii. l. 68.

Privilegia quaedam causae sunt, quaedam personae; et ideo quaedam ad haeredem transmittuntur, quae causae sunt; quae personae sunt, ad haeredem non transeunt. l. 196

55. Invito beneficium non datur. l. 69.

56. Fructus rei est vel pignori dare licere. l. 72.

57. Vi factum id videtur esse, qua de re quis cum prohibetur, fecit. Clam, quod quisque cum controversiam haberet, habiturumve se putaret, fecit. l. 73. §. 2.

58. Quae in testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint, perinde sunt ac si scripta non essent. l. 73. §. 3.

59. Nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest. l. 73. §. 4. V. inf. l. 123.

60. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. l. 74.

61. Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam. l. 75.

62. In totum omnia, quae animi destinatione agenda sunt: nonnisi vera et certa sententia perfici possunt. l. 76.

63. Generaliter cum de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per adversarium habere non potuerit, considerandum est. l. 78.

64. Fraudis interpretatio semper in jure civili non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoque desideratur. l. 79.

65. In toto jure generi per speciem derogatur: et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est. l. 80.

66. Quae dubitationis tollendae causa contractibus inferuntur, jus commune non laedunt. l. 81.

67. Donari videtur, quod nullo jure cogente, conceditur, l. 82.

68. Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit. l. 83.

69. Cum amplius solutum est quam debebatur, cujus pars non invenitur, quae repeti possit, totum esse indebitum intelligitur, manente pristina obligatione. l. 84.

70. Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus. l. 84, §. 1.

71. In ambiguis pro dotibus respondere melius est. l. 85.

72. Non est novum, ut quae semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt. l. 85. §. 1.

73. Quoties aequitate (*) desiderii naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur, justis decretis res temperamda est. l. 85, §. 2.

In omnibus quidem, maxime tamen in jure, aequitas spectanda sit. l. 90.

74. Non solet deterior conditio fieri eorum qui litem contestati sunt, quam si non: sed plerumque melior. l. 86.

75. Nemo in persequendo, deteriorem causam, sed meliorem facit. Denique post litem contestatam haeredi quoque prospiceretur, et haeres tenetur ex omnibus causis. l. 87.

76. Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est. l. 88.

(*) Æquitatem.

77. Quamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimus non admittur. l. 89.

78. Non solent, quae abundant, vitiare scripturas. l. 94.

79. In ambiguis orationibus maxime sententia spectanda (est) ejus qui eas protulisset. l. 96. V. l. 33. ff. *de contrah. empt.*

80. Quoties utriusque causa lucri ratio vertitur, is praeferendus est, cujus il luorum causa tempore praecedit, l. 98.

81. Si in duabus actionibus alibi summa major, alibi infamia est, praeponenda est causa existimationis. Ubi autem aequiparant famosa judicia, et si summam imparem habent, pro paribus accipienda sunt, l. 104.

82. Ubicumque causae cognitio est, ibi praetor desideratur, l. 105.

83. Fere in omnibus poenalibus judiciis, et aetati, et imprudentiae succurritur, l. 108.

84. In eo quod plus fit, semper inest et minus, l. 110. In toto et pars continetur, l. 113.

85. In haeredem non solent actiones transire, quae poenales sunt ex maleficio: veluti furti, damni, injuriae, vi bonorum raptorum, injuriarum, l. 111, §. 1. V. f. l. 38. et l. 44.

86. Nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur, 112.

87. In obscuris inspici solet quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet, l. 114.

88. Si quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse, l. 115. Vide l. 50. *de donationibus inter virum.*

89. Non potest videri accepisse, qui stipulatus potest exceptione summoveri, l. 115, §. 1.

90. Nihil consensui tam contrarium est, qui et bo-

nae fidei judicia sustinet, quam vis, atque metus: quem comprobare, contra bonos mores est, l. 116.

91. Non capitur, qui jus publicum sequitur, l. 116. §. 1.

92. Non videntur, qui errant, consentire. l. 116, §. 2.

93. Non alienat, qui duntaxat omittit possessionem, l. 119.

94. Nemo plus commodi haeredi suo relinquit, quam ipse habuit, l. 120. V. s. lex 59.

95. Nemo alieno nomine lege agere potest, l. 123. V. s. l. 73. §. 4.

96. Favorabiliores rei potius, quam actores habentur, l. 125.

97. Cum de lucro duorum quaeratur, melior est causa possidentis, l. 126. §. 2.

98. In pari causa possessor potior haberi debet, l. 128. V. inf. l. 154.

99. Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit, l. 129.

100. Cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quae sequuntur, locum habent, l. 129, §. 1.

Cum principalis causa non consistat, *plerumque*, ne ea quidem, quae sequuntur, locum haebent, l. 178.

101. Nunquam actiones, praesertim poenales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit, l. 130.

102. Qui dolo desierit possidere, pro possidente damnatur; quia pro possessione dolus est, l. 131.

Parem esse conditionem oportet ejus qui quid possideat vel habeat, atque ejus cujus dolo malo factum sit quominus possideret, vel aberet, l. 150.

Semper qui dolo fecit, quominus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet, l. 157. §. 1.

103 Imperitia culpae adnumeratur, l. 132.

104. Non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur a debitore, sed cum quid de bonis diminuitur, l. 134.

105. Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest, l. 134, §. 1.

106. Ea quae dari impossibilia sunt, vel quae in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur, l. 135.

107. Bona fides tantumdem possidenti praestat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est, l. 136.

108. Qui auctore judice comparavit, bonae fidei possessor est, l. 137.

109. Omnis haereditas, quamvis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur, l. 138.

Omnia fere jura haeredum perinde habentur, ac si continuo sub tempus mortis haeredes extitissent, l. 193.

110. Nunquam crescit ex post facto praeteriti delicti aestimatio, l. 138, §. 1.

111. Omnes actiones, quae morte aut tempore pereunt, semel inclusae judicio, salvae permanent. l. 139.

112. Non videtur perfecte cujusque id esse, quod et causa auferri potest. l. 139, §. 1.

113. Absentia ejus qui Reipublicae causa abest, neque ei, neque alii damnosa esse debet. l. 140.

114. Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias. l. 141.

115. Uni duo pro solido haeredes esse non possunt. l. 141, §. 1.

116. Qui tacet, non utique fatetur: sed tamen verum est, eum non negare. l. 142.

117. Quo ipsis, qui contraxerunt, obstat; et successoribus eorum obstabit, l. 143.

118. Non omne quod licet, honestum est. l. 144.

119. In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus. 144, §. 1.

120. Nemo videtur fraudare eos qui sciunt et consentiunt. l. 145.

121. Semper specialia generalibus insunt. l. 147.

122. Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum praestare debet. l. 149.

123. Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet. l. 151.

Non videtur vim facere, qui jure suo utitur, et ordinaria actione experitur. l. 155, §. 1.

124. In maleficio ratihabitio mandato comparatur. l. 152, §. 2.

125. In contractibus, quibus doli praestatio, vel bona fides inest, haeres in solidum tenetur. l. 152, §. 3. V. s. l. 38. et l. 44.

126. Fere, quibuscumque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis acquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. Ut igitur nulla possessio acquiri nisi animo et corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum. l. 153.

127. Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, et melior habetur possessoris causa; sicut fit, cum de dolo excipitur petitoris: neque enim datur talis replicatio petitori, *aut si rei quoque in ea re dolo actum sit. l.* 154.

128. Illi debet permitti penam petere, qui in ipsam non incidit. l. 154. §. 1.

129. Factum cuique suum, non adversario, nocere debet. l. 155.

130. In poenalibus causis benignius interpretandum est. l. 155. §. 2.

131. Cui damus actiones, idem et exceptionem competere multo magis quis dixerit. l. 156, §. 1.

132. Cum quis in alii (*) locum successerit, non est aequum ei nocere hoc, quod adversus eum nocuit, in cujus locum successit. l. 156, §. 2.

133. Plerumque emptoris eadem causa esse debet circa petendum ac defendendum, quae fuit auctoris. l. 156. §. 3.

134. Quod cuique (pro eo) praestatur, invito non tribuitur. l. 156, §. ult.

135. In contractibus successores ex dolo eorum quibus successerunt, non tantum in id quod pervenit, verum etiam in solidum tenentur: hoc est, unusquisque pro ea parte, qua haeres est. l. 157, §. 2. V. s. 38. et l. 44.

136. Creditor, qui permittit rem venire, pignus dimittit. l. 158.

137. Non ut ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem possit nostrum esse. l. 159.

138. Aliud est vendere, aliud vendenti cousentire. l. 160.

139. Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem. 160, §. 1.

140. Jure civili receptum est, quoties per eum, cujus interest, conditionem non impleri, fiat quominus impleatur, perinde haberi, ac si conditio impleta fuisset. Quod ad libertatem, et legata, et ad haeredum institutiones perducitur: quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cum per promissorem factum esset, quominus stipulator conditioni pareret. l. 161. V. supra l. 39. l. 24. ff. *de condit. et dem.*

141. Quae propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. l. 162.

(*) Alicujus.

142. Cujus est donandi, eidem et vendendi, et concedendi jus est. l. 163.

143. Poenalia judicia semel accepta, in haeredes transmitti possunt. l. 164. V. s. l. 38. et l. 44.

144. Non videntur data quae, eo tempore quo dantur, accipientis non fiunt. l. 167.

145. Qui jussu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere necesse habet. l. 167, §. 1. V. inf. l. 169.

Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit. l. 199.

146. Rapienda occasio est, quae praebet benignius responsum. l. 168.

In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius. l. 192, §. 1.

147. Quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cujusque capit interpretationem. l. 168, §. 1.

148. Is damnum dat, qui jubet dare: ejus vero nulla culpa est, cui parere necesse sit. l. 169. V. supra. l. 167, §. 1.

149. Quod pendet, non est pro eo, quasi sit. l. 169, §. 1.

150. Factum a judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est. l. 170.

151. Nemo ideo obligatur quia recepturus est ab alio quod praestiterit. l. 171.

152. In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. l. 172.

153. Ambigua intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit. l. 172, §. 1.

154. In condemnatione personarum quae in id quod facere possunt, damnantur, non totum quod habent,

extorquendum est; sed et isparum ratio habenda est, ne egeant. l. 173.

155. Cum verbum, *restituas*, lege invenitur, etsi non specialiter de fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi. l. 173, §. 1.

156. Unicuique sua mora nocet; quod et in duobus reis promittendi observatur. l. 173, §. 2.

157. Dolo facit qui petit quod redditurus est. l. 173, §. 3.

158. Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest. l. 174, §. 1.

159. Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transit. l. 175, §. 1. V. supra. l. 120.

Qui in jus dominumve alterius succedit, jure ejus uti debet. l. 177.

160. Non est singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. l. 176.

161. Nemo videtur dolo exsequi, qui ignorat causam cur non debeat petere. l. 177, §. 1.

162. Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solum esset. l. 180.

163. Si nemo subiit haereditatem, omnis vis testamenti solvitur. l. 181.

164. Etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus; tamen ubi aequitas evidens poscit, subveniendum est. l. 183.

165. Vani timoris justa excusatio non est. l. 184.

166. Impossibilium nulla obligatio. l. 185.

Quae rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt. l. 188, §. 1.

167. Nihil peti potest ante id tempus quo per rerum naturam persolvi possit. Et cum solvendi tempus obligationi additur, nisi eo praeterito, peti non potest. l. 186.

168. Si quis praegnantem uxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse. l. 187.

169. Ubi pugnantia inter se in testamenta juberentur, neutrum ratum est. l. 188.

170. Quod evincitur in bonis non est. l. 190.

171. Neratius consultus, an quod beneficium dare se, quasi viventi, Caesar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur, respondit: non videri sibi Principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse. Quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ipsius aestimationem esse. l. 191.

172. Ea quae in partes dividi non possunt, solida a singulis haeredibus debentur. l. 192.

173. Qui per sucessionem, quamvis longissimam, defuncto haeredes constiterunt, non minus haeredes et existunt. l. 194. V. s. *de verb. sign.* l. 65.

174. Expressa nocent, non expressa non nocent. l. 195.

175. Privilegia quaedam causae sunt, quaedam personae: et ideo quaedam ad haeredem trasmittuntur, quae causae sunt. Quae personae sunt, ad haeredem non transeunt. l. 196. l. 3. in fin. l. 4. §. 3. *de censibus.*

176. Semper in conjunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed et quid honestum sit. l. 197. V. s. l. 144.

177. Neque in interdicto, neque in caeteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris: sive solvendo est, sive non est. l. 198. V. l. 4. §. 24. et 25. *de doli exceptione.*

178. Quoties nihil sine captione investigari potest, eligendum est quod minimum habeat iniquitatis. l. 200.

179. Omnia quae ex testamento proficiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint. l. 201.

Quae ab initio fuit inutilis institutio, ex post facto convalescere non potest. l. 210.

180. Omnis definitio jure civili periculosa est. Parum est enim, ut non subverti posset. l. 202.

181. Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. l. 203.

182. Minus est actionem habere, quam rem. l. 204.

183. Plerumque fit, ut etiam ea, quae nobis abire possint proinde in eo statu sint, atque si non essent ejus conditionis, ut abire possint: et ideo quod fisco obligamus, et vindicare interdum, et alienare, et servitutem in praedio imponere possumus. l. 205.

184. Jure naturae aequum est, neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiorem. l. 206.

185. Res judicata pro veritate accipitur. l. 207.

186. Non potest videri desiisse habere, qui nunquam habuit. l. 208.

FINIS.

INDEX TITULORUM.

N. B. Tituli, qui litteris *italicis* hic notantur, nullam habent in libro materiam; sed tantum non interruptam ostendunt suorum seriem, quae in Pandectis.

LIBER XXVI.

LIBER XXVII.

LIBER XXVIII.

Titulus

LIBER XXIX.

Titulus

LIBER XXXIV.

LIBER XXXV.

LIBER XXXVI.

LIBER XXXVII.

LIBER XXXVIII

LIBER XXXIX.

TITULUS

LIBER XL.

TITULUS

LIBER XLI.

LIBER XLII.

LIBER XLIII.

LIBER XLIV.

LIBER XLV.

LIBER XLVI.

LIBER XLVII.

LIBER XLVIII.

LIBER XLIX.

LIBER L.


NAPOLI





